DIVINARVM NOVI
Testamenti, siue

CHRISTI FILII DEI, NOVI TESTA, MENTI MEDIATORIS, APPA. RITIONVM LIBER VNVS:

GLORIOSAM DESCRIBENS; TAM IVDICIARIAM, qua in extremo Iudicio est conspiciendus: quàm Thaborinam, qua seipsum Apostolis suis exhibuit.

AVCTORE PETRO THYRAEO, SOCIETA. TIS IESV, DOCTORE THEOLOGO.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Ex Officina Mater. Cholini, sumptib. Gosuini Cholini
ANNO DOMINI M. DCII.
Cum gratia & Priuileg. Cæs. Maiest.

ADMODUM
REVERENDO IN CHRISTO, RELIGIOSISSIMOQVE PATRI, AC DOMINO, D. IOANNI, celeberrimi & peruetusti Monasterij S. FELICITATIS, in Schvvartzach, apud Ostrofrancos, Ordinis S. Benedicti, ABBATI dignissimo, Domino ac patrono suo plurimùm obseruando.

Diuinas Veteris Testamenti Apparitiones anno superiori, quatuor libris, prosecutus sum, Admodum R.de in Christo Pater: restabant Diuinæ Noui Testamenti, alio volumine, cum Dei auxilio gratiaq́, explicandæ. Opus sanè spissum, & difficultatibus, nec paucis, nec leuibus implicatum: Quod tamen vt ordinatius & expeditius esset, Gloriosas tantùm, hoc in libro, persequi placuit Apparitiones, quibus Christus, Dei Filius & Redemptor noster, sub naturali licet forma, ea tamē Diuino quodam modo immutata, & admirabili fulgore gloriaq́ue perfusa, spectabilem sese hominibus vel præbuit, vel olim est præbiturus. Sacramentarias verò aliasq́ue, quæ & ipsæ ad nouum Testamentum pertinēt, alias, Deo volente, propediem elucidare conabimur. In Gloriosis ergo præsens Liber totus consumetur. quas quidem bipartitò distinguimus, in Iudiciariam, à Christo in Nubibus aliquando peragendam: & Thaborinam ab eodem, cùm Moyse, Elia & discipulis

cipulis olim in monte Thabor exhibitam. Vtraq; plena est maiestatis & gloriæ. vtraq; materiam scribendi maximam, vtilissimamq; suppeditat, ideoq; in vtraque expendenda labor fructuosè admodū suscipitur.

De Iudiciaria certè constat longè maxima eius ex consideratione humano generi emolumenta prouenire: tum quód ad omnes omnino pertineat, (omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi) tū quòd vniuersa, quæ ipsam vel comitantur, vel antecedunt, vel consequuntur, vt difficilem & obscuram, ita iucundam & perutilem habent considerationem, cuiusmodi sunt, tubarum sonus, vox magna, vox Archangeli, mortuorum ad vitam reditus, iudicij tempus, locus, apparatus, iudicantis gloria, comitatus, sententia, & similia. Deniq; quid æquè à vitijs flagitijsq; absterret, quid perinde ad virtutem, omnisq; honesti amorem impellit, quàm recordatio Sapientissimi, Iustissimique Iudicis, omnium cogitatorum, dictorum, factorum, strictissimam rationem exacturi: omnibusq; prout gesserant in Corpore, siue bonum, siue malum, sine personarum discrimine, redditurí? Quis enim (inquit præclarè Clemens Epistola prima ad Iacobum) peccare poterit, si semper ante oculos Iudicium Dei ponat, quod in fine Mundi certum est agitandum? Hoc est, quod electi, & dilecti à Deo Apostoli passim in suis concionibus, epistolis, sermonibus, Christianorum animis infigere, atq; adeò inculcare conantur. Dei vtique mandato, sicut

Apo-

Apostolorum Coriphæus testatur, Act. 10. cùm ait: Præcepit nobis prædicare populis & testificari, quia ipse est, qui à Deo constitutus est Iudex viuorũ & mortuorum. Proinde non minus disertè, quàm vtiliter B. Chrysostomus, homilia 2. in posteriorem Epistolã ad Thessalon. hortatur & obtestatur Christianos, Obsecro, inquiens, receptos à nutricibus liberos non anilibus fabulis assuefaciamus: sed ex primæua mox ætate discant esse Iudicium Dei, infigatur animis eorum esse supplicium. Hic metus si radices egerit, magna bona operabitur. Animus enim ab ineunte ætate hac futurorum exspectatione ad demißionem imbutus, non statim hunc metum excutiet: sed quasi quidam obsequens equus, velut sessorem habens gehennæ cogitationem, compositè ingredietur, & quæ vtilia sunt loquetur & dicet: & neq; Iuuentus, neque diuitiæ, neque orphania, neque aliud quicquam illi nocere poterunt, adeo robustam habenti cogitationem, & omnibus resistere valentem. His sermonibus componamus & nosmetipsos, & vxores, & seruos, & liberos, & amicos: si fieri queat, & inimicos: poterimus enim istis sermonibus multa peccata amputare. Hactenus Chrysostomus. Nolo verò in operis vtilitate commemoranda longior esse, apud te præsertim, Religiosißime Pater, cui hæc & notißima & exploratißima iam dudum sunt.

Vt porrò præ cæteris tuæ R.ᵈᵉ Paternitati hoc opus dedicarem, multa mihi acres stimulos admouerunt.

runt. Primò præclara beneficia, tum in me priuatim, tum in vniuersum Horbipolense Collegium à munifica Tuæ Amplitudinis manu profecta, quæ hoc quale quale etiam remunerationis officium iure sibi postulare videntur. Accedit, quòd nulli hominum generi hoc scribendi argumentum aptius accommodatiusque esse posit, quàm ijs, qui mundo eiusq; negotijs procul, segregem vitam agunt, inq; hoc vnum vel maximè incumbunt, vt rerum futurarum Iudicijque imprimis tremendi consideratione animos suos ad virtutem, & perfectionem excolant: quo in numero non infimum locum tenent, qui magni illius & Diuini Benedicti institutum & nomine profitentur, & vitæ, morumq; integritate sectantur. Quorum Tu quemadmodum in celeberrimo Schuuartzacensi cœnobio, & Dux es, & Pater, & præses: ita etiam, vt Dux, laudatissimis vitæ Exemplis ijsdem antecellis: vt Pater, solicitudine paterna, quæ singulorũ saluti tũ necessaria, tum conducibilia sunt prouides & procuras: vt Præses, solerti quadam vigilantia excubas, ne quid Ordini aduersum, & repugnans, in sancta illa Dei castra vel irrepat vel irrumpat. Qua in re non solum Diuinum illum Ordinis vestri fundatorem, sed & cognominem illi Benedictum, primum vestri Monasterij Abbatem, virum eximium, præclarè imitaris, qui in id vnum nauiter incumbebat, vt & Bibliothecam insignibus libris, & Cœnobium probatissimis religiosissimisq; fratribus instructum possideret.

ret. Similiter omnino id vnum in votis, id curæ Tibi est, vt cœtus, cui præes, non solùm numero & multitudine, sed etiam doctrina & virtute præstet. Quod vt consequaris, nullis nec in Bibliotheca instruenda sumptibus, nec in singulorum studijs, animisq́; incitandis laboribus, adhortationibusq́ue parcis. Deniq; vt Tuæ Paternitati librum hunc inscriptum vellem, fecit etiam singularis meus erga Amplitudinem Tuã amor & propensa voluntas, gratiq́ue animi ob singularia in me merita significandi desiderium, quæ causæ vt mihi satis iustæ videntur, ita candidissimo & humanissimo pectori tuo fore suspicor acceptas. Suscipe igitur, R.de in Christo Pater, animo lubenti quod humiliter tibi offertur & dicatur opus, succisiuis horis, tempore alieno, & valetudine non cmomoda satis elaboratũ, Tuaq́; , fateor, & Amplitudine & dignitate & meritis erga me longè minus, ab optimo tamen & deditissimo Tibi animo profectum. Herbipoli è Collegio Societatis Iesu, 21. Nouemb. nno Domini, 1601.

T. Admodum R.dæ Patern:
Seruus in Xp̃o

Petrus Thyræus.

CAPITVM ET ARGVMENTORVM EORVNDEM TRACtatus de duplici Apparitione Christi, Filij Dei, gloriosa, Index copiosior.

Prior Apparitio Christi gloriosa in Nubibus, quando Mundum est iudicaturus, continet Capita viginti sex: &

CAPVT PRIMVM

Describit eandem Christi in Nubibus Iudiciariam Apparitionem: siue Christum in Iudicio apparentem: explicat verò,

CAP-

CAPVT SECVNDVM.

De Antecedentibus Christi Iudiciariam in Nubibus Apparitionem: & ostenditur,

CAPVT TERTIVM.

De Voce Tubę, quę Iudiciariam Christi Apparitionem antecedet: & ostenditur,

CAPVT QVARTVM

De Mortuorum Resurrectione, quæ Iudiciariam Christi Apparitionem est præcessura: Inquiritur,

CAPVT QVINTVM.

De Voce Archangeli, cum qua Dominus dicitur descensurus ad Apparitionem Iudiciariam: Explicatur.

CAPVT SEXTVM.

De Signo Filij hominis, quod præcedet Iudiciariam Christi in Nubibus Apparitionem discutitur.

CAPVT SEPTIMVM.

De Igne, qui Christi Iudiciariam in Nubibus Apparitionem est præcessurus: docetur,

CAPVT OCTAVVM.

De Coniunctis cum Iudiciaria Apparitione Christi in Nubibus: quorum genera quatuor,

CAPVT NONVM.

De Ipso Iudicio, siue tribus Iudicij Actibus: qui sunt,

CAPVT DECIMVM.

De ipso Christo, Iudicis personam, in Apparitione Iudiciaria sustinente: Ostenditur,

CAPVT VNDECIMVM.

De Persona Patris, & Spiritus Sancti respectu Iudicij Generalis: Inquiritur,

CAPVT DVODECIMVM.

De Angelis comparituris in Christi Iudiciaria Apparitione, siue in generali totius mundi Iudicio: Inquiritur verò,

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De hominibus comparituris in Christi Iudiciaria Apparitione, siue in extremo Iudicio, Inquiritur,

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De Dæmonibus, qui ad Christi Iudiciariam Apparitionem pertinere possunt: Inquiritur.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De Accusatoribus, Aduocatis, Testibus, quæ inueniuntur in Iudicijs: Inquiritur,

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De Iudicij materia, & causis, quas Christus in Iudiciaria Apparitione est discussurus: Inquiritur,

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

De Libris in Christi Apparitione Iudiciaria proferendis, ex quibus Mundus erit iudicandus: Inquiritur,

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

De Circumstantijs præcipuis Apparitionis Iudiciariæ: Quæ sunt,

Locus, Tempus, Finis,
& primo omnium de loco ipsius: vbi inquiritur,

CAPVT DECIMVM NONVM.

De altera Circumstantia Apparitionis Christi Iudiciariæ Nubibus, quæ est Tempus: inquiritur,

An

CAPVT VIGESIMVM.

De tertia Circumstantia Iudiciariæ Christi Apparitionis in Nubibus, Fine videlicet: Inquiritur,

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

De consequentibus Iudiciariam Christi in Nubibus gloriosam Apparitionem: Quæ sunt,

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

De Mundi Renouatione, quæ post extremum Iudicium futura est: Inquiritur,

An

CAPVT VIGESIMVM TERCIVM.

De Traditione Regni, quam Christus Cælesti Patri facturus est, post Iudiciariam suam in Nubibus Apparitionem: Inquiritur.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

De Euacuatione atque Exinanitione omnis Principatus, Potestatis, atque Virtutis, quæ Christi in Nubibus Iudiciariam Apparitionem est secutura: Explicatur.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

De destructione Mortis, quæ Christi in Nubibus Iudiciariam Apparitionem est secutura: ostenditur,

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

De executione sententiæ Iudicis Christi, quæ Apparitionem Iudiciariam sequetur: & inquiritur primo,

De Personis in quibus locum habitura Sententia à Domino ferenda Executio:

Secundo inquiritur,

De locis duplicibus, in quibus executioni dabitur Domini sententia. Illa sunt Infernus & Cælum.

Circa Infernum quæritur,

Circa Cælum quæritur.

Quæ-

Tertio inquiritur,

De motibus contrarijs, quibus ad contraria hæc loca Beati & Damnati perueniunt.

An damnati,

An beati,

Quarto inquiritur,

De duplici mercede quæ duplicibus personis in contrarijs locis reddetur.

Nam Improbi

Iusti verò

Sequitur Index copiosior Capitum & eorundem Argumentorum Tractatus de Apparitione Christi gloriosa in monte Thabor.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur ipsamet Apparitio Christi, in monte Thaborino facta; & ostenditur,

CAPVT SECVNDVM.

De Antecedentibus Christi Thaborinã Apparitionem; quæ sunt præcipuè duo, Oratio, & Actiones Christi: & ostenditur

CAPVT TERTIVM.

De Coniunctis Apparitionis Thaborinæ in genere, quæ ad quinque genera reuocantur: videlicet

Personas, quarum quinq; inueniuntur. Res, in quarũ genere sunt Nubes, & Vox.
Actiones, quo referimus sermonem Apostolorum, &c.
Passiones, quo eorundem timorem referimus.
Ordinem, qui in his omnibus locum habet. De his omnibus in sequentibus; sed hoc capite de Personis tantum, & priori parte de Apostolis ostenditur,

Quis

Altera parte capitis duo veteris Testamenti, viciniores que Testes Christi, examinantur: & ostenditur,

De Moyse.

De vtroque quæritur.

CAPVT QVARTVM.

De duplicibus rebus, Nube scilicet, & Voce, quæ cum Thaborina Christi in gloria Apparitione fuerunt coniunctæ: & priori parte de ipsa Nube: inquiritur verò,

Altera sequenti parte, agitur de Voce Patris audita in Apparitione Thaborina: & inquiritur,

CAPVT QVINTVM

De Actionibus, quæ interuenerunt in Thaborina Christi Apparitione, ijs maximè, quæ linguæ ministerio perfectæ sunt, in quarū genere sunt Colloquium de Christi excessu, & oratio D. Petri. Et de priori quæritur,

Altera

Altera parte, quæ est de S. Petri oratione, in qua Transfiguratione, quæritur

CAPVT SEXTVM.

De Passionibus, siue affectibus, qui in Testibus Apparitionis Thaborinæ sunt obseruati, atque notati ab Euangelistis; & præcipuè de Timore. Quæritur verò hîc

CAPVT SEPTIMVM.

De Ordine rerum gestarum in Apparitione Thaborina, qui est postremum inter coniuncta. Hic verò fuit, qui sequentibus indicatur.

Ascensus Christi in montem.
Christi in monte oratio.
In oratione Transfiguratio.
Visio Maiestatis Apostolis concessa.
Nubes obumbrans & inuoluens Testes Transfigurationis.
Testimonium Patris.
Confirmatio Apostolorum timore perculsorum.

CAPVT OCTAVVM.

De ijs, quæ Thaborinam Apparitionem sunt secuta, vt sunt
Discessus Testium Apparitionis,
Animatio Apostolorum trium,
Præceptum siue lex silentij, Hic ostenditur,

Quænam

CAPVT NONVM.

De Loco, qui est prima Circumstantiarum Apparitionis Thaborinæ: ostenditur verò

CAPVT DECIMVM.

De Tempore, quod est secunda Circumstantiarum Apparitionis Thaborinæ: Inquiritur hic

CAPVT VNDECIMVM.

De fine, qui est tertia, ex circumstantijs Apparitionis Thaborinæ, qui hic multiplex fuit: videlicet significare

DE GLO-

DE GLORIOSA CHRISTI, FILII DEI APPARITIONE IN NVBIBVS, QVAM IVDICIARIAM VOCAMVS.

INTRODVCTIO IN IVDICIARIAM CHRISTI APPARITIONEM; qua ſtatus Argumenti explicatur.

1. *CHriſti glorioſa Apparitio in Nubibus, in fine ſeculorum accidet, quando cum maieſtate venturus eſt, ad iudicādum viuos & mortuos, & reddendum ſingulis ſecundùm opera ſua. Illam à loco, vbi Dominus apparebit, poſſumus dicere Glorioſam Chriſti Apparitionem in Nubibus ab officio, quod ſubiturus eſt, Iudiciariam, ſiue Chriſti iudicantis.*

2. *Multis modis à Thaborina hæc differt, de qua poſterius agetur. Illa præterijt: hæc exſpectatur. Illa in Chriſti carne mortali & paſsibili accidit: hæc in immortali & impaſsibili. Illa in montibus facta: hæc in nubibus erit. Illa coram paucis teſtibus: hæc coram vniuerſo hominum genere. In illa ſermo de Chriſti exceſſu & paſsione fuit: in hac de hominū meritis, præmijs & ſupplicijs. Illa omnibus voluptatem afferebat: hæc plurimos turbabit: & ad extremam miſeriā deturbabit.*

De

3. De illa certius multa videmur dicere potuisse, quod præterita sit, & oculatos testes habeamus, qui eidem affuerint, nosque instituerint: hæc quamuis futura sit, & sub nullius adhuc aspectum venerit, non minus tamen de eadem certa habemus plurima, quæ sacræ nobis Scripturæ, quarum infallibilis est veritas, offerunt.

4. Quia tamen non omnia sacris literis expressa sunt: sed, vt in alijs Christianæ religionis mysterijs, quædã humano ingenio eruenda relinquatur: nos quæ spiritu sancto reuelante, ex sacris literis habemus, & humano ingenio possumus assequi, in vnum conferemus: atque & Thaborinam, & hãc Iudiciariam præsenti persequemur tractatu.

5. Ordo ipsas persequendi idem ferè erit. In hac ergo Iudiciaria, principio ipsa Apparitio explicanda, siue describendus Christus apparens: deinde Antecedentia ipsam examinanda: tertiò Coniuncta: quarto Circumstantiæ: quinto Consequentia.

CAPVT PRIMVM.

Deſcribetur ipſa Iudiciaria Chriſti in Nubibus Apparitio, ſiue Chriſtus in iudicio apparens: & explicatur.

DE Chriſto in glorioſa Apparitione iudicaturo, quædam fides docet: quædam mortalium *ſenſus* percipient: quædam in depicta extremi Iudicij imagine inſinuant *Pictores*: quædam antiqui *Doctores* referunt. *Fides* docet ad Iudicium venturum, ſicut cælos aſcendit: *Senſus* & videbunt præſentem, & loquentem audient. Viſus enim, & auditus præcipuas hic functiones habebunt. *Pictores* veſtitum ex parte offerunt, manibuſq; in diuerſa extenſis: & ſecundum tempora, hinc gladium appingunt,

inde ramum oliuarum. *Doctorum* antiquorum quidam referũt venturum ſpinea corona redimitum.

Qualis Chriſtus, quoad corpus & animam in extremo Iudicio appariturus.

2. *Fides* varijs Sacrarum Scripturarum teſtimonijs nititur; ſed præcipuè illo Angelorum, quod Apoſtolis datum, in Chriſti glorioſa Aſcenſione. *Hic Ieſus*, inquiunt Angeli, *qui aſſumptus eſt in cælum à vobis, ſic veniet; quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.* quo quidem (vt alia omittam) ille idem ſignificatur rediturus, & appariturus, qui aſcendit.

3. Et *idem* profectò eſt Dominus: idem, qui à dextris Dei ſedet: qui à mortuis reſurrexit. qui mortuus, qui paſſus, qui ex virgine Matre natus. verus Deus, verus homo. Deus ab æterno, ex Patre. homo in tempore ex Matre.

4. Et quia *idem* redit qui aſcendit; & *idem* qui aſcendit, reſurrexit; illa carne, illaque anima rediturus eſt, qua à mortuis reſurrexit. illa inquã, quam ex virgine, ſuperueniente Spiritus ſancti obumbratione, accepit. Neque enim verè reſurrexiſſe dicendus eſt, ſi non prior anima priori carni corporique fuit coniuncta.

5. Anima verò, quæ in corpore latebat, iiſdem inſtructa tunc erit, & naturalibus, & ſupernaturalibus præſidijs, quibus inſtructa ad cælos cum corpore migrauit. & vtroque tempore beata. nec plus beata eſſentiali, quam vocant, beatitudine, cùm in iudicantis gloria comparebit Chriſtus, quàm cùm triumphator cælos aſcẽdit Chriſtus.

6. Corpus porrò, quamuis idem reuerſurum ſit, quod ad cælos eſt tranſlatum, non tamen eodem modo tunc ſe habebit, vt in glorioſa Chriſti Aſcenſione: quemadmodum neque eodem modo, quo, quando miracula patrauit, quamuis & tunc idem eſſet. Quando miracula patrabat, Chriſti corpus, glorioſum non erat, nec cicatrices gerebat. quando cælos aſcendit glorioſum erat; glorioſum tamen non conſpiciebatur. quando in Nubibus extrema iudicij die conſpicietur, & glorioſum erit, & glorioſum apparebit, & cicatrices habebit.

7. Glorioſum erit ex redundantia felicitatis animæ Chriſti, quæ quidem tunc in corpus deriuari cœpit, quando ipſe à morte impaſſibilis reſurrexit; & antea corpori, quandiu paſsibile fuit, tribui non debuit.

8. Glorioſum etiam apparebit; quia cur corpori ſuo ſuam tum gloriam debeat detrahere, nulla eſt cauſa: cur verò illa velle debeat clarere,

clarere, multa. Hanc gloriam significauit Dominus, quando se *in maiestate* docet venturum, & *in nubibus cæli*. Matth. cap. 26. &c.

Cicatrices siue stigmata habebit. quia, vt visus est ascendere in cælum, ita reuersurus est de cælo. Visus verò cum ijsdem stigmatibus, quæ in passione à Iudæis accepit, & post resurrectionẽ quidem discipulis videnda, Thomæ verò etiam palpanda & tractanda exhibuit. Neque enim putandum est, quòd quæ à resurrectione per plures dies in corpore retinuit, illa ad cælos ascendens, aut in cælo regnans deposuerit. 9.

Retinuit, quas semel accepit cicatrices, quemadmodum vniuersa Christi Ecclesia semper docuit. Et Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 58. hoc probat ex illo Zachariæ, cap. 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum, & dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* deinde ex simili interrogatione, Isaiæ 63. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra.* & infra, *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum.* Sed & B. Augustinus, Epist. 49. quæst. 1. & lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 30. expresse docet cum vulneribus Christum apparitūrum. Atque in hunc modum interpretatur illud Zachariæ 12. *Aspicient in me, quem confixerunt.* quod eodem modo, cum B. Augustino, exponunt Hieronymus, Theodoretus, Rupertus, in dictum locum, & Sanctus Leo, epist. 97. ad Leonem Augustum. 10.

Quòd autem vulnera in corpore relicta sint, nõ necessitatis fuit, sed voluntatis, & gratuitæ dispensationis. Sicut enim quando, & quomodo, voluit, ita quoque quale voluit corpus excitauit. Voluntatis tamen huius causæ plures dantur à sanctis Patribus: Nos aliquas assignamus. 11.

Prima sit, quòd sic fidem suę resurrectionis potuit in hominum mentibus cõfirmare; atq; reipsa demonstrarare, idem illud corpus à mortuis resurrexisse, quod mortem in cruce oppetiuerat. *Claui*, inquit, B. August. Tract. 121. in Ioan. *manus fixerant, lancea latus eius aperuerat, vbi ad dubitantiũ corda sananda vulnerum sunt seruata vestigia.* Et Ser. 18. de Verbis Domini. *Nunquid non potuit Dominus*, inquit, *sine cicatricibus resurgere? Sed in discipulorum corde vulnera nouerat, propter quæ sananda cicatrices in corpore suo seruauerat.* Et Leo, Ser. 1. de Ascens. *Ad sananda infidelium cordium vulnera, clauorum, & lanceæ erant seruata vestigia. vt non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur eam naturam in Dei Patris consessuram throno, quæ iacuerat in sepulchro.* Hanc eandem causam dat Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. cap. 58. *Christus*, inquit, *præter illud, quod cõditio rerum requirit, propter vtilitatem nostram, passionis notas retinuit: vt resurrectionis mysterium rectè intelligamus, non* 12.

 alind

aliud corpus resurrexisse credentes; quàm quod cruciatu mortuum fuit. Similia habet Damas. l 4. de fide orthod. c. 18. Beda in vlt. Luc. & alij.

13. Deinde retinuit Cicatrices, tanquam insigna triumphi & victoriæ perpetua. Neque enim parum hæc ad Christi *accidentalem*, vt vocant, Christi corporis gloriam faciunt. Quocirca & B. Augustinus, lib. 22. de Ciuit. cap. 19. & 20. etiam in Martyrum gloriosis corporibus docet futura *quædam signa, atq; vulnerum cicatrices*, quæ olim in mortali corpore, pro Christo sustinuerunt. Idem affirmat B. Ambrosius. lib. 10. in Lucam.

14. Retinuit tertiò easdem, vt æterno Patri semper vulnera ostendat, quemadmodum Beda in vltimum Lucę docet, & ita placabilem nobis eundem reddat; atque, vt Apostolus, ad Heb. 9. loquitur, *vt appareat vultui Dei pro nobis*, hoc est (vt ait Cyprianus sermo de Baptismo Christi) *vt semper reseruatæ in corpore plagæ, salutis humanæ exigant pretium & obedientiæ donatiuum requirant*. vel, vt exponit B. Anselmus, *vt appareat præsentiæ & beneuolentiæ Dei Patris, intercedens pro nobis, ostendens cicatrices vulnerum, quæ pro nostra redemptione pertulit. Miro enim & ineffabili ordine eum, qui nihil vnquam potest obliuisci, qui semper misereri paratus est, absq; intermissione Dominus Iesus admonet, quàm congruè hominibus misereri debeat, pro quibus ipse confligens mortis imperium moriendo prostrauit.*

15. Hinc quarta causa horum stigmatum accipitur; vt scilicet, ad spē & fiduciam in Christum, homines hos excitentur, simulq; ad gratias ipsi pro ineffabili redēptionis beneficio agendas. Vnde pulchrè Ambrosius lib. 10. in Lucam. *In quo*, inquit, *non solum fidem firmat; sed etiam deuotionem acuit; quòd vulnera suscepta pro nobis, cælo inferre maluit; abolere noluit; vt Deo Patri nostræ pretium libertatis ostenderet.* Vide de hac re pulchra apud Bernard. serm. 61. in Cantica Canticorum.

16. Quintò retinuit Christus sua vulnera; vt sectatores eius in ipsum intuentes, sua non sentiant vulnera; & exemplo capitis sui animum erigant, atq; ad similia mala pro Christo perferenda fortiores fiant.

17. Denique retinuit hæc vulnera Dominus, ad hostes suos, in extremo Iudicij die confundentes. Hanc rationem Hippolitus Martyr, Oratione de Mundi consummatione attingit. Eandem his verbis habet Cæsarius Arelatensis, hom. 32. *Illa*, inquit, *clauorum signa bonis salutaria, malis terribilia vsq; ad iudicij diem non delentur. Non quod postea delenda sint, sed quia specialiter in diem Iudicij reseruantur.*

18. Porrò ob omnes has causas Dominus, in glorioso corpore stigmata retinuit: sed non ob omnes cum ijsdem se in *Apparitione Iudiciaria* exhibebit. Non ibi fides confirmanda: non ibi Patris ira placanda: non

da:non animus suorum ad similia, pro Domino fereda excitandus. De premijs & supplicijs ibidem agetur. vulnera & stigmata bonis tũ ad gratiarum actionem; malis ad confusionem: Christo ad gloriam seruient.

Atque talem, qualem descripsimus, Christum fide credimus vẽturum in secunda hac Apparitione. Sensus autem vt diximus præcipuè duo occupabuntur, visus & auditus. Nam & videbitur mortalium oculis, & audietur mortalium auribus. 19.

Qualis in hominum oculos Christus in Iudiciaria Apparitione incurret.

Videbitur verò *veniens*, & *in nubibus*, & *in maiestate*, & *in virtute multa*, & *sedens à dextris virtutis Dei*. Hæc ipse Dominus apud Euangelistos. Nam Matt. 24. *videbunt*, inquit, *Filium hominis venientem, in nubibus cum virtute multa, & maiestate*. & cap 25. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ*. & cap. 26. *videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Nos singula hæc examinemus. 20.

Videbitur igitur corporalibus oculis Dominus: & verò corpore, vt diximus, *veniens*, & ab ijs, qui corporales oculos habent, videbitur: videbuntur etiam, quæ secum afferet vulnerum vestigia, & complebis quod scriptum, *Videbunt quem confixerunt*, Zachar. 12. 21.

Et *veniens* videbitur, quia, scilicet, qui visuri ipsum sunt, venturũ prestolabuntur, venientemque obseruabunt; resuscitati iam à mortuis, atq; in locum, vbi cum maiestate Dominus est comparaturus, translati. Conuenit, scilicet, vt serui Dominum, filij patrem: non pater, filios, non Dominus seruos exspectet; fortè & hoc B. Paulus innuat, quando, 1. Thess. 4. docet iustos suscitatos, *per aëra Christo venienti obuiam processuros*. Fortè & Dominus, Matth. 25. quando in parabola virginum, *media nocte* dicit *clamorem factum*, & admonitos virgines, vt *obuiam eant venienti sponso*. Quidquid sit ita apertè sentiunt, Chrys. hom. 8. in 1. Thess. 4. Oecum. Theophyl. Theodo. Anselmus in 4. princ. Thess. Addimus dictis Hippolitum, de consum. seculi. *Tunc*, inquit, *sonabit tuba, & excitabit dormientes, & omnes in ictu oculi resurgent, & astabunt super faciem terræ, exspectantes iusti atq; terribilis Iudicis aduentu*. 22.

Vnde videbitur Dominus venire.

Sed *vnde* venientem videbunt? *Ex cælo*. *Sicut vidistis eum* loquuntur Angeli, *euntem in cælum, ita veniet*. Addo, quo vidistis euntem inde veniet. Non potest ad nos venire, nisi ex eo, quo degit loco. Hinc bene in Apostolorum symbolo *Inde venturus est iudicare*. Vnde quæso? quo profectus. Et quo profectus? *Ascendit ad cælos*. Ita Symbolum. 23.

23. Cæli porrò non ipsi hiatu aut ruptura sui aditum patefacient. constans & perpetua ipsorum natura est. quemadmodum diuisi nó sunt, ascendente Christo; ita neque diuidentur Christo descendente. Cælos penetrauit Dominus ascendẽdo: cælos penetrabit descendendo. Hæc virtus gloriosorũ corporum (quale Christi fuit, eritq; Sanctorum omnium) vt quæcunq; corpora penetrare valeant, sine sui, aliorumque corporum læsione atque ruptura.

24. Ex cælo autem videbitur veniens Dominus, non toto spacio, quod conficit: Neque enim oculi mortalium ad extremos cælos possunt penetrare: sed aliqua eius parte. In aliqua scilicet, aëris parte, quo visus potest pertingere, videbitur veniens.

25. Et ab *Oriente* videbitur veniens, quia ad orientem hinc ascendit. *Psallite Domino*, cantatur in Officio Ascensionis Christi, qui *ascendit cælos cælorum ad Orientem*. Quocirca & hic locum habet, ex sententia Damasceni, lib. 4. de fide Orthod. cap. 13. quod dicitur Actu. 1. *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem*. Atque hinc suspicor natam cõsuetudinem apud Christianos, vt & orantes conuertantur ad Orientem; & sepulti ita collocentur, vt resurgentium facies Orientem respiciant: quasi inde & auxilium exspectent; & exspectent Dominum venturum ad iudicium.

26. Et quia, *Veniens* videbitur, hoc est, quia videbitur venire; idcirco motu veniet successiuo. Non potest videri venire, nisi paulatim moueatur & successiuè. Qui tamen successiuè venire obseruatur, breui tempore, longissima, quæ transire habet, absoluet spacia.

De Nubibus, & earum officio, in quibus Dominus appariturus est.

27. Videbitur autem veniens in *Nubibus* scilicet, hæ diuinæ Maiestatis certũ sunt argumentum. Veruntamen, tunc non insolitum; quod sæpiùs Deus vsus legatur Nubibus. In veteri Testamento per *nubẽ*, vt plurimùm loquebatur, docet hoc liber 2. Diuinarum Vet. Testa. Apparitionũ: in nouo vox Patris aliquoties de *Nube* audita. Sic *Nubes* inuoluit Christum in Transfiguratione. sic *Nubes* fuit, quæ eundem excepit ab oculis Discipulorum; quando gloriosus cælos conscendit.

29. Et omnino in *Nubibus* venturus erat Dominus, si modò Angeli oratio vera fuit, vt fuit, quoniam in nube ascendit. Oportuit, vt quẽadmodum viderunt eum ascendentem (viderunt autem in *Nubibus*) ita viderent de cælo redeuntem. Idem iam ante multos annos docuerat Daniel, cap. 7. *Ecce*, inquit, *in Nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat*.

Discrimen tamen aliquod inter ascensum fuit, & reditum. Nam 29.
ascendentem *Nubes* (singulariter) suscepit; reddent redeuntem *Nubes* (pluraliter). Mirum verò non est, quòd vniuersorum Domino *plures Nubes* in gloria deseruiant, cui ad nutum parere parata sunt omnia. Porrò vt ad Christi maiestatem faciunt *Nubes*; ita ad ampliorem, pluralitas Nubium. Et hîc optimè; vbi si vnquam aliâs, suam maiestatem atque gloriam demonstrare debuit.

Sed an qui videbitur *veniens in Nubibus*, toto, quod conficere de- 30.
buit itinere, Nubis vtetur obsequio? Non vtetur. Cælos primùm penetrabit absq; vllo Nubis officio. Neq; enim supra cælos, vbi Dominus aget, antequam veniat, sunt Nubes: & si essent; non Christo, toto itinere seruirēt, nisi vel cælestibus corporibus vim afferret, vel vim ab illis paterentur: his quid opus?

Addo, quod nec vbi cælos gloriosum Christi corpus penetrauit, 31.
Nubes ipsum mox excipient. Vt quid enim excipient? Et fortè nec poterunt mox excipere, quòd vis ignis ipsas impedirēt, adeoq; totas prius absumeret: nisi nouum hîc miraculum, sine ratione, cōstituamus.

Itaque quemadmodum cælos sine Nube Christus penetraturus 32.
est: ita sine Nubibus penetraturus ignem, qui in concauo lunæ, à Philosophis, constituitur. Et quemadmodum sine ruptura cælos, ita sine læsione ignem. Habent hoc gloriosa corpora, vt ab elementis patiantur nihil.

Nubes ergo Christum venientem excipient, *proprio suo loco*; vbi, 33.
videlicet, ipsæ vi solis producuntur; aut altiori paulo: Et exceptum Nubes non deserent, donec munus, ad quod peragendum venturus est, absoluat; quemadmodum ex sequentibus erit manifestum.

Ex dictis facilè, *quæ sit conditio* Nubium, in quibus Dominus ven- 34.
turus dicitur, intelligitur. A Nubibus naturalibus non different. quoniam illæ ipsæ, quæ viribus naturæ productæ sunt, Domino in hac Apparitione seruient. Non opus hic, Angelorum postulemus operam, à quibus producantur: non opus, postulemus Dei, à quo de nouo creentur.

Atque hoc non incommodè dicitur, secundùm illorum senten- 35.
tiam, qui cælos suum cursum tradunt seruaturos, donec Iudicium absoluatur. Qui verò contrarium cùm Dom. Soto, in 4. dist. 47. q. 2. a. 1. docent, negant *naturales* has Nubes futuras ob cessantem cæli motum, qui Nubium causa dicitur. Verùm vtrum firmum satis horum argumentum sit, in dubium fortè, non sine causa vocatur. Nos de hac re, quando de Igne conflagrationis.

37. Sed tamen quamuis Angelorum etiam opera in producendis his Nubibus non requiratur, ex multorum sententia, non tamen illa est defutura, vt pro officio, Domino hîc commodè seruiant. Et hoc in *duobus* maximè; in forma scilicet, qua conspicientur, & motu, quo mouebuntur. Nam cùm ex se formam nullam habeant certam; sed nunc hanc, nunc illam, pro ventorum atque solis ratione; quæ verò hîc Domino seruiunt, certam habere debeant; omnino illam Angelorum ministerio sunt habituræ. Sic motũ aliarum Nubium hæ nõ seruabunt; vt in orbem quasi circumferantur: De cælo cum Domino descendent ad gloriosę Apparitionis locum; ibiq; ad tempus hęrebunt: & hoc ministerio Angelorum. Fortè ministerium hoc Angelorum Pictores insinuant, dum *Nubes*, quæ Dominum aduehent, varijs Angelis fulciunt.

38. Hinc, quòd *officium* Nubium, in hac gloriosa Christi Apparitione futurum sit, intelligitur. Sunt qui existimant vehiculi officium Domino præstituras. Veruntamen non bene. Nõ indiget vehiculo Dominus; qui, vt Apostolus ad Heb. 1. loquitur, *Figura est substãtiæ Patris, portans omnia verbo virtutis suæ.* qui sine Nubium subsidio peruadet cælos; Nubibus in itinere, quod per aêrem conficiet indigebit?

39. Sunt, qui propter damnatos credunt affuturas Nubes; vt, scilicet, se inter claritatem vultus Christi, atque ipsos reprobos interponãt: ne vlla ex Christi amabili aspectu voluptas veniat ad infelices. Sed nec hæc vera Nubium causa videtur. Etiam damnati videbunt, quẽ confixerunt: & gloriosus Christi aspectus, quemadmodum bonis voluptatem, ita improbis summum afferet dolorem: quamuis, vt Franciscus Soarez, cum pluribus sentit, pro voluntate sua Dominus his amicum, illis iratum vultum ostendere possit.

40. In duobus maximè Nubes Christo, in hac gloriosa Christi Apparitione, seruient. primùm loco Throni & sedis, quemadmodum mox dicetur: deinde ad Maiestatis & gloriæ magnitudinẽ demonstrandam. Ad hæc maximè accommodatam naturam habent. quapropter & Apparitiones Dei illustriores, in Scriptura, in *Nubibus* factæ perhibentur. Hactenus de Nubibus.

Quæ qualisue Maiestas apparentis Christi.

41. Videbitur etiam Dominus in *Maiestate*. Qua verò? simili, qua apparuit in Thaborina Transfiguratione, quando, vt Euangelista loquitur, *resplenduit facies eius, sicut Sol.* Matth. 17. Et Sibylla: *Tunc renouata Dei facies ignita micabit.* Et bene. Neque enim decet, vt minor hîc sit Maiestas, quàm ibi: aut hîc dominico corpori sua desit maiestas, vbi serui Domini *fulgebunt sicut stellæ in firmamento cæli.* Conuenit

pro-

profectò, vt quem in infirmitate carnis vidimus quasi sine aspectu, & similem leprosis, & sine decore; ille deposita fragilitate carnis, gloria & honore decoretur, & lumine, sicut vestimento, amiciatur.

Magna hæc admodum Dominici corporis erit claritas. Quid 42.
mirum? Magna illi molestia constitit: magno sudore est comparata: & ipsius beneficio atque merito ad alios perueniet: & ab illa anima, qua nulla beatior esse potest, deriuabitur in corpus, quo nullum est, fuit, aut erit, perfectius. De hac Maiestate, quia plura dicta sunt in Apparitione Thaborina, idcirco hîc nõ plura. Ad virtutem igitur Domini transeat oratio.

Quæ, qualis, quanta sit virtus, in qua Dominus dicitur appariturus.

Nam etiam in *Virtute* videbitur Dominus, & non tantùm in *Maiestate*. Verùm quæ hæc virtus? An alia, quàm qua præditus fuit in corpore mortali? aut tum maior, quàm in mortali corpore? Nõ minus omnipotens fuit Christus, in vtero matris existens: non minus editus in lucem: non minus actus in crucem; quàm erit in *nubibus cũ maiestate* refulgens. Semper nomen eius Omnipotens. 43.

Tribus tamen modis, in *virtute venire & videri*, bene dicitur. Vnus 44.
est, quòd non in infirmitate veniat, in corpore passibili, & huius vitæ necessitatibus subiecto. *Christus*, inquit Apostolus ad Rom. 6. *resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Tunc *corruptibile induet incorruptionem, & mortale immortalitatem.* 2. Corint. 15. Habebit Dominus Sanctorum, quod habebunt omnes Sancti; de quibus dicitur, Apocalyp. 7. *Non esurient, nec sitient amplius: nec cadet super illos sol, nec vllus æstus.* & cap. 22. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque dolor erit vltra: quæ prima obierunt.*

Secundò in *Virtute venire* dicitur: quia veniet instructus *dote agilitatis*, vt Theolog. vocant. Nullo in aduentu vtetur necessario vehiculo. Meritò. Corpus ipsius non erit *animale*, sed *spirituale*: quemadmodum ab Apostolo dicuntur futura *spiritualia corpora Sanctorum in resurrectione*, quia, scilicet, quò se volent, facilimè propria virtute transferent. Quocirca & ad Christum pertinebit illud Isaiæ 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, vt aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* 45.

Denique in *virtute venire* Dominus dicitur, quia egregiè virtutem 46.
atque potestatem suam tum temporis est demonstraturus. & quidem in *pluribus*: in Angelis, in cælis, in elementis, in bonis, in malis, in nubibus, in passionis insignibus, denique rebus omnibus, quocunque tandem ipsi, in hac Apparitionis pompa sunt ministraturæ;

vt sunt tubæ Angelorum, vox Archangeli, ignes &c.

47. Angeli obstupescent, & quasi attoniti commouebuntur. Id Dominus significat, quando, Matth. 24. docet *Virtutes cælorum commouendas*, teste Origene, Chrysostomo, Beda, Euthymio, Theophilacto. Quamuis alij per *virtutes cælorum* stellas intelligant, alij cardines cæli, qua metaphora firmamentum, & robur cæli accipiunt.

48. Cæli atque elementa resoluentur atque innouabuntur. *Ab eius cõspectu*, inquit, Sanctissimus Ioannes, Apocalyp. 20. *fugit terra & cælũ.* id explicans B. Ambrosius, *quemadmodum*, inquit, *à conspectu sedentis super thronum cælum & terra fugiat, exponit Psalmista, Psal. 49. qui dicit, Ignis in conspectu eius exardescet. & iterum, Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet. Fugiet autem terra & cælum, id est species terræ & cæli; quia per ignem à sua specie commutabuntur, vt possint in aliam reformari, multo & pulchriorem, & meliorem.* ita Ambrosius.

49. Boni singulari voluptate, & lætitia perfundentur. Hanc futuram Dominus significat, inquiens, Lucæ 21. *His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra.* Qui enim mœsto sunt animo, & in afflictionibus; incedunt vultu in terram demisso: quibus verò datur è malis respirandi spes, ij vultum prius c[illegible]issum attollere solent, & fidenti animo ad desideratam anhelare salutem, & redemptionem.

Malos summæ [illegible] p[illegible]hendent angustiæ. hoc est, quod Dominus,
50. Matth. 24. *Plangent* [illegible] *omnes tribus terræ*: mali scilicet, qui præ dolore & pœnitentia, quamuis nimis sera, pectora tundent. *Tribulabuntur tunc homines*, inquit Sophonias, cap. 1. *& ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora: sed & argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: In igne zeli illius deuorabitur omnis terra, quia consummationem, cum festinatione faciet cunctos habitantibus terram.*

In Nubibus quoque Domini virtus demonstrabitur: & quidem
51. duobus modis: primò quòd Domino famulabuntur, & obsequium præstabunt, quemadmodum dictum: secundò, quod egregium lumen ex claritate corporis Christi accipient. Nam & hæ, vt illa in Transfiguratione Thaborina, omne propemodum, quod habebũt, ex Dominico corpore lumen accipient.

52. Denique virtus eius in Cruce clarebit, quam in illa Apparitione multo magis reddet gloriosam Dominus, quàm vnquam, apud quascunq; gentes fuit ignominiosa. Atque hæc hìc breuiter de Domini *Virtute*, fusius eam persequemur, quando quæ cum dominica Apparitione fuerint coniuncta, explicabuntur, atque illa etiam quæ immediatè ipsam sunt præcessura.

Quo situ Dominus in Iudiciaria Apparitione conspiciendus.

Situs quoque Domini sub mortalium oculos veniet, in illa Appari- 53.
tione. Nec mirum, quia sine situ videri non potest. *Sessurus autem est.* *Cùm venerit*, inquit ipsus, Matth. 25. *Filius hominis in maiestate sua, sedebit super sedem maiestatis suæ.* & Apostolus, 2. Corinth. 5. *Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi.* & ad Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, & Dauid, Psal. 96. *Iustitia & iudicium correctio sedis eius.* & Ioel. 3. *Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes.* & Malachias 3. *Ecce venit, dicit Dominus exercituū, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum: & purgabit filios Leui, &c.* Deniq; de Christi iudicantis maiestate loquens Ioannes Apocalyp. 20. *Vidi*, inquit, *Thronū magnum, candidum, & sedentem super eum.*

Et meritò *sedebit* potius, quàm stabit Christus. tum quia vt Do- 54.
minus veniet, non seruus; tum quia veniet vt iudex; quibus magis, vt sedeant, conuenit, quàm vt stent. Et, de Dominis res certa est. *Quis vestrūm*, inquit Dominus, Lucæ 17. *Habens seruum arantem aut pascentē boues, qui regresso de agro dicat illi: Statim trāsi, recumbe: & non dicit ei, Para quod cœnem: & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibam?* De Iudicibus exempla plura suggerunt sacræ literæ. De Moyse, *quòd sederit ad iudicandum populos*, dicitur Exodi 18. Sic Iudicum 5. dicuntur *sedere Iudices*: & qui iudicârūt in causa Booz decem Iudices, *sederunt*, vt habetur Ruth 4. Sic Daniel *sedit*, quando sententiam tulit in senes adulteros, Daniel. 13. Et prouerb. 20. Rex dicitur *sedere in solio iudicij. Sederunt quoque pro tribunali* Caiphas, Pilatus, Herodes, & Festus: primus & secundus in causa Christi, Matth. 27. tertius in causa Tyriorum & Sidoniorū, Actuum 12. quartus in causa Pauli, Actuū 25. quemadmodum in eiusdem causa Princeps Sacerdotū, Actuum 23. Denique de Apostolis, quia aliquando venient iudicaturi duodecim tribus Israel, dicitur, *Sedebitis super duodecim sedes iudicātes duodecim tribus Israel.* Sessio autem eius etiam insinuat, eum magna cum quiete & tranquillitate iudicaturū. Atq; hoc est quod in c. 12. Sapiētiæ dicitur; *Tu autem dominator omniū, cum tranquillitate omnia iudicas.*

Quocirca quod Isaiæ 3. dicitur, *Dominus ad iudicium veniet, cum senioribus populi, & principibus eius; stat ad iudicandum Dominus; & stat ad* 55.
iudicandum populos; si ad hanc Apparitionem pertinet, impropriam habet significationem; vultque Propheta non tam indicare situm Domini venturi, quàm certitudinem Iudicij, promptumque Iudicis ad irreuocabilem sententiam proferendam animum. Itaque idē Prophetæ hoc loco est *stare*, quod Sophoniæ, 1. cap. *consummationem cum festinatione facere.*

 Hinc

56. Hinc non probatur, quod Origenes, quæ de *sede Domini* dicuntur, secundùm metaphoram velit accipi. Verba ipsius sunt, Tract. 34. in Matth. *De sede gloriæ eius, inquit, quid est dicendum? Putas, quia corporale subsellium erit? An etiam hoc opus habet interpretatione subtiliori? Propterea qui vult omnia rationabiliter intelligere, multam sapientiam inueniet in istis.* & infra: *Sedes autem eius, aut quædam perfectiores Sanctorum dicuntur, de quibus scriptum est: quoniam illic sederunt sedes in iudicio; aut quædam virtutes Angelicæ: de quibus dicitur, siue Sedes, siue Dominationes.*

57. Nec probatur omnino, quod Iansenius habet, cap. 100. suæ Concord. *Non,* inquit, *dicitur sessurus Dominus in iudicio, ob corporalem sessionem, sed huiusmodi tropo significatur iudiciaria eius auctoritas. vt sit sensus: cùm sederit in sede maiestatis suæ, hoc est, cùm se cum gloria & maiestate magna Iudicem omnium exhibebit. Sic & postea dicitur cap. 24. Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, id est, tunc in ipsis Nubibus se omnium Iudicem gloriosè exhibebit.* Ita Iansenius. Non probatur hîc, quemadmodum nec prior, Origenis, sententia: illa non, ob rationem superius datam: Origenis non; quoniam vt reliqua signis sensibilibus in Apparitione sunt peragenda, ita quoque sua Domino sensibilis tribuēda sedes & tribunal.

Quæ sedes Domino in Iudicio: & qualis quantaue ipsa: quæque eius materia, forma, artifex, &c.

58. Sed qualis hæc sedes? ex qua materia? quanta item? quæ ipsius forma? quorum manibus fabricanda? vnde, & per quos aduehenda? vbi collocanda? quorum opera sustentanda? vbi, postquam Domino seruiuit, reponenda? Hæc inquiramus.

59. Qualis, qualis sit hæc sedes, omnino necessarium sit *magnificentissima.* quoniam & aliàs, quando sedere Deus dicitur, magnifica admodum sedes ipsi tribuitur. *Sedes mihi cælum,* loquitur ipse, Isaiæ 66. *terra autem scabellū pedum meorum.* Rursus, *quoties super Cherubim sedere dicitur?* vide cap. 9. lib. 2. Apparit. vet. Testam. Et qui inter Angelicos choros tertij sunt ordine, nónne Dei sunt *Throni & sedes?* Sic in magnifica sede Dominum sedentem vidit Isaias: *Vidi,* inquit, cap. 6. *Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* & cap. 63. idem Propheta tribuit Domino *solium gloriæ.* Nec mirum, quòd magnificam sedem hîc Dominus habeat, vbi maiestatis plena sunt omnia: vbi tot millia Sanctorum in maiestate: vbi causa totius mundi discutienda & finienda.

60. Qualis ergo erit? Erit sedes *Maiestatis;* erit *candida:* erit *flamma ignis.* His, nisi fallor, *qualitas* sedis exprimitur. primum Dominus indicat,

indicat, cùm dicit Matth. 24. *Filius hominis sedebit super sedem Maiestatis suæ.* secundum Euangelista Ioannes, Apocalyp. 26. *Vidi*, inquit, *Thronum candidum.* tertium Daniel, cap. 7. *Thronus*, dicens, *flamma ignis.* Sunt qui mysticè hæc exponant, quasi *Thronus siue sedes Maiestatis*, dicitur propterea, quòd Dominus tunc se gloriosè exhibebit: & *Candida* propter innocentiã sedentis in ipsa: & *flamma ignis*, ob quinque res, quas denotat, quarum duæ insinuantur in claritate flammæ, tres in ardore eiusdem. *Claritas*, inquiũt, *ostendit primùm, omnia de quibus iudicium est facturus Christus Deus, futura ipsi clarissima; nec eundem in iudicando errare posse. deinde, idem iudicium non fore occultum. Ardor verò indicat primùm Deum venturum ad iudicandum homines, nõ hominum odio, aut vindictæ desiderio; sed ardore amoris, quo veritatem & iustitiam amat. deinde quanta iudicij sit efficacitas, vt cuius executio nullo modo posit impediri. Denique quàm diuersi sint exitus iudicandorum. Nam vt ignis aurũ reddit purius & illustrius, paleam verò denigrat, adurit & consumit: sic in illo iudicio, summa bonis claritas & gloria accedet: improbi verò incredibili cum probro & ignominia ad sempiternas inferni pœnas relegabuntur.* Ita quidem mysticè quidam hæc exponunt. Verùm vt hos non damnamus, ita etiam existimamus verè intelligi *externam sedem*, quæ Domini corpus excipiet, & in intuentium oculos veniet, *Maiestatis* esse, & *Candidam* futuram & *flammam ignis*.

Et hæc *maiestatis* dicetur, duplici ex causa; aut quia magna erit 62. maiestas sedentis in illa; aut etiam, quia ipsa sedes suam maiestatem habebit. *Candida* verò non à candore sedentis in ipsa, sed à proprio sedi inhærente, quemadmodum & *flamma ignis*, à claritate interna.

Nec mirum priori modo, à Domini maiestate, sedem dici *Maiestatis.* sic siquidem sedes & Regia, & Regis dicitur à Rege, qui in ipsa residet, phrasi in Scripturis vsitatissima. Quam verò hoc nomine hæc bene *Maiestatis* dici potest? in qua suprema Maiestas est sessura? Dominus maiestatis omnis?

Melius tamen *Maiestatis* dicitur à maiestate propria, sed intrin- 63. seca & inhærente. Et quæ illa? Suspicor insinuari, partim ab Euangelista Ioanne, partim à propheta Daniele. A Ioanne, in *candore*, Apocalyp. 20. à Daniele, in *flamma ignis*, c. 7. & vtroque exprimi vnam eandemque qualitatem, insignem, scilicet, lucem; quam, quod summa futura sit, Daniel non congruè vocet *flammã ignis*: quo sensu & *columnam ignis* vocat Moyses Nubem, quæ populo Israelitico Dux itineris fuit per noctem. Exod. 13. 14. &c.

Candidissima igitur siue *splendens & fulgens* Domini iudicantis 64. sedes erit: sicut & candida eiusdem vestimenta in Apparitione Thaborina

borina fuerunt. Quocirca vt hic candor ſedis, Domini veſtibus reſpondet; ita ſplendor & lux corporis, ſplendori & luci corporis in Apparitione Thaborina.

65. Et candorem quamuis in ſe Sedes habitura ſit: *ex ſe* tamen non eſt habitura; & (ſi aliquem) certè non omnem, quem habitura eſt. Ex ſplendore corporis ſedentes, in ſedẽ deriuabitur plurimus, quẽadmodum deriuatus corporis Dominici ſplẽdor in Dominica veſtimenta, quando in monte Thabor transfiguratus eſt Dominus: de quo aliâs.

66. Ex dictis, quodam modo, quę ſedis Domini *materia*, ſiue *quæ ſedes* futura ſit, conijcere licebit. Ea debet eſſe, quæ claritatis, ſiue candoris ſit capax: & quidem ita capax, vt ſub mortalium aſpectum poſſit venire. Ergo ſedem Domino hîc non præbebunt Cherubim atq; Throni, ſuper quos ſępius Deus ſedere dicitur: quia Spiritus illi ſũt, & nec candoris capaces, nec ſub mortalium cõſpectum poſſunt venire. Nec præbebunt Cæli, qui quamuis ſunt corporei & lucis capaces, aſpectum tamen noſtrum fugiunt. Neque aër aut elementum ignis, quæ & ipſa non conſpiciuntur. De inferioribus elementis non eſt ſuſpicio: quia quamuis cãdoris ſint capacia, quia tamen eo loco, vbi conſpiciendus eſt Dominus, non inueniuntur; nec vt inueniantur eſt neceſſe, Dominicum Thronum non præbebunt.

67. Sedem Domino præbebit *Nubes*. & illa ipſa Nubes; quę ex cælo venientem primùm excipiet, ſed mox hominibus offeret. Illa corporea eſt. illa ſub hominum aſpectum veniet. illa luminis atq; ſplẽdoris eſt capaciſsima, quemadmodum & cuiuſcunque formæ, quibus Deo hîc, & in quibuſcunque rebus alijs poteſt ſeruire. Hanc ſedem omnino indicat Dominus, quando dicit *Filium hominis venturũ in Nubibus*. Hanc diſertis verbis expreſsit in Apocal. Ioannes, cap. 14. quando: *Et vidi*, inquit, *& ecce Nubem candidam, & ſuper Nubem ſedentem ſimilem filio hominis habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam*. Vbi de extremo iudicio loqui Apoſtolum indicat falx in manu Iudicis Chriſti.

68. *Quanta* verò erit Domini Sedes? *Magnam* futuram indicat ſanctiſſimus Ioannes. *Vidi*, inquit, *Thronum magnum*. Sed quid opus magno? An forſitan maior tum Chriſtus, quàm quando conſcendit cælos? Non erit maior. Quemadmodum idem Chriſtus, ita tantus Chriſtus & *Sicut vidiſtis eum aſcendentẽ in cælum*, inquiũt Angeli, ita veniet. Addo: *quantũ* vidiſtis eum aſcendẽtem in cælũ, *tantus* veniet. *Filij huius ſæculi*, loquitur Dominus, apud Lucam, cap. 20. *nubunt & traduntur ad nuptias. Illi verò, qui digni habebuntur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis,*

nis,neque nubunt, neq; ducunt vxores, neque vltra mori poterunt, (addo) nec crescere,nec decrescere In quantam,Deus bone,molem crescerent,qui in omnem æternitatem crescerent?

Veruntamen nō malè *magna* Domini sedes, & Thronus dicitur, quia illum excipiet,qui dixit,*Cælum & terram impleo* (secundùm diuinitatem) Ierem. 23. & alibi, Isaiæ 66.*sedes cælum,& terra scabellum pedum eius*.Deinde etiam propterea, quia plures Nubes Domino hic seruient, quamuis vna aliqua etiā minima hic Domino sufficeret. Atque hoc est,quòd in *Nubibus* Dominus venire dicitur. Sed & magnus Thronus Domini,ob splendorem atque excellentiam, cuius superius mentionem fecimus. 69.

Formam sedis aliquis suspicabitur talem futuram,qualis olim Regum fuit & principum.Describitur enim Danielis,7. Thronus Dei, suppositis rotis,mobilibus & versatilibus, quales Regum Throni memorantur fuisse.*Thronus eius*, inquit Daniel,*flamma ignis, rotæ eius ignis accensus*. sed non hoc vult propheta: nec Christi iudicantis ibi Thronus describitur.sed Dei mūdum gubernantis. & similitudine *rotarum* significatur Deum ita sedere in Throno immobilem secūdum suam naturam,vt secundùm rotas tamen suæ potestatis & efficacitatis,per omnia,quæcunq; cælo terraque continentur, celerrimè percurrat & permeet.Nam & in li.Sapientiæ,c.7.traditur, *omnibus mobilibus mobiliorem esse sapientiam*. Rotæ finguntur *igneæ*,propter vim & efficaciam potentiæ ac voluntatis Dei, cui obsisti nequaquam potest. 70.

Formam sedium Regum,aut earum, quæ apud nos sunt, Sedes Domini non habebit. Quid enim hac, vel simili opus? Ipsa Nubes, quæ sedis officium præstat, nubis formā retinebit: veruntamen ita composita,vt sedis officium præstare meritò dici posit. Suspicor ea forma Dominum sedentem in sede, in nube offerendum quàm in extremi Iudicij imagine pictores exprimunt. 71.

Hinc sequitur Nubem non totum Dominum inuoluturam, quādo pro tribunali apparebit,iudicaturus orbem terrarum.An fortè sic officium Sedis subire dici poterit? Quo modo etiam Iudicem sium iudicandi videbunt?*In carne mea*,inquit Iob,cap.19. *videbo Saluatorem meum*.cum Iob idem dicere potest, quicunque tribunali Domini sistetur,id est,omnis homo. 72.

Sequitur & illud,quod quę Nubes primùm Dominum venientem ex cælo excipiet, illa, vbi ad locum, vbi pro tribunali Dominus sessurus est,peruentum erit,aliam sit formam, quasi indutura, Sedis scilicet;quam non necesse est habeat, quando Dominum primùm 73.

mùm excipiet. Pro ratione officij, huius & illius, alia erit atque alia forma Nubis.

74. Formam hanc pro voluntate Domini sedes accipiet: verumtamẽ Angelorum ministerio. Hi, vt in hac Apparitione, pluribus in rebus, ita in Dei sede efformanda operam promptisimam præstabũt. Hic maximè probabunt, quod sint *Administratorij Spiritus*, quales eosdem vocat Apostolus Paulus Heb. 1.

75. Præbebunt etiam operam in hac Domini sede aduehenda. quia vndecunque tandem nubes sessoria aduehenda est. Angelorum opera aduehetur. quanquam tum primùm formam (qualem qualẽ) sedis accipiet, quando ad locum, vbi pro Tribunal Dominus est sessurus, ventum fuerit.

76. *Collocabitur verò*, vbi Dominus sedens, conspici commodè poterit, quoniam necesse est, vt ab omnibus videatur, quemadmodum postea dicetur. Quocirca non in terra locus ipsius erit, quia hic nullus Dominum conspiciendum præbere potest. Nec in cælis, ob causam eandem. *In aêre* supra nos, quia Dominus conspici potest, & cõmodè potest, Sedes collocabitur, in aêre sedebit Dominus.

77. Hic etiam Angelorum opera erit sustẽtanda, vt firma consistat, nec hinc inde, more reliquarum nubium, diffluat; sursum rapiatur aut deorsum, antequam officium suum expleuerit. An fortè hoc pictores insinuant, dum nubem, sedem dominicam Angelis fulciũt?

78. Sedem hanc Dominus, rursus cælum repetens, secum non deferet. Relinquet quo loco sedis officium præstitit. sed non sub eadem forma. quid quod nec sub eadem naturæ conditione? In elementa transibit. Nulla nubium officia post extremum iudicij diem: nullæ igitur tum nubes. natura atq; Deus nihil faciunt frustra.

79. Hæc de Sede atque sedente. Hæc, quæ sub mortalium aspectum venient, in gloriosa Domini Apparitione. Plura videbuntur: sed ad alium locum pertinent. hic tantùm speculamur Dominum. Duo tantum hic restant explicanda, A quibusnam Dominus videndus sit: deinde quamdiu se videndum exhibiturus. Vtrumque breuissimè expediendum.

A quibus Dominus in iudiciaria sede residens, sit conspiciendus.

80. A *quibus* igitur videbitur? Dubium non est de *bonis*. Ad illos pertinet illud; *His autem fieri incipientibus, leuate capita vestra*. Horum quilibet cum Sancto Iob dicere potest. *Scio, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* De malis & improbis idcirco

foritan-

forsitan quis hærebit animo, quod pars quædam felicitatis videatur, Dominum & corporalibus oculis intueri, quemadmodum idē Iob insinuat, dum mox, post dicta, subiungit, cap. 19. *Reposita est hæc spes in sinu meo.* quo facit & illud, Matth. 13 *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* & quid nisi felicitatis pars est Christum in gloria intueri, si summo loco ponat B. Chrysostomus, & magno desiderio expetat *circumuolui corpori Pauli, affigi eius sepulchro, videre puluerem corporis illius, qua adhuc in Christo deerant adimplentis? stigmata illius gestantis?* vide Chrysostomum in epist. ad Rom.

Sed tamen etiam à *malis* Dominus videbitur. Mali erant, quibus Dominus loquebatur Matth. 26. *Amodò videbitis filium hominis sedentē à dextris virtutis Dei.* Mali, qui Domino vulnera inflixerunt, de quibus Propheta Zach. 12. *Aspicient ad quem confixerunt:* & Ioannes in Apocaly. *Videbunt eum, qui eum pupugerunt.* Et qui dicit *omnes* comparaturos ante Christi Tribunal, Apostolus Paulus, 2. Corinth. 5. non solùm bonos intelligit, verùm etiam malos. Denique Ioannes 1. Apo. videbit, inquit, eum omnis oculus. 81.

Nec hinc voluptatē capient mali. Ipsorum hoc probat oratio, qua dicent montibus, *Cadite super nos, abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.* Apocal. 6. Visio hæc tristitiam afferet & indignationem. tristitiam, quòd tanto bono in æternum sint priuati: indignationem, quòd à Christo, quem conspicient, mox in perpetuū damnandi. Quanta voluptas est summo bono perfrui, tanta miseria summo bono priuari. 82.

Quanto tempore Dominus in iudicio conspiciendus.

Longo verò *tempore* Dominus videndus non est. forsitan hoc insinuat Apostolus, in 15. primæ ad Corinth. sic loquens. *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, & mortui surgent incorrupti, & nos immutabimur.* Fortè & Dominus iudicat, quando aduentum suum comparat *fulguri, quod exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem.* Neque in illo tantùm significatur, quòd aduentus Domini subitus futurus sit, & inexspectatus, vt subitò emicare solet fulgur: aut splendidus atque illustris, vt fulgur; verùm etiam, quòd quemadmodum illud mox disparet, ita mox ex iudicandorum oculis sit subtrahendus Iudex Christus. Nec hoc malè. Quid opus eius diuturna præsentia? Appariturus est, vt iudicet mundum: Iudicium breuissimo tempore absoluetur: (hoc postea docebitur) breuissimo igitur tempore se spectandum præbebit Dominus. 83.

Quæ in orationem atq; sermonem iudicantis Domini possunt venire.

Hactenus de obiecto *Visus* in Apparitione Domini Iudiciaria. 84.

Auditus quoque, vt diximus hîc suas habebit functiones. Dominus Iudex nô videndus tantum, verum etiam audiendus est. Sed *plures* hîc sunt difficultates. Primum enim videri potest frustra in hac Domini Apparitione sermonem à Domino instituendum; quod qualiscunque sit, ab omnibus præsentibus audiri ille non possit. Deinde dici forsitan posset, quod, si quis futurus est, per Angelos illum fieri posse. Dici præterea, nullum necessarium argumentum huius sermonis futurum, quod præsentes æquitatem Iudicis ferendæq; sententiæ norint, etiam ipso tacente. Denique difficulter dicitur, quo idiomate vsurus sit Dominus, quod ab omnibus posit intelligi. Hæc omnia difficilia. Dicimus quod possumus, saluo semper melius scientium iudicio.

85. Igitur principio dubium non est, quin certiores simus de Christi iudicaturi visione & apparitione, quàm auditione & locutione. Quod videndus; ita disertis verbis in Scripturis docetur, vt citra notam hæresis contrarium sentire nemo posit: at qui negaret audiendum; aut externa voce locuturum, forsitan non statim hæreseos damnabitur.

86. Deinde nec illud dubium, Domini *externam* orationem, atq; vocem prorsus necessariam non esse. Quorsum enim? An, vt ad tribunal citet & euocet mortales? Angelorum hoc munus erit. An, vt causas discutiat, & singulorum merita, facto examine, cognoscat? At nouit omnium ab omni æternitate. An, vt improbos ingratitudinis & impietatis arguat? Propria eos nimium arguet conscientia. An, vt probis afferat consolationem? quid opus in totius mundi præsentia. Fortè tam hi, quàm illi, de quibusdã rebus tum sunt instruendi? De quibus verò? Improbi omni instructione indigni: probi quæ ipsis necessaria, perfectisimè imbuti. Fortè sermo necessarius, vt sentẽtia in mortales feratur? At iam norunt singuli in se ferendam sentẽtiam.

87. Eodem modo dubium non est, quin Angelorum voce omnis, qui tunc esse potest, sermo posit perfici. Quoties per Angelos locutus Deus Patribus veteris Testamenti? Sed tamen *proprio ore*, vt ita dicam, hîc, non Angelorum loquetur Dominus: quemadmodum & in propria persona est appariturus, & in propria persona iudicii executurus.

Vocalem aliquam orationem ex ore Domini in iudicio esse profecturam.

88. Sine *oratione* igitur *propria* Iudicium non perficietur. Ipse, qui apparebit, loquetur. Ipse lingua corporea loquetur. Bene profectò.

Qua

Cùm enim *sensibilibus ignis* perficiantur reliqua in hac Iudiciaria Apparitione, cur Iudicis *vox exterior*, quæ inprimis videtur necessaria, desiderabitur? Maius fortaßis pro hac argumentum ex 25. capite Matthæi peti posset; vbi sic Dominus: *Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua &c. statuet oues à dextris suis, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt, Venite benedicti Patris mei &c.* & paulo post. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt, Discedite, &c.*

An & à quibus oratio audienda in Iudicio.

Quia verò loquetur Dominus in sede maiestatis sedens, etiam à subiectis mortalibus *audietur*. & quia lingua corporea loquetur, aurib' corporeis audietur, vt quid enim opus voce & oratione; si, qui loquentem audiat, sit nullus? Non nobis nostra voce seruimus, sed alijs, vox & oratio sunt indicia cordium & cogitationũ: has norunt suas singuli. *scit spiritus hominis, quid sit in homine.* 1. Cor. 2. sed quia illas ignorant alij, verbis atque orationibus, quando volumus, easdẽ alijs aperimus. 89.

Et ab *omnibus* audietur loquens Dominus. quia omnibus loquetur Dominus, & omnes volet audire: & vt audiant, omnium interest. Neq; enim est, quod his potius, quàm illis, volet loqui. Neq; horum interest, illorum minimè. Ergo, quemadmodum omnibus se spectandum est exhibiturus, ita vocem suam ad omnium aures faciet perferri. 90.

Nec obstat huic tanta hominum multitudo, quantam mens capere nequit. *Dabit Dominus voci suæ vocẽ virtutis. Erit vox Domini in magnificentia. Vox Domini,* inquit Propheta, Psal. 28. *confringentis cedros, & cõfringet Dominus cedros Libani. Vox Domini intercidentis flammã ignis. Vox Domini concutientis desertum,* &c. Nouit Dominus assumere vocem Leonis, Isaiæ 5. Nouit clamare more parturientium, Isaiæ 42. 91.

Quàm diuturna futura oratio Domini apparentis in Iudicio.

Diuturna verò oratiò Domini loquentis non erit. Quid mirum? Non diuturna Apparitio: & cum ipsa, imò ante ipsam absoluetur. Apparitionem verò idcirco non oportebit esse diuturnam, quod Iudicium, cuius causa est Apparitio, breui admodum tempore sit perficiendum. Atque hoc, vt diximus, insinuatur verbis illis Christi, Matth. 24. *Sicut exit fulgur ab Oriente, & paret vsq; in Occidentem, sic erit aduentus filij hominis.* Facit quoque ad hoc illud, apud Malachi. 3. *Ero testis velox maledicis, adulteris, &c.* vt bene notauit B. Augustinus, 20. de Ciuitate Dei, cap 26. 92.

Quanto porrò tempore durabit oratio? (atque ipsum Iudiciũ?) 93. Incertum id est, Optimè B. Augustinus, 20. de Ciuit. cap. 1. *Per quot*

 dies,

dies, inquit, *Iudicium tendatur incertum est*. Verùm de hac re in sequẽtibus, quando de altera Circunstantia Iudiciariæ Apparitionibus agetur.

94. Quamuis verò incertum, tam tempus Iudicij, quam orationis, id tamen certum non *momento* atque *instanti* absolutum iri. Tam celebris Christi actio, & oratio, vt annis antè prædicta & exspectata, in qua tãta cum maiestate prodibit, vno momento absoluetur? simul quasi esse incipiet, & esse desinet? Necessarium hîc erit, quemadmodum postea docebitur vt omnes omnium norint peccata & merita; an vno momento id fiet? Denique ipsa loquutio, & oratio vocalis, omnino tempus aliquod requirit.

95. Sic certum non integra die continuatum iri. Quocirca quòd *dies Iudicij* illud tempus dicatur, non significat 24. vel 12. horarum spacio peragendum, sed tempus tantùm quo peragendum: quo modo & *dies natiuitatis* vocamus, quamuis natiuitas non integrum diem requirat, & dies mortis, quamuis in instanti anima corpus relinquat, id est, homo moriatur. *Scripturarum sanctarum more*, inquit B. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 1. *diem solere poni pro tempore, nemo qui illas literas, quamlibet negligenter legerit, nescit*.

96. Ex temporis angustia & breuitate facilè colligitur quantitas argumenti orationis & sermonis Domini apparentis. Quantum igitur & quale erit? quid in orationem Domini veniet? Difficulter dixeris. Dixeris bene, non singulorum causam verbotenus examinãdam, non in singulos per se sententiam proferebant: quanto enim hîc opus tempore? Dixeris bene, non ferendã sententiã verbotenus in omnes primùm infideles, tum discutienda singulorum fidelium merita, prius, quàm & ipsi sententiam accipiant. Nam & hîc longiore tempore opus est. An saltem improborum instituetur reprehensio, & proborum commendatio; ita, scilicet, vt vtrisque sua, cũ laude, & vituperatione in memoriam reuocentur opera; illis bona, his mala? Nõ video cur hoc necesse; vbi & improbi proborum merita, & non tantùm sua demerita; & probi improborum cognoscẽt delicta, & non tantùm sua merita. vbi & hos conscientia boni operis erigit atque consolatur; & illos conscientia mali operis confundit atque damnat.

Quodnam argumentum, & quæ materia orationis Christi in iudicio.

97. Sunt qui auditum existimant iri colloquium Domini cum iudicandis, quod Matth. 25. describitur: quo post meritorum enarrationem, *illi qui à dextris erunt vocantur ad possidendum Regnum cælestis Patris*;

tris;& qui à sinistris iubentur discedere in ignem æternum. Damnare sententiam non audemus;quia temeritatis arguantur à quibusdam,qui contrarium asserunt. Sed tamen quæri potest, ab huius sententiæ assertoribus, An censeant omnino responsionem, proborum & improborum externa voce Domino dandam? Et si danda; Omniumne impiorum vna vox erit dicentium, *Quando te vidimus esurientem?* & vna omnium proborum: *Quando te vidimus?* &c. aut si non omnium vna; an ex omnibus improbis vnus prodibit, qui omnium nomine loquetur: & vnus ex proborum numero? Quod si horum neutrum vix dici potest, non video cur temeritatis argui poßit contrarium sentiens.

Deinde, vt de improbis taceam, quomodo probis hæc oratio tribui potest, *Domine, quando te vidimus esurientem? sitientem? nudum? in carcere?* &c. An fortè possunt ignorare, quid in hac vita fecerint? & possunt interpellare loquentem Dominum? hoc non permittit honestas: illud prohibet felicitas, qua perfruentur pleniſsima, quãdo coram Domino in iudicio stabunt. 98.

Præterea, cur misericordiæ tantùm opera prædicaturus est Dominus in bonis, & non alia? quæ cum his comparanda, aut etiam aliquando prẹferenda? Cur in reprobis tantùm damnaturus inhumanitatem, & cordis duritiem, qua miseris non sunt compaßi? non autem homicidia, adulteria, fornicationes, furta, infidelitatẽ, blasphemias? quæ non minus, imò magis quandoq; diuinam clementiam offendunt? 99.

Rursus, ad omnesne, qui à dextris sunt, hæc Domini oratio dirigetur, *Esuriui, & dedistis mihi manducare?* &c. An fortè hi omnes in operibus misericordiæ probè exercitati? Et ad omnesne, qui à sinistris, contraria, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare?* An omnes hi in proximos fuerunt crudeles? nulli misericordes? Non dubito quin & ad cælos quidam euocandi sint, qui pauperibus indigentibus nõ subuenerunt: & ad infernum quidam relegandi, qui in operibus misericordiæ excelluerunt. 100.

Sed nec necesse est, vt horum operum præ cæteris singularis fiat mentio à Domino: quia & impijs nota erunt sua crudelia viscera, arguente ipsos sua ipsorum propria conscientia; atque proborum misericordia, etiam Domino tacente: & probis sua misericordia, testimonium ipsis perhibente propria conscientia; atque improborum duritia, quamuis etiam nullam ipsius Dominus faciat mentionem. *Dies Domini,* inquit, Apostolus, 1. Corinth. 4. *omnia reuelabit.* quomodo; dicetur aliàs. 101.

Exempli

102. Exempli igitur causa illa in Iudicio referenda à Domino potest intelligi esse dicta. Vel dicta, vt intelligant Mortales, quo loco apud Christum sit misericordia atque eleemosyna: quàm verè Tobias dixerit, cap. 4. *liberare à morte, nec pati animam ire in tenebras,* siquidem *misericordes misericordiam consequentur,* Matth. 5. Vide de hac re B. Chrysostomum ab hom. 32. vsque ad 37. ad populum Antioch.

103. Sunt alij, qui *aliqua* hominum peccata voce sensibili volunt esse redarguenda; & *aliqua* bona opera prædicanda; absq; mutuo colloquio. ita Richard. in 4. dist. 47. ar. 1. q. 3. Sed & ab his quæri potest, quænam illa peccata? quæ bona opera? Quòd si ad opera misericordiæ præstita, & negata nos reuocent, præcedentes rursus vrgemus difficultates.

104. Cęterùm quamuis de his dubium esse posśit, omnino tamen verisimile voce externa perferendam Domini *vltimam sententiam,* quā his verbis Matthæus ex ore Domini complexus est: *Venite Benedicti Patris mei, percipite paratum vobis Regnum à constitutione mundi, &c, Discedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Ita Franciscus Soarez in 3. par. Tomo 2. Disp. 57. sect. 9 & ante ipsum Anselmus in Elucid. & Tostatus in Matth. 25. q. 333 & Scholastici dist. 47. Et profectò, si quid dicturus est Dominus, quid nisi hoc potuit dicere? aut huic simile? quod etiam paruulos complectetur, de quibus in sequentibus.

105. Vt verò hanc sententiam vel similem proferat, prorsus conuenit. Nam *Iudicis* aget personā in illa Apparitione. Quocirca quemadmodum in Iudicijs, quamuis etiam Rei, quæ ipsos supplicia maneant, bene norint, voce tamen Iudicis rectè ad supplicia damnantur: & Iustis sua bene meritis præmia decernuntur, quamuis de pręmijs sint certi; ita Iudicis Christi voce ad sua supplicia bene damnabuntur Rei, & ad laborum suorū pręmia bene vocabuntur Probi & Iusti.

106. Quod si etiam, *præter Sententiam*, aliquid aliud dicturus est Dominus, id existimo, non ad singulares pertinebit personas; sed ad certos hominum ordines, qui vel ad dextram stabunt, vel ad sinistram. vt ex probis v. g. commendentur misericordes, virgines, Martyres, & qui in similibus studijs fuerint exercitati: ex malis his contrarij. Et hoc Soarez. eadem Disputatione.

Quod idioma orationis Domini in Iudicio.

107. Verùm qua ratione, siue *quo idiomate* in his Dominus vtetur, vt quæ dicit, ab omnibus posśint intelligi? An forsitan tot diuersis, quot diuersorum idiomatum sunt, qui in Iudicio comparebunt?

Nullus

Nullus hoc facilè dixerit. An non hoc, sed vno aliquo idiomate loquetur, quod intelligēt omnes? At quod illud potest esse? Vbi illud potuerunt omnes didicisse? etiam infantes, qui ante vsum rationis hinc discesserunt?

Qui si dicamus vno idiomate sententiam proferendam à Domino, quod quamuis non omnes intelligant, intelligent tamen quid illo significatum velit Dominus. Sic, scilicet, nos bruta animantia sæpe obseruamus percipere, quod volumus, ex pronuntiandi modo, & quibus vtimur cum voce, manuum corporisque symbolis; quamuis reuera, quæ loquamur non intelligāt. Sic & nos sępe quod alij volunt similibus rationibus intelligimus; quamuis verba ipsa, quæ sensa animi exprimant, non intelligamus. *Intelligenti pauca sufficiunt* bene dicitur: & sæpe vultus loquitur, lingua tacente. 108.

Hoc hîc forsitan non incongruè dicitur. Paucissima enim à Domino dicenda sunt; & iam singuli, antequam sententia feratur, nouerunt causæ suæ statum: singulos sua propria cōscientia est vel dānatura vel ad gaudia cælestia erectura; itaque facilè omnes ad primam Domini vocem intelligēt, quid oratione sua velit Dominus: quamuis etiam totam orationem non percipiant: pręsertim, cū prolatam sententiam, *mox* sententiæ executio sit subsecutura; quæ quid verbis sententia significabat, reipsa docebit. 109

Credi tamen rectius potest eo idiomate proferendam sententiam, quod *omnes norint*. Cùm enim possibile hoc sit, & magis cum ratione conueniēs, quid prohibet, cur dicatur? Conueniens esse intelligunt omnes, ne apud multos in vanum proferri videatur Domini oratio. Posse fieri illo authore, per quē facta sunt omnia, nemo ambigit. 110.

Idioma ergo, qua sententia proferetur, omnes intelligēt: & singula, quæ proferentur verba intelligent: & intelligent hi quidem, quia illud olim nouerunt, hanc mortalem adhuc vitam viuentes; illi verò, tum primùm, quādo proferetur sententia, diuinitus instituti: beati ratione suæ conditionis, qua norunt quæ ad statum suum pertinent: damnati ratione infelicis status, ad quem perpetuò cruciandi deputantur. 111.

Verùm quod hoc idioma? Intelligemus, cùm sententiam beati audiemus, nunc, si diuinare licebit, existimamus illud ipsum futurum, cuius vsus præcipuus in cælo inter Sanctos erit: illud, quod primum primi parentes à Deo Opt. Max. sunt edocti; quodque ad hebraicum, si non hebraicum est, proximè accedet. 112.

Examen eorum, quæ appinguntur Christo iudicaturo.

113. Hactenus explicata sunt, quæ de Christo in Iudicio apparituro fides docuit: quæque obseruabunt sensu s. Nunc quæ eidem *Pictores* attribuunt, discutiamus. Omittimus illa quæ iam dicta exprimunt; vt sunt vultus maiestas, vestigia vulnerum, sessio, nubes fulcientes, & similia: alia ab his, quæ tamen ad hæc quodam modo pertinent, explicanda. *Tria* illa sunt precipuè: quorum vnum in Christi corpore notatur, alterum proximè circa corpus, tertium separatum à corpore. Primum est *manuum brachiorumq; compositio.* alterum *vestitus siue habitus*, tertium *gladius atq; oliua* hinc inde ex vtraq; capitis parte. An hæc in iudicaturo Domino, vt pinguntur, obseruabuntur? an nuda tantùm sunt rerum signa? & si signa, quarum quæso rerum? De his breuiter.

Quid significent gladius atq; oliuæ ramus, qui Christo in Iudicio apparenti appinguntur.

114. *Gladius* igitur atq; *oliua* signa sunt tantùm futurorum euentuũ, & Christo Iudici appinguntur; non quòd in extremo Iudicio illa videnda sint; sed vt in hac vita horum intuitu mortales admoueantur, quis Iudicij exitus sit futurus: extrema scilicet supplicia, atq; perpetua solidaq; pax, & tranquillitas: vt ex his imaginibus intelligunt indocti, quod docti legunt Matth. 25. *Ibunt hi in ignem æternum, iusti autem in vitam æternam.*

115. Et supplicia quidem æterna *gladio* denotantur, non nouo, sed in Scripturis modo valde vsitato. Sæpe extrema mala, interneciones, excidia *gladio* indicantur. Exēpli causa possunt esse sequentia. Exod. 18. *Eruit me de gladio Pharaonis.* Deut. 32. *Foris vastabit eũ gladius.* Iob 19. *fugite à facie gladij.* Psal. 62. *tradentur in manus gladij.* Isaiæ 1. *gladius deuorabit vos.* Ieremiæ 9. *Mittam in vos gladium.* Lucæ 2. *tuam animam pertransibit gladius*, & Dominus in illo Pentametro Matth. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium, &c.*

116. Sic *oliua* pacis securitatisq; symbolũ est, & partæ victoriæ. quocirca quando pax terræ, post cataclysmum, est restituta, nō sine diuina dispensatione eandem columba *oliuæ ramo* est testata. Omitto profana, quòd in nummis Romani Imperatores *oliua* se pacis authores demōstrauerint: & illud Maronis, *Paciferaq; manu ramum prætendit Oliuæ.* Vide Perierium Valerium. in Hierog. &c.

117. Et profectò iustissima signa rerum grauissimarum signa. Quia iudicandorum quosdam extrema supplicia; quosdam extrema pax sequetur. Improbos supplicia, probos pax. Quanta verò? felices nimia, qua perfruentur, pax: miseros nimia, quæ sentient supplicia.

118. De supplicijs ita Sanctissimus Ioannes, Apocalyp. 20. *Pars illorũ*

(damnato-

(damnatorum) *erit in stagno ardenti igne & sulphure.* & cap. 24. *Cruciabuntur igne & sulphure: & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum: nec habent requiem die ac nocte.* & cap. 9 *quærent mortem, & non inuenient eam: desiderabunt mori, & mors fugiet ab ipsis.*

De pace verò, & omnium bonorum affluentia idem Apostolus, 119. Apoca. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum* (proborũ) *& mors vltra non erit; neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Oculus*, inquit alius Apostolus, raptus aliquando ad tertium cælum, *Oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus his, qui diligunt ipsum.*

Et quia improbi, in quos supplicia ruent, à sinistris, cum hædis, 120. constituuntur, idcirco suppliciorum index *gladius* à Domini sinistris pingitur: & *oliua* index pacis atq; gaudiorũ à dextris, quod dextrum Domini latus obtinebunt cum ouibus probi. quemadmodum Matth. 26. Dominus docet. *Congregabuntur*, inquit, *ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis. & statuet oues quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.* Hæc ratio symbolorum.

Verùm quoniam ex voluntate hominum Domino hæc symbo- 121. la appinguntur, & ad has res significandas assumpta sunt: hinc est, vt, pro hominum etiam voluntate, alia quandoq; ab alijs appingantur, quæ tamen eandem cum his vim significandi habent. Sic qunadoque vipeas pro *gladio* positas *virgas*; pro *ramo oliuæ, lilia*, aliosq; gratissimos flores.

Cur Dominus pingatur eleuata dextra manu & depressa sinistra.

Compositio manuum & brachiorum Domini, quam intuentium ocu- 122. lis offerunt Pictores, qua, scilicet, *altera deprimitur, altera eleuatur*, vtrũ omnino talis in Iudicio futura sit, nemo certò affirmarit, quia vt inæqualis eorum potest esse situs, ita & æqualis, vt neutra manus altera sit elatior.

Posterior hæc compositio melius seruit vulneribus Domini de- 123. monstrandis; quæ procul dubio conspicienda exhibebuntur: Prior sententię ferendę est accommodatior. Quoniam enim, dum loquimur, sæpe manuum motu, quod dicimus, quasi exprimimus, potest intelligi quoque Dominus, dum bonos ad cælum vocat, illos ad inferos relegat, hoc manibus demonstrare.

Hinc pulchrè dextra ipsius erecta pingitur, sinistra depressa. quia, 124. scilicet,

scilicet, qui à dextris erunt euocabuntur, ad cęlum gratissima voce, *Venite benedicti Patris, percipite Regnum*, & qui à sinistris, damnabuntur ad infernum, voce omnium luctuosissima, *Discedite à me maledicti.*

Quali habitu Dominus in Iudicio prodibit, & quæ ratio eius, quem pictores ipsi appingunt.

125. *Habitus* Domino etiam appingitur: & quidem *rubeus*: verùm, non qui totum corpus tegat, sed corporis partem tantùm: & non illam, vbi sedem suam habent cicatrices, sed alias. Quid verò? siccine prodibit & conspicietur Dominus? Et si sic conspiciendus, vnde hic habitus? si non, quæ horum ratio?

126. Nullus Domini *habitus* erit, pręter nubem: nulla vestis. Quorsum enim? An, vt contra iniurias aëris se tueatur? nulla iniuria corpori glorioso potest nocere. An quòd hic ad ornatum Domini faciat? at corpus gloriosum nullo indiget: quolibet est ornatius. An fortè vt verecundiæ consulatur, tam inspiciendi Christi, quàm inspicientiũ mortalium? at nihil turpe, quodúe verecundiam pariat in illo seculo, vbi neque nubunt, neque nubuntur; sed omnes sunt similes Spiritibus, & Angelis. Quot, Deus bone, opus erit vestibus, si quicunq; Domino sunt sisten di; vestiti, & non nudi esse debent? Quemadmodum Dominus in cælo vestitus non erit, quamuis vestitus pingatur: ita neq; de cælo vestitus descendet ad sedem maiestatis suę, quamuis vestitus pingatur & descendere, & in throno sedere.

127. Vestitum ergo Dominum oculis mortalium Pictores obijciũt, vt hominum verecundiæ consulant; non, vt qualis olim venturus sit, demonstrent: sicq; fortè ad se arbitrati sunt pertinere illud Canonis 100. Synodi Trullanæ: *Picturas, quæ oculos perstringunt, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum mouent incendia, nullo modo deinceps imprimi iubemus.*

128. In Domini igitur vestitu, non relinquitur quęstio, quis vestium color futurus sit; multo minus quæ materia: quæ forma: quis artifex. *Coloris* tamen rationem habere debuerunt Pictores; quia, nisi cũ colore, nullam vestem Domino tribuere potuerunt.

129. Et *rubram* tribuunt vestem. Cur non *albam*, quali aliquoties leguntur conspecti Angeli? Matth. 20. & ipse quoque cælestis Pater? Apocalyp. 7. An fortè hic color sanguinis pro nobis effusi est monumentum? at tum & albus potuit seruire, propterea, quod Sanctorum quidam, propter sanguinem, Christi causa effusum, dicantur *dealbasse stolas suas in sanguine agni*, Apoc. 7. Sed suspicor illius Isaię 63. haberi rationem. *Quare Rubrum est indumentum tuum: & vestimenta tua sicut calcantium in torculari.* Hæc enim Angelorum ad Christum cælos repetentem est oratio.

Bene-

Bene quoque illud fit à Pictoribus;vt non totum corpus,sed corporis *partem* tegant:relinquant inspicienda vestigia vulnerum.quia horum debuerunt habere rationem, si veritati rei gerendæ iniuriã noluerunt facere.Scriptum est enim Zach.12. *Adspicient ad quem confixerunt.* Hæc pro Pictoribus. 130.

An spinea Corona redimitus Dominus in Iudicio conspicietur.

Vnum restat examinemus, Vtrum *caput Domini corona spinea redimitum* erit in hac gloriosa Apparitione: Affirmat hoc Hippolitus de Consummatione sęculi,teste Soarez,Tom.2.in 3.part.S.Thomę disp.47.sect.2.Et facilius fortè creditur,quod *Crux* Domini sit producenda;magis autem Dominum *sua corona* videatur decere,regiæ, scilicet,maiestatis argumentum. 131.

Verùm quemadmodum hoc temerè damnare nolumus; ideo vt credamus,vix videmur vrgeri iustis rationibus. præsertim cùm tantum *coronæ* sit silentium in Scripturis:quæ tamẽ expressam Crucis,omniumque,quæ ad Dominici aduentus ornatum faciunt, mẽtionem faciunt:&,procul dubio, *coronam* non præterijssent, si regiũ Christi caput esset exornatura.Deinde si *corona* cõspicietur; cur nõ & *flagella? lanceæ?* aliaque dominicæ passionis insignia? Fortè & contra *coronam* est Angelorum oratio.*Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum. sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*, sine corona videlicet. 132.

Indicia tamen coronæ caput dominicum dabit, quamuis non talia,qualia pectus, manus, pedes vulnerum in Cruce acceptorum. Dabunt qualia Sanctorum corpora referent suorum, quæ hac,vel illa corporis parte sustinuerunt: de quibus B. Augustinus lib.22.de Ciuitate Dei,cap.20.& Ambrosius lib. 10.in Lucam, quòd *triumphi atque gloriæ sint stemmata, & pro Christo passi martyrij gloriosa argumenta.* 133.

Nec mirùm si indicia hæc in Christi corpore sint obseruanda. Nam & magnam ipsi contumeliam atq; contemptum; & acerbum dolorem atque cruciatum *Corona* hæc attulit; & vtroque nomine gloria dignum Christi caput. Ad contemptum faciebat, quòd spinea,pro aurea imponeretur: ad dolorem, quòd ex rhamno fuerit confecta,teste Bellonio,lib.2.Obseruationum,cap.88. De rhamni autem asperitate scribit B.Hieronymus,in cap.3. Abacuc, quòd sit plena sentibus,& hericio similis,& Dioscorides,lib.1.cap.102.quòd ramos ferat rectos & aculeatos in acutę spinæ modum, quæ procul dubio non potuerunt non magnum dolorem capiti, in quo sensus omnes vigent,afferre. 134.

Et hactenus de ipsa Apparitione Iudiciaria,in Nubibus.

CAPVT SECVNDVM.

De Antecedentibus Christi Iudiciariam in Nubibus Apparitionem, & ostenditur:

Varia hæc à Theologis quibusdam & Iudæis assignari. Num. 1.
Certiora esse octodecim, quorum meminit Scriptura. Num. 4.
Omnia reuocari ad duo genera. Num. 6.

In hoc Tractatu esse discutiēda quinque: quæ sunt,
Sonus Tubæ,
Mortuorum Resurrectio,
Vox magna,
Signum filij hominis,
Ignes micantes. Num. 6.

1. APparitionem Iudiciariam, siue Christum in Iudicio apparentem intuiti sumus, & audiuimus, sequitur nunc, vt Antecedentia, Coniuncta, & Consequentia inspiciamus: quæ quemadmodum Apparitionem illustrant, ita ipsorum fidelibus indagatoribus non parum fructus afferunt. Ab *Antecedentibus* principium instituimus.

2. Inter *Antecedentia* S. Thomas in 4. dist. 48. q. 1. c. 4. quæ etiam in Supplemento 3. partis, q. 73. ar. 1. repetuntur, numerat *quindecim antecedentia. Primo die, inquit, maria omnia exaltabuntur quindecim cubitis super montes. Secundo, omnia æquora prosternentur in profundum, ita vt vix videri poterunt. Tertio, redigentur in statum antiquum. Quarto, beluæ omnes, & alia, quæ mouentur in aquis, congregabuntur, & leuabunt capita super pelagus, more contentionis, inuicem mugientes. Quinto, omnia volatilia cæli congregabuntur in campis, inuicem plorantes; non gustantes aliquid, nec bibentes. Sexto, flumina ignea surgent contra firmamentum, ab occasu solis, vsque ad ortum contendentia. Septimo, omnia sydera errantia & fixa, ex se spargent igneas comas sicut cometæ. Octauo, erit magnus terræ motus, vt omnia animalia prosternantur. Nono, omnes plantæ sanguineum dabunt rorem. Decimo, omnes lapides parui & magni diuidentur in quatuor partes, vnaquaq; aliam collidente. Vndecimo, omnes colles, & montes, & ædificia in puluerem redigētur. Duodecimo, omnia iumenta venient ad campos de syluis & montibus, rugientia & nihil gustantia. Decimo tertio, omnia sepulchra ab ortu solis vsque ad occasum patebunt cadaueribus ad resurgendum. Decimo quarto, omnes homines de habitaculis recedent, non intelligentes, neque loquentes, neque discernentes;*

cernentes. Decimo quinto, omnes morientur, & resurgent cum mortuis ante defunctis. Hæc S. Thomas dictis locis.

Eadem recenset, vel potius attingit Eusebius Emyssenus, hom. in Dominicam secundam Aduentus. Et B. Thomas testatur se ex Hieronymo habere. Eusebius, omisso Hieronymi nomine, docet ea referri in Annalibus Iudæorum. Hoc probabilius est. In Hieronymo difficulter inuenies. 5.

Sacræ literę certiora offerunt; quæ pleraque traduntur ab Euangelistis, Matthæo, cap. 24. Marco, cap. 15. Luca, cap. 21. quæ sunt, 1. hæreses: 2. Tyrannorum persecutiones: 3. pręlia & seditiones: 4. pestilētię: 5. fames: 6. terręmotus: 7. prodigia cęlestia: 8. Euangelij per totū orbem prædicatio: 9. discessio à Romano imperio: 10. aduẽtus Antichristi: 11. aduentus duorum, pro Christo, Prophetarum: 12. elemētorum horrenda concussio: 13. omnimoda portenta: 14. clangor tubæ: 15. resurrectio mortuorum: 16. vox magna: 17. signum filij hominis: 18. ignes micantes. 4.

Nos vniuersa in duo genera non malè distinxerimus. quædam enim proximè cum Apparitione Iudiciaria coniuncta sunt: quędam ab eadem sunt remotiora. Prioris generis sunt clangor tubæ, resurrectio mortuorū, vox magna, signum filij hominis, & ignis: posterioris generis reliqua. Inter quæ, alia longo temporis interuallo antecedent, & iam à primordio Ecclesiæ Christianæ contingere cœperunt, vt sunt octo illa prima: quædam aduentum Domini magis accedunt, vt sequentia quinque. Et quoniam de *Apparitione* nostra Disputatio est, posterioribus relictis, quinque tantùm, quæ ad Apparitionem magis pertinent, persequenda hoc loco sunt. A clangore Tubæ ergo initium accipiendum. 5.



CAPVT

CAPVT TERTIVM.

De voce Tubæ, quæ Iudiciariam Christi Apparitionem antecedet, & ostenditur:

1. TVbæ varius vsus fuit in veteri Testamento; partim ex institutione diuina, partim pro hominum voluntate & arbitrio. Præcipuus ferè Num. 10. describitur. In nouo, vt Apocalypticas omittam, vix alius creditur, quàm quem habitura est ante gloriosam Christi in Iudicio Apparitionem; quando, vt Ecclesia cantat:

Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Tubam audiendam esse ante Iudicium.

2. Meminit huius, Christus quidem ipse, sed post Christum Apostolus: ante Christum etiam, vt quidam interpretantur, Prophetæ. Christus, Matt. 24. *Videbunt*, inquit, *Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate. Et mittet Angelos suos, cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius, à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Apostolus Paulus secundò. Nam 1. Corinth. 15. sic loquitur. *In momento, in ictu oculi, in nouissima Tuba, (canet enim Tuba) & mortui surgent incorrupti, & nos immutabimur.* In 1. ad Thessal. 4. *Dominus in iussu & voce Archangeli, & in Tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur,*

primur, simul rapiemur cum illis, in nubibus, obuiam Christo, in aëra. Ante Christum *Tubam* illam denotasse videntur Sophonias, & Zacharias. Ille cap. 1. his verbis, *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ: dies tubæ & clangoris.* Zacharias verò cap. 9. *Dominus Deus super eos videbitur, & exibit vt fulgur, iaculũ eius: & Dominus Deus in Tuba canet, & vadet in turbine Austri.* His addimus Ioëlem, qui cap. 2. de hac *Tuba. Dominus*, inquit, *dedit vocem suam ante faciem exercitus sui. quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum?*

Etiam voces ante Iudicium esse audiendas.

Ex dictis verò locis colligitur non *Tubam* tantùm audiendam; sed *vocem* quoque. & quidem *duplicem*, præter *Tubam*. Vnam Angelorum, qui cum *Tuba* & *voce* dicuntur mittendi, Matth. 24. Alteram Archangeli. Nam 1. Thess. 4. dicitur Dominus descensurus in *voce Archangeli.* 3.

Insinuat aliam adhuc *vocem* Ioël, cap. 2. Domini videlicet: *Dominus*, inquit, *dedit vocem suam ante faciem exercitus sui.* Eiusdem vocis meminit Dominus ipse, Ioan. 5. *Venit hora*, dicitur ibidem, *in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient Vocem Filij Dei: & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala, in resurrectionem Iudicij.* 4.

Voces ergo hæ, si colligantur, *quadruplicem Vocem* dabunt, quæ ad Christi Iudiciariam Apparitionẽ excitantur, & conuocantur Mortales. vnam dicemus *Christi*; alteram *Tubæ*; tertiam *Vocem magnam*; quartam *Archangeli*. Cæterùm, an distinctæ Voces hæ erunt? an vna: quæ ratione diuersorum diuersa sortitur nomina? & *Tuba* fortè dicitur, propter grauitatem soni? *Angelorum atque Archangelorum*, quia ipsorum ministerio formabitur? *Christi*, quia Christo est seruitura? Hoc prius definiamus, antequam singulas discutiamus. 5.

Quæ Christi vox, quam mortui dicuntur audituri.

Christi Domini ergo *Vox*, quam dicuntur audituri, *qui in monumentis sunt*, triplex potest intelligi. Vna imperium ipsius, qua omnes vult venire ad vitam, quod sola voluntate absque vlla externa voce perficitur. possumus vocare *Vocem metaphoricam*. Altera, vox Angeli, qua pro Christi voluntate mortui ad vitam reuocabuntur. dixeris vocem metonimicam. Tertia vox, quam Christus proprio ore formaret, quali vsus in excitatione Lazari, *Propriam* nominare licebit. *Qualis* verò hæc erit? 6.

Sunt, qui tertiam velint: docentque Dominum voce sua, mandata daturum Angelis, vt mortuos sibi, iudicandos sistant: Angelos 7.

verò mox tuba cantaturos, ad cuius sonitum sint reuersuri ad vitam. Ita ex Neotericis non infimæ auctoritatis quidam. Fauet huic fortè oratio Ioëlis, quâ significat *Dominum daturum vocem ante faciem exercitus sui*. sed non ita fauet oratio Christi, qui Vocem filij Dei ad eos, *qui in monumentis* sunt, non ad *Angelos* dicit dirigendam.

8. Melius voce Domini, Domini imperium intelligitur; aut quod maximè probatur, *nouissima Tuba*. propterea, quòd *Tubæ* atque *Vocis* filij Dei idem dicatur officium; excitare, videlicet, mortuos ad vitam. Quocirca *vox Angeli*, siue *Tuba*, vox Domini dicitur; non quia per Dominum danda, aut ore Domini promenda; sed quia danda pro Domini imperio, atque in persona Domini.

9. Quid enim Domino alia voce opus est, sua scilicet propria; cùm Tuba Angeli hîc sufficiat? Quemadmodum Angelorum ministerio cineres mortalium colligendi; ipsi ad Dominum congregandi: ita Angelorum ministerio Tuba excitandi sunt ad vitam. Officium hoc seruorum videtur, & apparitorum; non Domini & Iudicis.

10. Nouum verò non est quòd *Angeli* Tuba & vox, *Domini* vox dicatur. Quàm multa in veteri lege Deo tribuuntur, quæ Angelorum opera & ministerio perficiuntur? Dicitur Deus visus, auditus, locutus, cum hominibus conuersatus, &c. quæ tamen omnia ab Angelis, sed in Dei persona sunt perfecta. Hoc pluribus exemplis demóstratum est in Apparit. Diuin. vet. Test. libro 1.

11. Tres igitur Voces adhuc restant. Tubę vna, quam à voce Domini non distinguimus, Archangeli altera, & tertia, vox magna. An hę saltem re-sunt diuersæ? Crediderim differre *Tubam* atque *Archangeli vocem*: at *vocem magnam* aut non à Tuba, aut certè non à voce Archãgeli diuersam esse.

Tubam esse aliud à voce magna.

12. Et sunt, qui vnam eandemque volunt esse vocem, *Magnam* illam & Tubam. Quocirca quod Dominus, Matth 24. docet *mittendos Angelos cum Tuba & voce Magna*, perinde esse volunt, ac si dicat, *cum Tuba, id est voce magna*: vt coniunctio, *Et*, exegetica sit; quemadmodum non rarò est in Sacris Scripturis. Sic quod Apostolus docet descensurum Dominum in voce *Archangeli, & Tuba Dei*; non distingueret *Vocem* à *Tuba*: sed vocis quantitatem exprimeret. Ita Maldonatus, & plures.

13. Non sine ratione hoc dici videtur: sed nec improbabile *Tubam* à *voce* distingui. Nam & Christus, & Apostolus illa distinguunt. Christus; dum docet Angelos mittendos *cum Tuba & voce magna*, Matth. 24 Apostolus, quando testatur Dominum *de cœlo descensurum in voce Archangeli, & in Tuba*, 1. Thess. 4 qui idcirco etiam secúdo Tubæ mētionem

tionem fecisse videtur, in 1. Corinth. 15. vt scilicet Tubam à voce distingueret. *In nouissima tuba (canet enim tuba) inquit, & mortui resurgēt.*

Esto dictio, *Et*, sæpe sit exegetica: & Sacrarum Scripturarum cōsuetudine, priora sępe per posteriora explicantur: vt id tamen semper verum sit, quid opus? & vt hoc loco fiat, quid opus? in re tanta, cuius apparatum quemcunque scimus, non nisi diuina reuelatione scimus? quæ vt illum accuratè descripsit: ita breuissimè descripsit; nullo verbo, quod nouum quasi mysterium non contineret, vsa. 14.

Et fortè, facilè crederetur explicare *Vocem Magnam*, id quod nomine *Tuba* intelligitur; si quidem dictio *Tuba* pręcederet, & sequeretur *Vox Magna*. At hoc in Christi quidem oratione fit, veruntamen in Apostoli non item. Quocirca qui Christi orationem legens, credere posset, per *vocem Magnam* explicari nomen *Tubæ*, statim sententiam mutabit, attendens ad Apostoli verba *vocem Tubæ* pręponentis. 15.

Rursus, Dominus si *Tubam* cum *voce magna* confundere voluisset, non dixisset Angelos mittendos cum *Tuba & voce magna*; sed potius *in voce tubæ*: qua phrasi grandis vox significatur; quemadmodum alti montes, & cedri, qui *Dei montes* & cedri in Scriptura dicuntur. At phrasi hac nec Dominus vsus est, nec vsus Apostolus. 16.

Fortè & huc facit, quòd *Tubam* hanc externam quidam esse velint, & sua effigie, quodam modo, nostras referre; qualis qualis tandem futura sit: At si talis aliqua vocem datura est; dubito vtrum articulata illa esse posit: vt articulata non est, quam nostræ reddunt. Articulatam autem esse oportet *vocem*, qua mortui ad Iudicium vocantur; vt mox dicetur. Alius ergo *tubæ* clangor, alia *vox magna*. 17.

Et vt aliud *tuba*, aliud *vox magna*; ita diuersis temporibus *tuba*, diuersis *vox magna* audietur. Vna præcedet, altera sequetur. Præcedet *tuba*: mox sequetur *vox magna*. Et *tuba* confusum raucum, terrificum sonum reddet, qui ipsam terram quasi concutiat: *vox magna* quidem terrificum; sed tamē distinctum, & articulatum, cuius sententiam facilè mortales percipient. 18.

Ordinem hunc Dominus, nisi fallor, insinuat Matth. 24. vbi *tubā voci* præponit. *Mittet Angelos suos*, inquit, *cum tuba & voce magna*: significans primùm *tubam* audiendam, deinceps *vocem magnam*. Nec malè hic ordo tantum obseruabitur: quia nec malè nunc obseruatur. Videas hic passim præconis *tuba* primùm milites & ciues ad Magistratus mandata accipienda excitari: tum voce, quod in mandatis habent, efferre. Quid ni simile quid in extremo Iudicio concesseris? Sed de his in sequentibus, quando *vocis & tubæ* discrimina proferemus. 19.

20. Nec infringit hunc ordinem Apostoli oratio, qua primò *vocem Archangeli* ponit, deinde huic *tubam* subiungit. Quoniam vel ordinis huius rationem non habuisse dicendus est: vel, quod magis probo, de altera est locutus *tuba*, quæ regiæ Christi iam præsentis Maiestatis indicium erit; & cum Christo simul quasi obseruabitur.

21. Hæc cùm ita sint, *vocem magnam*, melius à *tuba* distinguemus; melius ad *vocem Archangeli* referemus: Vnam eandemque dicemus, *vocẽ Archangeli*, & *vocem magnam*: vt credendum ob id sit, idem Dominũ voluisse, quando dixit *Angelos mittendos cum voce magna*: quod Apostolus dixit, *Dominum descensurum in voce Archangeli.*

22. Ergo iam *duplex vox* relinquitur ante diem Iudicij. Vna *tubæ*: altera *Archangeli*; quam *magnam* dicimus. Et *tuba* excitandi sunt mortui ad vitam: *voce magna* vocandi ad Iudicium. Verùm quoniam de *voce* plura postea sunt dicenda (post mortuorum scilicet Resurrectionem) nunc *tubam* contemplemur.

23. Plures de hac *difficultates* sunt. *Prima* esse potest, Qualisnam vox, vel sonus Tubæ erit: vtrum, videlicet, sensibilis; qui corporeis auribus audiatur; an insensibilis, qualis mente tantùm percipitur. *Altera*, si sensibilis, cuius opera producẽdus. *Tertia*, An veram Tubæ formam, vt nostræ habebit; quæ audietur. *Quarta*, Vnáne, an plures audiendæ. *Quinta*, Quantus futurus clangor. *Sexta*, Quanto tempore audiendus. *Septima*, quod Tubę officium. *Octauus*, Quæ vis eius atque potestas. Discutiamus singulas.

An clangor Tubæ futurus sensibilis.

24. Tubæ ergo clangorem, vocemque Christi quidam censent non *sensibilem* futuram, sed *mentalem*: ipsum videlicet Christi imperium, quo volet ad vitam redire mortuos. Meminit horum S. Thom. in 4. dist. 43. q. 1. a. 2. Et, vt videtur, non infirmis hi nituntur præsidijs. Nam quæ potest (si mentalem excipias) tanta vox, aut sonus formari, quæ ad omnes, per totum mundum dispersos mortuos pertingat? Rursus vox dicitur audienda, Ioann. 5. *audient vocem filij Dei.* At sensibilis vocis mortui capaces non sunt, vtpote sensuum omnium beneficio destituti: non ergo sensibilis vox erit, quæ audietur.

25. Erroris hos damnare nolumus, sed si authoritatibus & rationibus est agendum, nec facilè erroris arguendi, qui contrarium sentiunt. *Sensibilem* igitur vocem, sonitumq; tubæ futurum docet B. Hieronymus, Epist. 61. ad Pãmachium. *Audient auribus*, inquit, *& procedẽt pedibus*. Docet Chrysostomus, Homil. 36. in Ioann. *Orbis terrarum*, inquit, *Christi voce est resurrecturus.* Docet B. Gregorius, lib. 17. Moral. c. 21. qui etiam pro sententiæ huius confirmatione adducit illud

Iob 16. *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* & illud Sophoniæ, *Dies tuba & clangoris*: & illud, Psal. 49. *Deus noster manifestè veniet: Deus noster, & non silebit.*

Apostolus quoque indicare videtur *vocem hanc clangoremq́; Tubæ*, non Domini imperium esse; quod mentem tangat, sed sensibilem sonum, qui aures feriat. Distinguit enim Domini imperium à voce & tuba: qua distinctione quid opus, si ipsa vox atque tuba Domini est imperium? *Dominus*, inquit, 1. Thess. 4. *descendet de cælo in iussu*, ecce imperium, *& in voce Archangeli, atq; tuba*, ecce tubam & vocem. 26.

Et profectò conuenit, vt quemadmodum sensibilibus atque externis signis Apparitio Iudiciaria, atque Iudicium extremum peragitur; ita quoque externa vox audiatur; cuius in omni Iudicio plurimus est vsus; & hac mortales ad vitam & Iudicis sententiam audiendam euocentur. 27.

Quocirca hęc ratio, qua mortales omnes à mortuis sunt excitandi, optimè cum illis conuenit, quibus idem Dominus, mortalē vitam nobiscum agens, mortuos plures ad vitam reuocauit. Etenim & hic externa oratione est vsus. *Lazare*, dicebat quatriduano, Ioan. 11. *veni foras. Adolescens*, dicebat filio vnico viduę, Luc. 7. *tibi dico surge: puella*, dicebat filiæ archisynagogi, Marci. 5. *tibi dico surge.* 28.

Nec mouet nos, quòd dicitur *vnam* aliquam vocem, aut *tubæ sonū* non posse peruenire ad omnes toto terrarum orbe sepultos. Quid enim, si in vno aliquo loco, ad quem oratio peruadere possit, Resurrectio futura? Quid etiam si multæ dicantur voces futurę, id est, multi Angeli *Tuba* cantaturi? Quid prohibet etiā, cur minus Dominus voci, & Tubæ suæ, det *vocem & Tubā virtutis*? vt scilicet, vna & eadem vel totum mūdum permeet: vel, si hoc non possit, vim suam atque efficacitatem ad omnes mortuos transmittat. Dici hæc possunt omnia ex sententia Soarez, Tom. 2. in 3. Thom. quid probabilius sequentia docebunt. 29.

Sic assertioni nostræ non obstat; quòd sensibilem Tubam, atq; vocem mortui (audiendi sensu destituti) audire nequeant. Si mortui nullo modo audire dicendi sunt; cur *sensibili externaq́; voce* ad vitam mortuos reuocat Dominus? Ioann. 11. Luc. 7. Marci 5. Mortui *varijs modis* audire dici possunt. Vnus est, quia parebunt. Nouum in Scripturis non est, vt audire dicatur, qui parent. Alter est, quia quadam audituri sunt. *vocem*, scilicet *magnam*: quamuis nō *Tubam*. *Tuba* á mortuis excitabuntur, quā totam (partem tamen) non audient. *Voce* ad Iudicium vocabuntur: hanc audient. Atq; hoc primæ quæstioni responsum est. 30.

Cuius opera producendus clangor Tubæ.

31. Altera quæritur, *Cuius opera* producendus sit hic sensibilis Tubę sonus. Difficultas inde oritur; quod & Christi dicatur, & Angeli. Cuius igitur opera est producendus? Christi, an Angeli alicuius? Christi credet, qui illud Ioann. 5. attendet, *Audient vocem Filij hominis.* Angeli, qui illud, Matth. 24. *mittet Angelos cum Tuba, & voce magna.* Optimè dixeris *Angeli* opus futurum. Hoc habet suauiter omnia disponens diuina prouidētia; vt extrema per media; media per suprema administret: & Angelorū opera vtatur in reb⁹ ijs, quæ Angelorū vires nō excedunt; & vt per Angelos administrētur honestas postulat. Sed nec decet Christū hæc vox, hic Tubę clangor. Ad ministrum potius, quàm Dominum & Iudicem spectat præconis officium. *Christi* igitur, siue *Filij hominis* vox dicetur; quia pro Christi imperio, & voluntate dabitur, quemadmodum iam dictum est.

An veram Tubæ formam habebit illa, qua mortui ad vitam excitandi.

32. Habet præter hæc aliam difficultatem Tuba. *Qualis enim illa* in die Iudicij erit? An quales apud nos inueniuntur? Sunt, qui quid nostris simile opera Angelorum productum, ibi fore existimant. Nō damnamus sententiam; quia probat non contemnendæ eruditionis & insignis pietatis Anselmus in Elucidario: docet enim Angelū in assumpto corporeconspiciendum, cùm *aëreo*, vt loquitur, *instrumento, ad modum Tubæ ex ære fabricato*: facilius crediderim metaphoram in verbo *Tuba* latere: & *Tubam* dici grauissimum, horribilem, atque terrificum sonum; qui Angelorum opera est excitandus: & quod Tubæ solent effecturus.

33. Hæc loquendi forma in scripturis noua non est. Non rarò circumscriptione *Tubæ* grandis strepitus, aut vox denotatur. Pluribus id locis significat in sua Apocalyp. Ioannes. *Fui*, inquit, cap. 1. *in spiritu, in die dominica, & audiui post me vocem magnam, tāquam Tubæ dicentis.* Et rursus, cap. 4. *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui, tanquam Tubæ loquētis mecum.* Et rursus, cap. 19. *Audiui vocē Tubæ magnæ, & tanquam vocem aquarum multarum.*

Vnane, an plures Tubæ audiendæ.

34. Ex dictis facile ad quartum eorum, quæ superius proposita sunt, respondetur, scilicet, *Quotnam Tubæ* sint audiendæ. Anselmus plures putat futuras, in Elucidario: Nec malè: quia Domini in hoc videtur secutus sententiam, qui Angelos (pluraliter) significat cum *Tubis* affuturos: suspicor singulos cum suis. Etsi Tuba, qua vtuntur Angeli, ipse strepitus, & fragor erit ab Angelis pluribus, & diuersis excitatus,

tus;quid ni plures concedamus Tubas?Quòd si cum Anselmo Tubam certum genus instrumenti admiseris,facilius plures concesseris;quemadmodum plures corporales Angelos, qui Tuba sunt cātaturi.

Quantus futurus clangor, & sonus Tubæ.

Magnus admodum sonus Tubæ erit. Significant hoc dictiones *Tuba,clangoris,tonitrui*,& similes, quibus scriptura vtitur. Confirmat verò *clamor magnus*,de quo Dominus,Matth.25. *qui media nocte dicitur vocaturus virgines ad obuiandum sponso*. Et si clamat Elias, 3. Reg.17. quando vnicum filium mulieris Sareptanæ ad vitam voluit excitare:Si clamare debuit Dominus, Ioan.11. quādo *Lazarum quatriduanū* à mortuis excitaturus erat:quantus clamor erit Angelorum,quantus clangor Tubarum, ad quas à mortuis ad vitam reuocabuntur tot hominum myriades, tot millibus annorum in terra quiescentium? 35.

Quanto tempore Tubæ clangor audiendus.

Aliquo tempore duraturum nemo potest ambigere. Vt verò diuturnior sit,non opus.Finis id probat,ob quem dabitur.Hic mortuorum est ad vitam reuocatio:quàm verò hæc *citò* absoluetur? *In momento*,inquit Apostolus, 1.Cor.15.*in nouissima Tuba mortui resurgent*. 36.

Quod officium Tubæ.

Hinc quoque quod Tubę officium sit futurum,est manifestum. Tuba è sepulchris mortuos ad vitam reuocabit. Hinc de Tuba sic S. Hieronymus,de Regula Monachorum,cap.de vero Timore: *Ad Tubæ vocem*,inquit,*pauebit terra*. 37.

An sonus Tubæ ad mortuos ad vitam reuocandos aliquid efficiat?

Sed vnde tanta ipsi vis? An fortè non vi Tubæ reuocandi mortui ad vitam,sed excitandi,quando Tuba signum dabitur? vt scilicet surgendi nullam necessitatem afferat sonus Tubæ? Hoc quia ad secundum genus eorum,quæ Iudiciariam Apparitionem præcedūt, pertinet,nō hic,sed sequenti Capite definiendum est.Hactenus ergo de Tuba. 38.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De Mortuorum Resurrectione, quæ Iudiciariam Christi Apparitionem est præcessura, inquiritur:

1. Lterum eorum, quæ gloriosam Iudicantis Christi Apparitionem præcedent, est *mortuorum resurrectio*, per Tubam, de qua præcedenti Capite facta. De hoc Dominus, Ioan. 5. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala in resurrectionem Iudicij.* & Apostolus, 1. Corinth. 15. *Ecce mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in*

ſto, in ictu oculi, in nouiſſima tuba (canet enim tuba) & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.

Hanc *præceſſuram* Chriſti Iudicantis Apparitionem ſuperius ratione probauimus. ſed diſertè hoc docet Hippolytus Oratione de Conſummatione mundi. *Tunc*, inquit, *ſonabit tuba, & excitabit dormientes. & omnes in ictu oculi reſurgent; & aſtabunt ſuper faciem terræ, exſpectantes iuſti atque terribilis Iudicis aduentum.* Idem vox impiorum dicentium montibus, *Cadite ſuper nos*, Apocal. 6. inſinuat, quia ſcilicet aduentum Domini, quem exſpectabunt, non ſuſtinebunt. 2.

Quocirca non propriè *Domini* ipſiuſmet *vox* dicitur, de qua Chriſtus, Ioan. 5. *Audient vocem Filij hominis*, &c. melius *Angelorum* dicitur, in perſona Domini. Si enim *ipſius Domini* voce excitandi ſunt mortui, profectò Dominus mortuos præueniet. Si *Angelis* verò illa tribuatur, vt tribui debet, quemadmodum illi Tuba cantaturi ſunt ante aduentum Domini; ita vocem ante aduentum Domini daturi. 3.

Reſurrectio hæc plures habet difficultates, quas vt exacta Apparitio Domini conſtet, perſequi (licet breuiſſimè) haud erit infructuoſum. Quæri enim poteſt, Quorumnam ſit futura reſurrectio. Quo ordine. Qualis futura. Quo loco. Quo & quanto tēpore, quorum opera & virtute, & his ſimilia. 4.

Futuram eſſe Mortuorum Reſurrectionem.

Verùm ante omnia Fundamentum conſtituendum eſt: & Reſurrectio aſtruenda, contra *Philoſophos*, qui Paulum, Act. 18. Reſurrectionem prædicantem irridebant: & *Sadducæos*, qui Matth. 22. dicunt, *non eſſe Reſurrectionem mortuorum*: & antiquos *Hæreticos*, Simonem Magum, quem ob id Epiphanius, hæreſ. 16. Hymenæum, & Philetum, quos D. Paulus, 2. Timoth. 2. Carpocratianos, quos B. Auguſtinus hæreſ. 7. Gnoſticos, quos Irenæus, lib. 5. c. 9. Marcionitas, quos Tertullianus, lib. de Præſcript. Priſcillianiſtas, quos Sulpitius, lib. 2. ſacræ hiſtoriæ: Catharos, quos Guido Carmelitanus, in Catalog. Hæret. Albigenſes, quos Antoninus, 3. part. Hiſt. Titul. 19. cap. 1. damnant cum vniuerſa Catholica Eccleſia. 5.

Et auctoritate Patrum aſtruenda non eſt. Infinitus eorum eſt numerus. Qui verò ex propoſito argumentum hoc tractarunt, legi poſſunt, Irenæus, lib. 5. Cyrillus Hieroſol. Catech. 18. Gregorius Nyſſenus in Diſput. de Reſur. & anima. Tertull. lib. de Reſurr. carnis: Cyprianus lib. de mortalitate: Methodius lib. de Reſurr. Hieronymus in Epiſt. ad Pammachium: Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate Dei: Gregorius lib. 14. Moralium, cap. 29. & ſeq. Damaſcenus lib. 4. de fide ort. cap. 28. & ſequentibus. 6.

F Aſtru-

7. Astruenda est Articulo Christianæ religionis, quo *Carnis Resurrectionem* disertè confitemur. Et ille quidem primùm in Apostolorũ est insertus Symbolum; deinde in Nissęnũ, atque Athanasij. In Nisseno dicitur, *Credo Carnis Resurrectionem*. In Athanasij verò, *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent, in proprijs corporibus: & reddituri sunt de factis proprijs rationem*.

8. Sed pręcipuè astruenda est Sacrarum Scripturarum auctoritate, quæ multis locis illam tradunt, & nunc quidem manifestè, absque vlla probatione; nunc verò nuda probatione contentæ non sunt, sed argumentis confirmant. Prioris generis loca partim vetus Testamentum suggerit, partim nouum. In veteri pro mortuorum Resurrectione est vox Dei, Isaiæ, Danielis, Iob, & Machabęorum. In nouo Christi, Marthæ, Apostoli Pauli aliquoties. docemus.

9. Dei est apud Ezechielem, cap. 37. *Hæc enim* (inquit Propheta) *dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiã tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus*. Isaias sic loquitur, c. 26. *Viuent mortui tui: interfecti resurgent: expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere*. Daniel similiter, ca. 12. *Multi*, inquit, *de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobriũ*. Iob hæc est confessio, cap. 19. *Scio, quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die, de terra, resurrecturus sum, & rursus circundaber pelle mea: & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Idem, cap. 14. *Putas ne*, inquit, *mortuus homo rursum viuet? Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea*. Pro Machabæis, vnus loquitur, 2. Mach. 7. *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vitæ Resurrectione suscitabit*. Hæc veteris Testamenti.

10. In nouo primùm est Dominus, Ioan. 5. *Omnes*, inquit, *qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei &c.* & Matth. 22. *In Resurrectione neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Filij Dei*. Est deinde Martha, quæ Ioan. 11. *Scio*, inquit, *quia resurget* (frater) *in Resurrectione, in nouissimo die*. Est tertiò D. Paulus pluribus locis. In 1. Cor. 15. *Omnes*, inquit, *resurgemus*. Ad Philip. 3. *Saluatorem*, inquit, *exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, & 1. Thess. 4. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgẽt primi*.

11. Similiter in vtroq; Testamento argumentis Resurrectio astruitur, & non tantùm asseritur. Astruitur primũm à Iuda Machabæo, 2. Mach. 12. Misit enim ille Hierosolymam offerri pro peccato sacrificium, *bene & religiosè de Resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant,*

ciderant, resurrecturos speraret, superfluum & vanum videretur orare pro mortuis. Astruitur secundò, à Machabęorum Martyrum matre, in quos impius Antiochus barbarè seuijt. *Mundi*, inquit, *Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq́; omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam.* Hæc in veteri Testamento.

In nouo astruitur à Christo, Matth. 22. in disputatione contra Saducæos instituta. *De Resurrectione mortuorum*, inquit, *non legistis, quod dictum est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuorum.* Sed sæpius ab Apostolo Paulo. Nam ad Roma. 5. *Si*, inquit, *vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiā gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Item 1. Cor. 15. *Si autem Christus prædicatur, quòd surrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis: quoniam Resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit?* Et rursus: *Si in hac vita tantùm sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Rursus; *Christus surrexit à mortuis, primitiæ dormiētium. quoniam quidem per hominem mors, & per hominem Resurrectio mortuorū. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur.* Et rursus: *Quid faciēt, qui baptizantur pro mortuis; si omnino mortui non resurgunt?* Ibidem: *Si mortui non resurgunt, quid periclitamur omni hora?* Ibidem: *Si mortui non resurgunt, manducemus, & bibamus: cras enim moriemur.* Omitto alia. Hæc enim pro Resurrectione sufficiunt. 12.

Qui mortui Resurrecturi sint ad vitam.

Sed *Quorumnam* Resurrectio erit? Aliquorumne, an omnium? & si aliquorum, quorum quæso? *Non omnium* quidam ex illo Daniel. 12. existimant: vbi non omnes, sed *multi* dicuntur, *de his, qui in puluere terræ dormiunt, euigilaturi.* Et resurrecturos esse *adultos* tantùm, non infantes, ex eo licet suspicari, quod quę pro mortuorum resurrectione loca afferuntur; pro *adultis*, non infantibus pueris, militent. Sed nec adulti videntur omnes resurrecturi; sed *probi* tātùm. Hoc enim insinuare videtur illud, Psal. 1. *Non resurgent impij in Iudicio, neque peccatores in consilio iustorum:* & illud, 2. Mach. 7. *Tibi* (impio scilicet) *Resurrectio ad vitam non erit:* & illud Domini, Matth. 24. *Mittet Dominus Angelos suos cum tuba, & congregabunt electos* (non reprobos) *à quatuor ventis.* Accedit, quod Apostolus Paulus duobus locis, cùm de Resurrectione mortuorum agit, improborum nullam mentionem faciat, sed tantùm proborū. Nam 1. Cor 15. sic loquitur: *Omnes viuificabuntur: primitiæ Christus, deinde ij, qui sunt Christi, deinde finis.* In prima autem ad Thess. 4. sic habet. *Mortui, qui sunt in Christo, resurgent primi:* 13.

 deinde

deinde nos qui viuimus rapiemur obuiam Christo &c. En vt bonorum tantùm meminit. Quid quòd nec omnes probi adulti videantur resurrecturi? Nam primò, non resurgent (tunc certè temporis) B. Virgo, & quicunque aliquãdo cum Christo, cum suis corporibus translati sunt ad cælum. Deinde nec ij, qui ipso aduentus Domini die superstites adhuc inuenientur.

14. Verùm vt de *B. Virgine, & alijs, qui aliquando resurrexerunt*, nihil dicamus, quos vtique tum temporis ad vitam redire necesse non erit; dubium non est, quin quicunque aliquando hanc mortalem vitam traxerunt, & interierunt, ad vitam olim sint reuocandi. Dubium nõ est, quin quicunque hanc vitam vixit, cum sanctissimo Iob posit, & debeat dicere: *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum: & rursus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.*

15. Si non *omnes* resurrecturi sunt, sed aliqui; cur hi potius, quàm illi? An qui hos ad vitam reuocare potest, Deus Opt. Max alios reuocare non poterit? Impium est hoc de Domino sentire. An quidam, vt secundùm animam miseri sint, vel beati, merentur; non merentur, vt miseri sint vel beati secundùm corpus? An non animabus solùm, verùm etiam corporibus seruiunt Deo, vel Dæmonibus homines. Quocirca & iustitia postulat, vt etiam ad corpora sua merces redũdet. Habet hãc rationẽ B. Dionys. lib. de Eccles. Hierrach. c. 7.

16. Sunt quoque Scripturæ *pro Omnibus* mortuis. Prima continet Christi sententiam, Ioan. 5. *Omnes*, inquit ille, *qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei; & procedent*, &c. An verò aliqui mortui sunt, qui in monumentis non sunt? Nec est, quod quis locum hunc ad mortuorum futuram Resurrectionem dicat nõ pertinere, propterea, quod *suo tempore* illam horam esse Dominus affirmet. quoniã ad quam vocem omnes in extremo die euocabuntur ex monumẽtis, illa eadem tempore Christi fuit efficax, ad mortuos ad vitam reuocandos, Atq; hoc est quod Dominus ibi voluit significatum.

17. Deinde Ezechieli hoc clarius indicatum est, quando eductus *super faciem* (vt scriptura loquitur) *campi ossibus pleni* intellexit spiritũ in illa intromittendum; & carnibus vestienda atq; neruis armãda, &c. an fortè in campo hoc, adultorum tantùm, aut proborum ossa.

18. *Omnes*, inquit Apostolus 1 Cor. 15. *resurgemus: sed non omnes immutabimur*. Hic si quis priori sententia *probos* solos intellexerit, à posteriori erroris arguetur, quod aliqui sint resurrecturi, qui non sint *immutandi, quales* vtique non probi sunt, sed improbi.

19. Idem Apostolus docet, quòd *sicut in Adam omnes moriuntur; ita in*

Christo

Christo omnes viuificabuntur. At in Adam omnes omnino mortui sunt. *Per vnum hominem*, inquit, *intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors: in quo omnes peccauerunt.* Ergo omnes omnino in Christo viuificabuntur, resurgentq; ad vitam, quemadmodum cadunt ad mortem. Rom. 5.

Et Hippolyti. hęc est expressa sententia superius allata. *Omnes*, 20. inquit, *in ictu oculi resurgent.* Et Augustini est, in Enchyridio, ad Laurentium, cap. 84. *Resurrecturam carnem omnium, quicunque sunt nati, hominum*, inquit, *atq; nascentur, & mortui sunt atq; morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.* & cap. 86. *Ex quo*, inquit, *incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori potest. Mortuus verò, vbicunq; illi mors euenire potuit, quomodo ad Resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.*

Deniq; hoc est, quod in Symbolo Athanasiano constāter confi- 21. temur. *Ad cuius aduentum*, dicimus, *omnes homines resurgere habent in proprijs corporibus: & reddituri sunt de factis proprijs rationem.*

Quocirca illud *Multi*, apud Danielem, cap. 12. non aliquos inclu- 22. dit, aliquos excludit. Nullos excludit: omnes includit. *Non putetur*, inquit B. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. cap. 23. *diuersum, quòd cùm ibi positum sit, Omnes, qui sunt in monumentis, hîc non dicat propheta, Omnes, sed multi dormientium in terra agere. Ponit enim aliquando Scriptura pro Omnibus vocabulum multos. Propterea & Abrahae dictum est Genes. 17. patrem multarum gentium posui te, cui tamen & alio loco dicitur (Genes. 22.) in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Idem docet Theodoretus, & alio exemplo confirmat, sumpto ex cap. 5. Epist. ad Romanos: vbi Paulus, cùm prius dixisset, *propter peccatum Ad factos esse omnes peccatores*, posterius subdit, *propter eius inobediētiā multos esse constitutos peccatores* manifestè est vsus vocabulo *Multorum*, pro voce *Omnium*. Seruit & hîc illud Domini, Matth. 22. *Multi vocati, pauci electi.* In voce *Multorū* *Omnes* intelligi, non dubitat, qui attendit illud Pauli, 1. Tim. 2. *vult omnes saluos fieri.* Seruit & illud, Matth. 26. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.*

An omnes omnino infantes, qualescunq; tandem fuerint, sint resuscitandi ad vitam.

Infantes igitur etiam resurgent? Omnino resurgent. Omnes? Om- 23. nes. Etiam non baptizati? Etiam. Quid si vterum maternum nondum egresi? Et hi quoque resurgent. *Qui in Adam moriuntur resurgent.* Infantes, (quales, quales) in Adam moriuntur, Ergo resurgent. Nihil hîc dubium. Primum docet Apost. 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, inquit, *ita & in Christo omnes viuificabuntur*, vita non solùm animæ, sed etiam corporis, de qua ibi est sermo.

24. Tria ergo Infantium genera resurgent, primùm ij, qui post vsuram huius lucis acceptam, baptismatis Sacramento sunt initiati. Secundò, qui in lucem quidem editi; veruntamen non regenerati. Tertiò, qui nec in lucem editi, nec baptismo regenerati, in materno vtero extincti sunt. *Omnes resurgent*; quia omnes in Adamo moriuntur. Et hoc quidem omnino existimamus dicendum, quamuis de primis & secundis vehementer dubitet Iustinus, Quæst. 15. ad gentes; de tertijs nihil affirmare velit B. August. lib. 22. de ciuit. ca. 13.

25. Quid igitur est, dicet aliquis, quod quoties mortuorum Resurrectio in sacris literis astruitur, qui resurgendi dicuntur, vocantur quasi ad meritorum præmia, quæ in infantes non cadunt? Respondeo verum quidem esse, quod eorum, vt plurimum, fiat mentio; quemadmodum ex allatis superius authoritatibus perspicuum est: veruntamen non semper. Nam quod Infantes quoque sint in resurgentium numero, expressa est, aliquoties repetita, D. Pauli sententia.

26. Meritorum autem, vt plurimum, fit mentio in mortuorum Resurrectione; vt mortalium animi, & à prauis operibus abstineãt, & ad virtutum studia excitentur: qua ratione & operum misericordiæ in Iudicio extremo rationem habendam dicitur Matth. 25. quòd hæc potissimum commendata omnibus christianis Dominus cupiat; non quòd horum solùm ratio habenda. Hoc de *Infantibus*. Quid de Improbis?

An omnes Improbi sint resurrecturi.

27. Nec *Improbi*, quales quales etiam, modò homines sint, à resurgentium sunt numero excludendi. Quæ Scripturæ docent bonos ad vitam æternam resurrecturos: eædem docent Improbos excitandos ad supplicia æterna. Res clara est Christi verbis, Ioan. 5. & Apostoli 2. corinth. 5. Et omnino conuenit; vt quemadmodum *Boni bonorũ* operum fructum percipiunt, in corpore & anima; quia & anima & corpore bonis operibus vacarunt: ita conuenit, vt mali malorum operum fructum in corpore percipiant, & anima, quia & anima & corpore malis operibus vacarunt.

28. Resurgent quidem Improbi, sed in *Resurrectionem iudicij*, inquit Dominus, Ioan. 5. *non vitæ*. non quia vita non sit, ad quam resurgunt; sed quia misera vita, pro qua mortem miseri eligerent. Itaque non malè duplicem Resurrectionem distinxeris: aliam *Iudicij*, qua resurgitur ad Iudicium condemnationis; aliam *vitæ*, seu ad vitam; qua ad æternam felicitatem venitur, quæ & *iustorum Resurrectio* dicitur. Posterior hæc in Impijs locum non habet; prior habet. Atque in

hoc

hoc sensu intelligendus est loqui Machabæus ille, qui(2.cap.7. Machab.) dicebat Antiocho: *Tibi resurrectio ad vitam non erit.*

Eodem modo quidam exponunt illud Psalmistæ. *Non resurgunt Impij in Iudicio*; quasi non admittendi sint ad vitam æternam; quanquam ad condemnationẽ. Sed tamen Basilius atque Theodoretus eos idcirco dicunt non resurrecturos in *Iudicio*; quòd non venturi sint ad examen Iudicij, vt eorũ, scilicet, causa discutiatur, secundùm illud Christi, *Qui non credit, iam iudicatus est*. Ioan.3. D. Thomas autẽ, quòd non resurgant vt iudicent, verè tamen iudicandi. Iusti enim quicunque, aliquo modo vt iudicent, resurrecturi sunt, secundùm illud Matth. 12. *Regina Sabæ surget in Iudicio, cum generatione ista, & condemnabit eam.* Potest & illud dici, non *resurgere in Iudicio Impios*, quia videlicet non erigent caput: non pro se respondere poterunt: &, vt loquitur Psalmista, Psal.129 *in miserijs non subsistent.* 29.

Quòd verò, Matth.24. *dicuntur Electi congregandi à quatuor mundi partibus*, non confirmat hos solos resurrecturos, non Improbos. (Nã & apud Matthæum alibi capite 13. dicitur, quòd *Filius hominis mittet Angelos suos, qui colligãt de regno ipsius scandala.*) Solorum ergo Electorum meminit Dominus: quia vel alludit ad populi Dei (qui præ cæteris electus dicitur) per Tubas cõuocationes, de quibus Numerorum 10. vel ad eas Scripturas, quibus congregandos *Suos* frequenter Dominus dicit. *Ab Oriente*, loquitur apud Isai, ã 43. *adducam semen tuum, & ab Occidente cõgregabo te. Dicam Aquiloni, Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* 30.

An iusti, qui extrema die inuenientur, & morituri sint, & ad vitam reuocandi.

Quod nullam Improborum & damnatorum mentionem Apostolus faciat, aut 1.Cor.15. aut 1.Thess.4. cap. non ostendit ipsos non ad vitam reuocandos. aliàs dixerat omnes comparaturos in Iudicio: sed quia cùm esset ei sermo cum Iustis, & hos vellet consolari, eorumque spem erigere, non improborum resurrectionis, quæ ad supplicia est; sed proborum, quæ est ad gloriã, tantùm debuit meminisse. 31.

De *Iustis*, qui extremo die reperientur, restat difficultas: An hi quoque sint resurrecturi. Multi resurrecturos negant; propterea, quod mortem communem, vt alij, nõ sint obituri: sed de mortali vita ad immortalẽ gloriam, nulla corporali morte interueniente, transferendi. Ita sentiunt Chrys. hom.42. in 15. Corin.1. & homil.7. in 1. Thess. Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius in Paulum ibidem, Origines lib.5. contra Celsum. Fauet huic sententiæ B. Augusti- 32.

simul docti,ac pij dicuntur,qui communem mortem illos subituros negant:& ob id non resurrecturos.(*Resurrectio enim*,inquit Athanas. lib. de Incar. Verbi,*oboriri non potest,nisi mors præcedat*) ita multi docti,& pij sunt, qui *omnes* docent morituros ; *omnes* resurrecturos. *Maxima Patrum turba tradente*,inquit Gennadius,de Eccles.dogmat. cap.7.& 8.*hanc sententiam susceperunt Doctores*.

Adde,quòd quæ ab alijs contra nos Scripturæ loca proferuntur; si non pro nobis,certè non contra nos militant.Dum enim Apostolus in sua persona docet *immutandos eos* , qui extrema die viui inuenientur,*1.* Corinth.15.non negat morituros;sed docet tantùm trãsferendos ad aliam vitæ conditionem : quod tamen morte interueniente futurum est.Eodem modo intelligendum , quod dicit eosdem *rapiendos obuiam Christo,in aëra*. 39.

Viuorum autem Iudex dicitur,& non tantùm *mortuorum*;quia & bonos,quos *viuos*;& malos,quos *mortuos* exponunt B. August. de fide & symb.cap.8.& Chrys.homil.1.de Symb.est iudicaturus, vel quia & corpora,quæ occidunt;& animas,quæ immortales sunt,iudicaturus,vt Ruffinus exponit in sua Symboli expos.Quanquam & *Viuorũ* nomine intelligi possint,qui ad diem Iudicij vitam sunt producturi:quemadmodum intelligunt citati à nobis Chrys. & Augustinus; qui *à mortuis* distinguuntur,non quia nõ morituri,sed quia breuissima ipsorum mors futura.Denique simplicius fortè,faciliusq; dicitur,Symboli verba,quibus profitemur Christum futurum *Iudicem viuorum & mortuorum*,illud tẽpus respicere, quo fidem profitemur. *Viuos* ergo dicimus,qui nunc viuimus: mortuos, qui nos præcesserunt. 40.

Similiter quòd *aduentum Dei exspectare* iubeamur ; & *præparati esse ad illum* excipiendum,ire quoque eidem obuiam;non probat quosdam non morituros,sed demonstrat , quanta solicitudine ad mortem,quam mox vel particulare , vel vniuersale Iudicium Domini subsequetur,comparare nos oporteat. 41.

Sed si morituri etiam,qui vltimo die iusti inueniuntur, antequã immutentur:*qua morte* morituri ? Hoc extremum punctum difficultatis est contra nostram sententiam. Quod quidem difficilius *iã* definitur,optimè intelligemus , quando coram Christo Iudice cõparebimus.Probabiliter tamen dici credimus duo vel tria. 42.

Primum est,quòd verisimile non existimemus,in *ipso raptu*,(quo dicuntur Iusti obuiam rapiendi Domino)communem ipsos mortẽ esse obituros, quamuis sententiam hanc probent grauissimi Authores,D. Ambros.in 4.cap. [illegible] B. August. lib. 20. de Ciuit. 43.

Dei,cap.20.Quid enim? Mortalia corpora & mole sua non parum grauia sine miraculo(quo quid opus)per aëra deferentur? *Raptus* de quo Apostolus loquitur, raptus gloriosorum iam corporum est, qui nihil vltra pati poterunt;non mortalium, & quibus lex atque necessitas moriendi incumbit.

44. Alterum,non verisimile etiam videri, quòd *Igne conflagrationis*, de vita in vitam sint transmutandi. Nimis difficilis tum Iustorum atque innocentium conditio, in quos haud dubium maximo cum doloris sensu Ignis deseuiret.Nisi fortè dicatur,quòd Iustis ille nô nocebit.Verùm vt hoc facile dicitur,ita negatur facile.Quid quòd Ignis hic Domini Iudicium sequetur?Hoc postea demonstrandû.

45. Tertio ergo loco sit dictum, Domino non defuturas rationes varias,quibus de vita ad vitam,per mortem transeant Iusti(quáuis illas nos ignoremus). Non malè hoc ex Sanctissimo Ioanne videmur colligere,qui Apocalyp. 6. de illo tempore loquens dicit datam esse *potestatem morti, super quatuor potestates terræ,interficere fame, gladio,& morte,& bestijs terræ.*

An ordo inter Resurgentes futurus sit aliquis.

46. Ordo,qui inter Resurgentes quæritur,*temporis* est. quocirca si aliqui alijs prius *tempore* resurgunt,ordo constituetur aliquis;si omnes simul,& nullus alio prius,nullus.

47. Et aliquos alijs prius resurrecturos, ideoq; ordinem in mortuorum Resurrectione seruandum esse ex tribus Sacræ Scripturæ locis quidam colligunt. Rationum pondera non magni faciunt, quòd hæc res Scripturarum fundamento tantùm nitatur:

48. Primus locus est apud S.Ioannem,in sua Apocalypsi,cap. 20. vbi duplicem constituit Resurrectionem mortuorum: primam & secundam.maximumq; inter vtranq; temporum constituit interuallum. Verba eius hæc sunt: *Vidi*,inquit,*Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi,& catenam magnam in manu sua: & apprehendit Draconem serpentem antiquum qui est diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille,vt non seducat amplius gentes,donec consummentur mille anni:& post hæc oportet solui modico tempore.Et vidi sedes, & sederunt super eas,& Iudicium datum est illis,& animas decollatorum propter testimonium Iesu,& propter verbum Dei,& qui non adorauerunt bestiam, neq; imaginem eius,nec acceperũt characterem eius in frontibus,aut in manibus suis; & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis. cæteri mortuorum non vixerunt,donec consummentur mille anni.Hæc est Resurrectio prima.* Hæc verba Apostoli,Post quę describitur generale Iudicium futurum post *mille annos.*

Alter

Alter locus est apud D. Paulum, in 1. Thess. 4. vbi docet eos, qui victuri sunt extremo iudicij die, post alios excitandos. deinde eosdem *rapiendos cum mortuis* iam ad vitam excitatis obuiam Christo: sed tamen in raptu propter communem omnibus moriendi necessitatem morituros, vt docti exponunt moxque in eodem raptu reuocandos ad vitam. quod fieri nequit, nisi inter resurgentes ordo constituatur, & dicatur prius resurrecturos, qui ante nouissimum diem mortui sunt; deinde eos, qui in communi omnium beatorum raptu vitam commutant. Verba Apostoli adiungimus. *Mortui, qui in Christo sunt*, inquit, *resurgēt primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo, in aëra; & sic semper cum Domino erimus.* 49.

Tertium locum idem Apostolus offert, in alia Epistola, prima, videlicet, ad Corinthios, 15. cap. *In Christo*, inquit, *omnes viuificabuntur. vnusquisq; autem in suo ordine. Primitiæ Christus: deinde qui sunt Christi, deinde finis.* Quibus verbis, quemadmodum docet Apostolus *tempore* præcedere Resurrectionem Christi Resurrectionem Iustorum, siue eorum qui sunt Christi: ita insinuat haud obscurè, quòd Iustorū Resurrectio *tempore* præcessura sit Resurrectionem Improborum. 50.

Qualis possit fingi Ordo inter Resurgentes.

Porrò quicunque ex his Scripturæ locis Ordinem in Resurrectione mortuorum colligunt, constituunt hunc, vel inter Iustos & Impios: vel inter Iustos tantùm. Impijs vnum tantùm tempus vel momentum attribuunt, quo omnes promiscuè sunt resurrecturi. 51.

Iusti autem intelligi possunt *duobus modis* præcedere Impios: vno alios Iustos. Cùm enim Iustorum duo genera sint resurrecturi, illi scilicet, qui à condito mūdo piè obierunt; & qui extremo die inuenientur viui, hos illos in Resurrectione sequi quidam volunt Apostolum 1. Thess. 4. docere. Ex his sunt Scotus in 4. dist. 43. q. 5. Durand. q. 4. Richard. ar. 5. q. 1. Et ante hos B. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 20. & Anselmus in 1. Thess. 4. 52.

At Impios Iusti duobus modis præcedere creduntur. Vnus est, *vt eodem quidem die* vtrique resurgant, Iusti scilicet & Impij; sed tamen aliquo tempore iusti impios anteuertant. ita docent super 1. Thess. 4. Primasius, Theophilactus, & Occumenius & Theodoretus. Caietanus quoque in 1. Corinth. 15. Magnum hi pro se argumētum accipiunt ex illo ad Corinth. 15 *In Christo omnes viuificabuntur, vnusquisq; in suo ordine, &c.* 53.

Alter est, vt non *eodem die* iusti cum impijs resurgāt, sed iusti *multis*, id est, mille *annis* ante Impios ad vitā reuocētur. Fuit hæc quodā 54.

 opinio

opinio magno assensu multorum & nobilium authorũ confirmata. Crediderunt enim labores & afflictiones Sanctorum in hoc mundo, ab initio vsque ad finem, non plus *sex annorum millibus* duraturos quemadmodum fabrica huius mundi sex diebus effecta, & cõsummata est; ita vt cuique illorum sex dierum respondeat vnus millenarius annorum. (*vnus enim dies apud Dominum mille anni*, inquit S. Petrus, 3. cap. Epist. posterioris) completis autem illis sex annorum millibus, suscitatum iri ex mortuis omnes Sanctos, Christumque descensurum in terras, & in his regnaturum cum Sanctis, per *mille annos*, subiecto ipsis omni terrarum orbe, cum incredibili gloria, & bonorum omnium abundantia; & tali propemodum felicitate, qualem Poëtæ mentiendo, *illi suo aureo seculo* affinxerunt. Sanctos, preterea, eo tempore, cum summa castimonia & integritate ducturos vxores, & ex his filios, alumnos sanctitatis, procreaturos: atque vt verbo omnia complectamur, nihil ijs, quod ad summam felicitatem pertineat, defuturum. Hanc dicunt *Primam*, quam S. Ioannes, in Apocalyps. cap. 20. vocauit *Resurrectionem*. Exactis porrò his mille annis, solutum iri Satanam, & grauissimam, quę fuerit vnquam, per Antichristum, aduersus Electos Dei, persecutionem cõcitaturum. *Postea* cunctos mortales ad vitam reuocandos, & extremum Iudicium instituendum: atque Improbis ad æternas inferni pœnas relegatis, Sanctos ad cælum assumendos, vt sempiternam felicitatem & animo & corpore possideant. Hanc intelligunt *Secundam*, quam S. Ioannes, ibidem, cap. 20. vocat *Resurrectionem*. Sectatores huius sententiæ dicti sunt *Chiliastæ*, quos verbum ex verbo exprimentes: *Nos*, inquit B. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. cap. 7. *possumus milliarios nuncupare*: Hieronymus præf. lib. 14. in Isaiam, Millenarios. Huius sententiæ author fuisse videtur Papias, discipulus Apostolorum, teste Hieronymo, lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Adhæsit eidem Iustinus, in Dialogo cum Tryphone, Irenæus item lib. 5. aduersus Hęreses. Sed & B. Hieronymus, lib. 11. comment. in Ezechielem eiusdem opinionis probatores & sectatores nominat Tertullianum, lib. de spe fideliũ, Victorinum item in comm. in Apocalyp. præterea Apollinarem atq; Lactantium, in 7. Institut. & Seuerum Sulpitium in Dialogo, qui Gallus inscribitur. Quin & de seipso B. Augustinus, lib. 20. de ciuit. cap. 7. *Hæc, ait, opinio, esset vtcunq; tolerabilis, si aliquæ delitiæ spirituales in illo sabbato affuturæ Sanctis, per Dei præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Et B. Hieronymus, in 19. Hieremiæ, cùm in dogmatum istorum, vt aliâs sæpe, mentionem incidisset, subiunxit: *Quæ licet non sequamur: tamen damnare*

nare non possumus: quia multi Ecclesiasticorum virorum, & Martyres ista dixerunt: & vnusquisq; in suo sensu abundet, & Domini cuncta iudicio reseruetur. Opinio hæc ex 20. cap. Apocalyp. S. Ioannis occasionem videtur accepisse. *Duplicem* enim ibidem *Resurrectionem* constituit: & post *primam* docet Sanctos felicissimè regnaturos cum Christo, per *mille annos*, deinde satanam soluendum, atq; extremum Iudicium, excitatis prius omnibus à mortuis, instituendum. Atq; hæc de *Ordine Resurgentium* ex aliorum opinione. Nos quid veritati magis consentaneum existimemus *tribus* Assertionibus docemus.

An Iusti mille annos ante Impios ad vitam sint excitandi beatam.

Prima sit. Nullo modo aut dicendum aut credendum, *Iustos mille annos ante Impios resuscitandos ad vitam; vt felicem, in omni rerum affluentia vitam cum Christo in terris agant.* Hæc contra *Millenarios*, quorum sententia *tribus modis* euertitur. Vnus est, quòd Scriptura passim doceat, *Omnes simul* reuocandos ad vitam. Alter, quòd doceat mortuorum Resurrectionem *nouissimis temporibus* futuram. Tertius, quod *felix illa, quæ fingitur vita*, siue *aureum sæculum*, quo cum Christo beati in terris dicuntur regnaturi, nullo modo posit admitti. Et quoniã primus modus, quo *omnes simul* diximus reuocandos ad vitam, in sequentibus est confirmandus, idcirco nunc docebimus primò, *postremis temporibus* mortuorum Resurrectionem futuram: tum deinde rationes dabimus, cur *aureum illud seculum* admitti nulla ratione debeat. 56.

Resurrectionem ergo mortuorum in *finem seculorum*, adeoq; vltimum diem differendam esse, primùm egregiè docet Sanctissimus vir, Iob. *Scio*, inquit ille, cap. 19. *quòd Redemptor meus viuit: & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* At hic Iob inter Iustos fuit: isque non *mille annis* ante nouissimum diem: sed nouissimo die se surrecturum confitetur. Nec malè. quia *in omnibus, quæ locutus est, non peccauit Iob.* Iob. 1. 57.

Idem docet Dominus, Ioannis 6. *Hæc est*, inquit, *voluntas eius, qui misit me, Patris: vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo: sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me; vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et iterum: *Nemo potest venire ad me; nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et fortassis hinc didicit Martha, quod Ioan. 11. dixit, *Scio, quia resurget in Resurrectione, in nouissimo die.* 58.

Et omnino *cõuenit*, vt mortuorum Resurrectio trãsferatur in postremum 59.

stremū tempus;illud nimirum,quo vniuersale omnium instituetur Iudicium:vt, videlicet,etiam *tum* aliquid felicitatis hominibus adueniret:vt adueniet,si tum corpora assumantur,&animorum felicitas in ipsa corpora redundet.

60. Contra verò *Millenarios*,atque *aureum*,quod fingitur,mille annis duraturum *seculum*,rationes sunt permultæ & magnæ. Prima accipitur à primo *huius seculi Authore*,qui Papias fuisse creditur;cui, quāuis hoc nomine plurimum tribuendum;quòd Apostolorum fuerit discipulus & auditor;idcirco tamen idem minus fidei hîc meretur, quòd *tardo ingenio fuerit,& rudi:ideoq́; quæ ab Apostolis,sub figuris & similitudinibus rerum corporalium dicebantur,spiritualiter tantùm intelligenda, non probè cognouerit*.Hoc de Papia affirmat Eus.lib.3. hist.Eccles.cap. 33.*Asserit Papias*,inquit,*Regnum Christi,post humanæ carnis à mortuis Resurrectionem,mille annos,humano & corporeo more,in terris futurum. Quæ quidem dogmata credo eum propterea excepisse;quòd Apostolicas interpretationes,quæ ab illis essent exposita sub arcanis figuris,& obscuris parabolis,malè intellexisset.Nam homo erat, sicut ex Scriptis eius facilè licet coniecturam capere,ingenij perquàm tenuis.Veruntamen plerisque viris Ecclesiasticis, qui eius hominis antiquitatem pro suarum partium defensione citabant,persimilis erroris author extitit,vt Irenæo,& si quisquam alius eadem cum illo sentire videbatur*.Hæc Eusebius.

61. Altera ratio accipitur à *Christi & Apostolorum sententia*:qui *Regnū terrenum*,aut temporale,vel felicitatem in terra , nullam promiserunt. quin imò apertè Dominus docuit,*Regnum suum non esse de hoc mundo*.Matth. 26.ipsumque appellauit vel *Regnum cælorum*,vel *spirituale*.Sed & damnasse videtur hoc *Aureum Regnum*, atque seculum sæpius.primùm in filiorum Zebedæi matre;petente,vt duo filij *in ipsius Regno ad eius dextram & sinistram sederent*,Matth.20. deinde in Emauntinis discipulis,sperantibus fore;vt regia splendidaque armatorum plurimorum manu *Israelem redimeret*,Lucę 24. tertiò in discipulis,cùm iam iam cælos petiturum,interrogantibus:*Domine,si in tempore hoc restitues Regnum Israel*. Act. 1. Sic Apostolus docet Iustos non resurrecturos *ad vitam animalem,sed spirituale & gloriosam*,1.Corinth.15.*Seminatur*,inquit,*in corruptione,surget in gloria:seminatur in infirmitate,surget in virtute:seminatur corpus animale,surget corpus spirituale*.Infra,eodem sensu dicit;*Caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt:* & rursus.*Mortui resurgent incorrupti,& nos immutabimur*.

62. Tertia sumitur ab *exēplo Christi*.Nostra Resurrectio illius conformabitur.at non ille resurrexit ad *vitam animalem*;sed cęlestem:quocirca nec credendum ad *animalem vitam* nos resurrecturos. Atque

hoc est

hoc eſt, quod Apoſtolus pluribus locis inſinuat. Nã primę ad Theſſ. cap. 4. *Si enim*, inquit, *credimus, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt cum Ieſu, adducet cum eo.* Non ergo Dominus veniet iterum, vt inhabitet terram; atque in ea regnet: ſed potius ſuos ſecum adducet; vt ſecum in cælo regnent, iuxta illud 2. Corinth. 5. *Scimus, quòd ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factã, æternam, in cælis* Idem docet ad Eph. 2. *Conuiuificauit nos Chriſto, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus, in Chriſto Ieſu.*

Pro quarta ratione eſt plurimorum doctiſsimorum ſanctiſsimorumque hominum *ſententia*, qui *Aureum hoc ſeculum* ſemper contempſerunt, exploſerunt, imò luſerunt. quales ſunt Dionyſius Areopagita, Caius, Dionyſius Alexandrinus, Hieronymus, Auguſtinus, Euſebius Cęſarienſis, Nazianzenus, Epiphanius, Theodoretus, Aretas, Maximus, Euthymius, Paſchaſius, Beda, Rupertus, Gennadius, Damaſus. Omitto alios Gennadij de hoc extat inſignis ſentẽtia lib. de Eccleſ. dogmatib. cap. 6. *In diuinis promiſsionibus*, inquit, *nihil terrenum aut tranſitorium exſpectemus, ſicut Melitiani ſperant: non nuptiarum copulam, ſicut Cherinthus & Marcion delirant: non, quod ad cibum vel potũ pertinet, ſicut Papia authori Irenæus, Tertullianus & Lactantius acquieſcũt, neq; per mille annos, poſt Reſurrectionem Regnum Chriſti in terra futurum, & Sanctos, cum illo, in delicijs regnaturos ſperemus, ſicut Nepos docuit.* 63.

Indignitas quoque rei hoc *Aureum ſeculum* tollit. & quidem multis modis. Nam primò felicitas hęc Aurei ſeculi, quæ fingitur, Iudaicas, de *terreno Meſsiæ Regno*, fabulas continet. Continet quæ poetæ *aureis temporibus* olim facta eſſe, regnante Saturno, finxerũt, quemadmodum & libenter fatetur, egregius huius felicitatis aſſertor, Lactantius lib. 7. Inſt. c. 24. Continet *nugas*, quas Turcarum promittit lex; quã ob id *porcorum legem* appellauit Auerroes. Cõtinet quæ veteres olim Idololatrę Mechoacani ſenſerũt; vt notauit Maff. l. 16. Hiſt. Ind. 64.

Deinde, dicitur in illo ſeculo, terrenaque felicitate *epulatum, & ſympoſiorum ſplendidus futurus apparatus.* Sed quorſum quæſo? Vel enim cibus tum aſſumetur, vt quem nunc habet, finem aſſequatur: vel voluptatis & delectationis cauſa tantùm. Si fine illo, pluſquam gigantea corporum omnium erit moles, milliario illo incremento: erunt etiã ciborũ, quæ depelluntur, reliquiæ, &c. Si voluptatis cauſa, in Epicureos Chriſtiani; in porcos homines degenerabunt. 65.

Præterea, vacandũ ibi, vt dicitur, *erit veneri & voluptatibus.* Et hoc quorſum? An propter ſobolem? Erunt igitur in iſta felici vita infãtiũ vagitus, cunæ, & quę cunis cõiũcta, &c. quòd ſi nõ ſobobes; ſed ſola 66.

quæ

duplicem Resurrectionem facit: & post primam ait *Sanctos cum Christo felicissimè regnaturos per mille annos; deinde iterum Satanam solutum iri & futurum generale* Iudicium, Sanctosq; omnes in cælum assumendos. & hoc vocat *Resurrectionem secundam.*

71 Sed profectò non fauet Chiliastis Ioannes. quia non de alterius vitæ Christi Regno loquitur; sed eo, quòd in *hoc mundo* habet apud fideles, antequam etiam ex hac vita, per mortem corporalem, discedant. Quomodo enim in futura vita Satanas soluetur, vt soluendum docet Apostolus?

In Regno ergo Christi, quod in *hoc mundo*, in Christianis habet, 72 *duplex Resurrectio est*: vtraque animi, nulla corporis: quemadmodum & duplex vita, & duplex mors animi. Vna Resurrectio est, qua animus resurgit à morte peccati ad vitã gratiæ; hæc *prima* dicitur: altera, qua ad gloriam; quæ dicitur *secunda*. Quocirca cum Christo dicuntur *primò viuere, regnare, & resurgere*; quorum per gratiam viuit animus; quemadmodum *mori*, qui gratia priuati sunt: Deinde *viuere atq; regnare & resurgere secundò*, qui ad cęlestem gloriam assumuntur. Atque hæc est *secunda Resurrectio*; illa, *prima*. & qui hac carent, in illis locum habet *mors prima*: qui illa, *mors secunda*.

Sed si huius vitæ, dicet aliquis Regnum describit Apostolus; quo- 73 modo illud *mille annis* definit? An *mille annis* illud tantum constabit? nonne mille iam & sexcentis annis durauit? Respondeo definitum pro indefinito numero positum esse: & *millenario* omnes annos cõprehendi, qui ad finem vsque mundi erunt. Infrequens hæc non est *millenarij* significatio. *Memor fuit in seculum Testamenti sui*, dicitur Psal. 105. *verbi, quod mandauit in mille generationes*; id est, in quàm plurimas, vel omnes: Item Ecclesiastici, 16. *Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij*, id est, multi, vel omnes impij. Rursus, Micheę 5 *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda.* Sic in prophanis quoties legitur, *Millies id audiui: Millies mortem malim oppetere?* Et cùm dicitur: *Iris mille trahens aduerso sole colores*, quid nisi multos?

Quæres & illud, Quomodo hoc millenario seu indefinito tem- 74. pore, quod ad extremum vsq; huius mundi diem est, Sancti *regnẽt, vel sacerdotes Dei sint & Christi*? Respondet B. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. cap. 9. *Regnant hic*, inquit, *Regno militiæ, in quo adhuc cum hoste confligitur: & aliquando repugnatur repugnantibus vitijs: aliquando cedentibus imperatur, donec veniatur ad illud pacatissimum Regnum, vbi sine hoste regnabunt.* Et postea: *Vidi sedes & sedentes super eos, & Iudicium datum est. Non hoc putandum de vltimo Iudicio dici: sed sedes præpositorum, & ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem da-*

tum, nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est, Quæ ligaueritis super terram, ligata erunt & in cælo; & quæ solueritis super terram, soluta erunt & in cælo. Tandem & hoc addit Augustinus. *Erunt*, inquit, *Sacerdotes Dei & Christi; & regnabunt cum illo mille annis, non vtique de solis Episcopis, & presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticum Chrisma: sic omnes, Sacerdotes, quoniam membra sunt vnius Sacerdotis: de quibus Apostolus Petrus 1. cap. 2. plebs, inquit, sancta, regale sacerdotium.* Hæc Augustinus.

An Iusti aliquo, saltem breui, tempore sint resurrecturi ante Impios.

75. Igitur conclusum sit primò, Iustos non præcessuros Impios in Resurrectione mille annis, quinimò nec vno die præcessuros: resurrecturos eodem, quo Iusti die. An fortè illo ipso die iusti impios aliquantulum præuenient; vt mox, vbi iusti resurrexerint, reuocentur ad vitam impij? Docent hoc, vt diximus superius, Thesi 53. viri non leues. Nos *eodem tempore, temporisq́; momento, eadem tuba*, & iustos, & impios simul ad vitam credimus reuocandos. Atque hæc secunda sit nostrarum Assertionum.

76. Nec in hac nobis desunt aut doctissimorum virorum suffragia; aut præclara sacrarum Scripturarum testimonia; aut egregiæ rationes. Nam, vt Scholasticos Doctores omittam, qui id ad distinct. 43. quarti Sententiarum Petri Lombardi docuerunt: Nihil etiam dicā de Hippolyto; qui lib. de consummatione mundi; & Methodio, qui lib. de Resurrectione, huius sunt sententiæ, disertis verbis habet Gennadius, lib. de Eccles. dogmatibus quod dicimus. *Erit*, inquit ille, *Resurrectio omnium mortuorum; sed vna in simul, & semel: non prima Iustorum, secunda Peccatorum.*

77. Sacrarum Scripturarum testimonia tam clara non sunt: sed tamen firmiora. *Nolite mirari*, inquit Dominus, Ioan 5. *hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & procedent, qui bona egerunt in Resurrectionem vitæ; qui autem mala in Resurrectionem Iudicij. Hora*, de qua loquitur Dominus, idem tempus temporisque momentum est, quo mortuorum erit Resurrectio. & quia hoc tam mali dicuntur resurgere in *Resurrectionem Iudicij*; quàm boni in *Resurrectionem vitæ*; colligitur eodem tempore, temporisq́; momento, & bonos, & malos resurrecturos.

78. Cum Magistro Domino consentit Apostolus discipulus; quando sine distinctione iustorum & impiorum docet *omnes* resurrecturos, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. *Omnes*, inquit, 1. Corinth. 15. *resurgemus in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.*

Et

Et quam ob cauſam debebunt iuſti impios præcedere? An fortè 79.
quæ vox iuſtos poteſt reuocare ad vitam, non poteſt reuocare impios? quis hoc dixerit? An alia ad iuſtos dirigetur, alia ad impios? vna vtriſque ſeruiet. An iuſti mox ad datam vocem volent reſurgere; non volent impij? At in hominum poteſtatem non eſt reſurrectio. An iuſti meriti ſunt, vt prius meritorum præmia capiat in corporibus; quam Impij in ſuis corporibus ſupplicia ſuſtineant? Dici hoc non debet. Quemadmodum Iuſtis ſua præmia, ita Impijs ſua debentur ſupplicia.

80. Fortè ordinē inter Iuſtos & Impios ſignificat Apoſtolus, 1. Cor. 15. cùm inquit, *primitiæ Chriſtus. deinde ij, qui ſunt Chriſti: deinde finis.* Exiſtimant id quidam, vt diximus. At Apoſtolus, ſi quem ordinem conſtituit, non inter Iuſtos & Impios conſtituit; ſed Chriſtum & Iuſtos. inter quem & illos ordo ſeruatus eſt, vt nôrunt omnes. Ille enim iam ante mille quingentos, & plures annos reſurrexit: Iuſti vltimo die ſunt reſurrecturi. Finis verò, cuius Apoſtolus meminit, & qui Iuſtorum Reſurrectionem ſequetur, non ſignificat Impiorum, aut vniuerſalem omnium Reſurrectionem; ſed extremum, ſiue finem mundi, qui poſt Reſurrectionem Iuſtorum mox ſequetur.

An inter Iuſtos aliquis in Reſurrectione ordo ſeruabitur.

81. Inter Iuſtos igitur atque Impios nullus *Ordo* in Reſurrectione ſeruabitur. non iuſti impios; non impij iuſtos præcedent. An aliquis *inter Iuſtos* erit? Id quidam ex Apoſtoli illis, ad Theſſ. 4. Epiſt. 1. colligunt, vbi ſic inquit. *Mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra: & ſic ſemper cum Domino erimus.* Veruntamen, quemadmodum Iuſti non præcedent Impios; ita neque iuſti prius defuncti, eos, qui extremo die viui inuenientur. Hæc Tertia ſit noſtrarum Aſſertionum.

82. Probatione hîc nulla alia opus, quàm quæ pro præcedenti Aſſertione eſt allata. Quibus rationibus docetur Iuſtos non præuenturos Impios; iiſdem confirmatur hos Iuſtos non præceſſuros alios. *Vna voce, & tuba; vno momento, & ictu oculi,* ad vitam reſurgent omnes Impij, omnes Iuſti.

83. Atque hoc quoque in Sacris literis optimè exercitati docuerunt Sancti Dei homines. Quocirca & ad laborârunt, vt orationem Sanctiſsimi Pauli exponerent, qui ordinem aliquem inter Iuſtos conſtituere videtur. Et alij quidem illum ordinem non temporis,

 ſed

sed *dignitatis* esse dixerunt, vt verborum Apostoli hic sit sensus; quod Iusti, qui olim mortui fuerunt, resurgent primi, id est, ijs quodam modo magis debita sit Resurrectio; eò quod diutius illam exspectarint: nihilominus tamen reliqui, qui extremo tempore viui inuenientur, rapientur cum ipsis obuiam Domino: ita Sedulius.

84. Alij volunt Apostolum *temporis* ordinem & successionem indicare: veruntamen non inter priorum, & posteriorum Resurrectionem: sed inter priorum Iustorum Resurrectionem, & posteriorũ Raptum: vt sua oratione Apostolus doceat, nõ hos prius rapiendos in aëra obuiam Christo, quin prius illi resurgant. Hanc Sanctus Thomas atque B. Anselmus Apostoli volunt esse sententiam. Atq; hactenus de Ordine resurgentium.

85. Porrò, quem negamus, ordo ad communem & generalem illam mortuorum resurrectionem pertinet, quæ gloriosam Christi Iudiciariam Apparitionem præcessura est. In *illa* nullus ordo inter resurgentes obseruabitur. Quocirca non hoc loco constitutum volumus, *Omnes omnino* tunc ad vitam reuocandos. quin imò piè credimus, ad vitam à morte reuocatos plurimos, qui cum corpore & anima iam beati, illo die quidem comparebunt; sed olim ad vitam resuscitati sunt. In horum numero creditur esse Christi mater, virgo Maria; beatus item Apostolus & Euangelista, sanctissimus Ioannes: illi etiam, qui cum Christo resurrexerunt, atque die paschatis ingressi sunt sanctam ciuitatem. de quibus B. Matthæus, cap. 28. Sed hæc alterius sunt loci.

Qualis futura Resurrectio mortuorum, qui ante Christi Iudiciariam Apparitionem ad vitam sunt reuocandi.

86. Qualitas hæc, de qua quæstio est, in *quinq;* consistit, in corporum identitate, perfectione, quantitate, discretione, & conditione. In *identitate* quæritur; eademne corpora quoad materiam sint restituenda, quæ olim circumlata fuerunt. In *perfectione*; an habitura quasdam deformitates, prout quasdam quædam in hac vita habuerunt. In *quantitate*; qua statura & quali ætate redibunt. In *discretione*; an distinctio sexus in ijs erit. In *conditione*; quibus donis instructa. Priora quatuor ad omnes mortuos pertinent. quintum ad probos & Iustos maximè. Singula breuissimè expedienda.

An eadem corpora in Resurrectione sint mortuis restituenda.

87. De *Identitate* igitur hoc primum. *Omnino eadem corpora resumenda* in Resurrectione mortuorum, quæ olim circumlata fuerunt. Atq; hoc contra quosdam, qui nostra hæc crassiora dixerunt conuertenda

da in *aërea*, aut *aëre subtiliora*: quòd hoc Scriptura docere videatur. Nam in illa ad Corinth. prima, cap. 15. primò dicitur, *Carnem & sanguinem Regnum Dei non possessura*. Deinde, *quod seminetur quidem corpus animale, surgat autem corpus spirituale*. Hanc sententiā olim secuti sunt Origenes atq; Ioannes Hierosolymitanus Episcopus, teste B. Hieronymo, Epist. 61. ad Pammachium, atque Eutychius Episc. Constantinopolitanus, quemadmodum refert B. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 31.

Sed damnata est sententia Origenis suique sequacium. Gregorius quoque Pontifex contra Eutychium Constantinopolim missus effecit, vt primùm quidem Tiberius Constantin. Imperator Eutychij librum in ignem inijceret: deinde Eutychius ipse, morti vicinus, pellem manus suæ apprehenderet, & multis præsentibus diceret: *Confiteor, quia omnes in hac carne apparebimus*. 88.

Nec aliud potuit dicere Eutychius; nec aliud nobis licet sentire. 89.
Pro veritate hac, disertissima est Iob sententia, cap. 19. *in nouissimo die*, inquit, *de terra resurrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Saluatorem meum*. Et adhuc clarius. *Quem visurus sum Ego Ipse*, inquit, *& oculi mei conspecturi sunt, & non alius*.

Sed & ipsum *Resurrectionis* verbum confirmat, quod dicimus. Ne- 90.
que enim propriè aliquid dixeris *resurgere*: nisi idē sit cum eo, quod cecidit. *Non rectè*, inquit B. Gregorius, lib. 14. cap 27. *Resurrectio dici potest; vbi non resurgit, quod cecidit*. & Damascenus, lib. 4. Orthod. fidei, cap. 28. *Resurrectio nihil est aliud; quàm secunda eius, quod cecidit, surrectio. Ex quo*, addit, *efficitur; vt illud ipsummet corpus quod interit & dissoluitur; tandem interitus expers, ad vitam rediturum sit*.

Hinc optimè B. Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium. *Fidem* 91.
Ecclesiæ, inquit, *apertissimè confitebor. Resurrectionis veritas Catholica, sine carne & ossibus, sine sanguine & membris intelligi non potest*. Et B. Augustinus in Enchiridio, cap. 84. *Resurrecturam Carnem omnium, quicunq; nati sunt hominum, atq; nascentur, & mortui sunt atq; morientur, nullo modo dubitare debet Christianus*.

Christi quoque Resurrectio in hac corporum identitate nobis 92.
seruit. Illius nostra mortalium assimulabitur. An verò ille in corpore aëreo resurrexit? Non surrexit in corpore per mortem deposito? *Palpate & videte*, inquit, *quia spiritus carnem, & ossa non habet; sicut me videtis habere*. Lucæ 22. Est hoc B. Gregorij argumentum lib. 14. Moralium, cap. 31. & Cōcilij Toletani 11. in confessione fidei. Ibi enim sic dicitur: *Exemplo capitis nostri confitemur veram fieri Resurrectionem Carnis omnium mortuorum: neq; in aërea, vel qualibet alia carne, vt qui-*

dam delirant, resurrecturos nos credimus: sed in ista, qua viuimus, mouemur, & sumus.

93. Potest dictis addi ratio sumpta ex ordine diuinæ iustitiæ; qua vtitur Sanctissimus Dionysius, cap. 7. Eccles. Hierarch. *Iniurijs*, inquit, *quantum in se est, afficientes corpora, quæ cum sanctis animabus laborarunt, sacrisq; retributionibus parum honestè priuantes, quæ ad finem sanctissimi cursus peruenerunt.*

94. Nec dictis obstat, quòd Apostolus dicit *carnem & sanguinem non possessura Regnum Dei.* Appellat enim *carnem & sanguinem*, vel ipsa opera praua, quæ fiunt non secundùm spiritum; sed secundùm carnē: vel naturam hominis, vt est nunc corruptioni, & peccatis obnoxia: vel eandem hominis naturam nudam, sine præsidio gratiæ & adiutorio Spiritus sancti consideratam: vel certè hæc omnia tria: quorum nullum, vt patet, *Regnum Dei possidere* potest. Poterit autem possidere *caro*, cùm resurrexerit, in incorruptione (iuxta eundem Apostolum illic) & munere diuino.

95. *Spirituale* verò *corpus* dicitur futurum, quod ante fuit animale: nō quia verum solidumque corpus non erit, aut idem cum priore; sed quia tunc alia ipsius, quàm fuit, erit conditio. *Spirituale erit*, inquit B. Augustinus, in Enchirid. cap. 91. *quia tanta erit concordia tunc carnis & spiritus, viuificante spiritu, sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnē vt nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.* Definitum ergo sit *eadem numero corpora*, siue eandem numero materiam suæ formæ & animæ esse restituendam.

96. Vnum dictis addo, quod dum eandem materiam restituendam Resurrecturis dicimus; non intelligimus priori materiæ *nihil* detrahendum fore; *nihil* item ipsi superaddendum. Quanquam hoc fortè in quibusdam accidat, vt tamen in omnibus accidat, fieri nequit. Quid enim, si infantes quidam in vtero, mox vbi rationalem animam acceperunt, aut nani moriantur? nonne necesse est, vt horum materiæ aliquid addatur; si, vt oportet, *in plenitudine ætatis Christi*, debent resurgere? Quid, si etiam aliqui in aliorum escam cesserunt; & magnam, quam habent corporis partem ex alijs acceperunt? Non ergo omnino necessarium est, vt eadem prorsus restituatur, *nulla ipsi parte* addita, nulla subtracta. sufficit. si aliquid restituatur; si omnis restitui nequit.

Nec

Nec tamen ob id negandum *eundem numero* hominem resurgere, 97.
idem numero resurgere corpus. Quanta enim est in vno homine aliquando varietas, qui tamen & vnus homo idemque est, & dicitur; vnus & idem homo aliter se habet, cum est puer; aliter cum est iuuenis, vir, & senex, aliter cùm ægrotat, aliter cùm firmior & vegetior est, aliter cùm ex suis omnibus membris integrè constat, aliter cùm aliquo membro aut parte orbatus est. &c. Præterea, non semper easdem retinet partes materiæ; cùm hæ per nutritionem continuò fluant & refluant, vt vult Aristoteles, lib. 1. de generat. tex 35 & tamen, non obstante hac mutatione, *vnus idemq; homo est*, quisque per totam vitam; hoc ipso, quod eandem numero retinet animam, & præterea eandem determinatam rationem eiusdem corporis humani.

98.
In ciuitatis alicuius *vnitate*, quod dicimus clarum est. Partes alicuius ciuitatis fluunt atque refluunt: recedunt hi ciues, succedunt eli; remanet nihilominus eadem ciuitas, quatenus ad eadem officia & ordines substituuntur hi, qui succedunt. Ita dum quibusdam partibus materiæ refluentibus aliæ succedunt in eadem situ & figura, *idem homo* manere & esse dicitur. De hac re plura legenda apud B. Augustinum lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 22. ,&c. Hactenus de identitate corporum.

De perfectione plura quæruntur: videlicet, an corpora habitura 99.
quasdam deformitates: quæ consistunt partim in *defectibus*, partim in *excessibus*; partium in partim *situ & figura*. Et *defectus* possunt esse, vel partium & membrorum corporis; vt sunt v. g. manus & oculus: vel eorum, quæ sunt munimenta & ornamenta partium; vt capilli & vngues. *Excessus* contingere possunt similiter, vel ex membrorũ abundantia; vel eorum quæ membrorum sunt ornamenta, aut munimenta; vt sunt longiores crines aut vngues. *Situs* positionem partium postulat in suis locis. *Figura* proportionem partium debitam. De his verò quid? qualis perfectio, & quanta in Resurgentibus?

An resurgentium corpora futura sint perfecta.

De Improbis & damnatis res incerta est Beato Augustino, in 100.
Enchiridio cap. 92. Cùm enim, cap. 91. dixisset, *Resurgent Sanctorum corpora, sine vllo vitio, sine vlla deformitate*, postea, cap. nonagesimo secundo de Impijs sic subiungit, *Quicunque* inquit, *de illa perditionis massa, quæ facta est per hominem, primum non liberantur*

per

per vnum Mediatorem Dei & hominum; resurgent quidem etiam ipsi, vnusquisque cum sua carne; sed vt cum diabolo, & angelis eius puniantur. Verum sanè ipsi cum vitijs & deformitatibus suorum corporum resurgant, quicunque in ijs vitiosa & deformia membra gestarunt, inquirendo laborare opus quid est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo; quorum erit certa & sempiterna damnatio. Ita B. Augustinus. At Auctor supplementi ad S. Thomam, q.86. art. 1. idem de damnatis & beatis existimat asserendum.

101. Nos vt de damnatis nihil dicamus. Non dubitamus, quin *omnibus modis perfecta futura sint Beatorum corpora*: vt ob id non solùm resurrectura sint cum omnibus suis partibus & membris; verùm etiam habitura sint, quæ partium diximus partim munimenta, partim ornamenta. Caritura item quacunque deformitate, quæ vel ex alicuius potest esse membri abundantia; aut ex iniusto situ atque figura, aut ex quocunque alio defectu accidere.

102 Diserta est pro hac assertione B. Augustini sententia in Enchiridio, cap. 91. *Resurgent*, inquit, *Sanctorum corpora, sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate.* Et li. 22. de Ciuitate Dei, cap. 20. *Nec si aliqua*, inquit, *Martyribus amputata & ablata sint membra, sine ipsis membris erunt in Resurrectione mortuorum, quibus dictum est: Capillus capitis vestri non peribit.* Idem habet lib. 22. de Ciuit. cap. 19. *Nulla*, inquit, *erit deformitas, quam facit incongruentia partium: vbi & quæ parua sunt corrigentur, & quod minus est, quàm decet, vnde Creator nouit, ibi supplebitur: & quod plus est, quàm decet, materia, seruata integritate detrahetur. Coloris quoque suauitas quanta erit, vbi iusti fulgebunt sicut sol in Regno Patris sui?* Et paulo superius. *Non est*, inquit, *macris, pinguibusque metuendum, ne ibi etiam tales sint, quales, si possent, nec hîc esse voluissent.* Ita B. Augustinus.

103. Quod Augustinus disertis verbis; id haud obscurè insinuat Scriptura; dum indicat iustorum corpora non nisi optimum decentissimumque statum in altero seculo habitura. Patet hoc ex sequentibus locis. Sapient. 3. *fulgebunt Iusti*. Sapient. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter Sanctos*. Isaiæ 25. *præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie*. Matth. 13. *fulgebunt Iusti, sicut sol.* 1. Corinth. 15. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget spirituale.* Et Apocal. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.*

Quanta futura Resurgentium corpora.

104 Sed quæ corporum erit *quantitas*? Refert Nicephorus lib. 12. capite

pite 37. visum hominem annorum plurium, in Ægypto, qui *perdice* magnitudine non superaret. Qui verò à Moyse missi, vt promissam à Deo terram explorarent, retulerunt se homines *prodigiosæ magnitudinis* inuenisse, quibus cùm ipsi comparati, possent videri *locustæ*. Nú. cap. 13. Et ad immensam vastitatem accessit, cuius se molarem dentem vidisse narrat B. Augustinus cap. 9. lib. 15. de Ciuitate Dei, *qui*, inquit, *dens, si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centū nobis videretur facere potuisse.* Quæritur ergo, An *tanta* corporis mole redibunt mortui ad vitam reuocati, quanta hîc vixerunt? & parui atque nani, non maiori, quàm dum præsentem vitam egerunt? quæritur & *qualem ætatem* præseferent.

Quęstioni respōdisse videtur Apostolus Paulus, in illa ad Ephes. 4. cap. quando extremo die in mortuorum Resurrectione docet nos venturos *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ex quo loco Theologi, in 4. Sent. dist. 44. secuti B. Augustinum, docent vnumquemque resurrecturum in vigore iuuenilis ætatis, quem circa *trigesimum* à natiuitate annum vel habuit, vel habiturus fuisset, si eousq; vixisset: itemque in *ea corporis statura*, quam iuxta proprium temperamētum & facultatem naturalem adipisci potuisset, si nullum obstitisset impedimentum. 105.

Augustini verba ascribimus. *Restat*, inquit, *vt suam quisq; recipiat mensuram, quam vel habuit in iuuentute, etiam si senex est mortuus: vel fuerat habiturus, si antea est defunctus.* Et paulo post. *Si hoc*, inquit, (quod iam ex Apostolo retulimus) *de Resurrectione corporum dictum est; sic accipiamus dictum; vt nec infra, nec vltra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum: sed in ea ætate & robore, vsq; ad quam Christum hîc peruenisse cognouimus. Circa triginta quippe annos definierunt esse etiam seculi huius doctissimi homines Iuuentutem: qua cùm fuerit spacio proprio terminata, inde iā hominem in detrimenta vergere grauioris & senilis ætatis.* Ita Augustinus, lib. 22. de Ciuit. cap. 15. Capite verò 20. eiusdem libri sic habet. *In resurrectione*, inquit, *carnis in æternum eas mensuras habebit corporū magnitudo, quas habebat perficiendæ siue perfectæ cuiusq; indita corpori ratio iuuentutis, in membrorum quoq; omnium modulis congruo decore seruato.* 106

Cum Augustino consentit B. Hieronymus, vt apparet ex ipsius verbis, in Epist. 61. ad Pammachium: vbi errores Ioannis Hierosolymitani refutans, sic loquitur: *Miraris si de infantibus & senibus in perfecti viri ætatem Resurrectio fiat, cùm de limo terræ absq; vllis ætatum incrementis, consummatus homo factus sit.* 107

Quæ cùm ita sint, optimè docet B. Thomas, in 4. dist. 44. q. 1. a. 2. quod vt, v. g. puer vel nanus resurgat in *magnitudine perfecta*, & in 108.

corpore naturali modo constituto, necessarium esse, aliquam ad propriam & primam materiam, additionem fieri.

109. Sed & hoc sequitur, non necesse esse semper totam materiam, quę fuit in mortuo restitui homini suscitato. Quid enim, si immensæ & prodigiosæ ante fuit magnitudinis? Restituetur igitur *tantum*, quantum requirit perfecta illa statura, quam resuscitati habebunt. Si quid superierit, cùm hoc humano corpori non sit necessarium, non restituetur. Vide Francis. Soarez Tom. 2. dist. 44. sect. 1.

110. Quæris, an hæc iuuenilis ætas, perfectaque & Christi respondens statura communis futura & bonis & malis? an bonis beatisque tantùm? Et hic quid certi statuas difficulter inuenias. De Bonis nō dubitamus. de dānatis quid potius dicamus, hæremus. Rem dies Domini definiet.

An discretio sexus in Mortuorum Resurrectione futura.

111. Discretionis sexus etiam, vtrum in Mortuorum Resurrectione ratio habenda sit queritur, in hac de *qualitate* ipsorū disputatione. Et quidam quidem existimant nullam futuram: alij, vt Armeni, teste Guidone Carmelita, aliquam, sed *virilis* tantùm; sub hoc enim omnes censent apparituros; & ob id fœmineum in virilem mutandum.

112. Prioribus illis videtur fauere, quod distinctione sexus, in illa vita, opus non sit, in quā discernentia membra nullum habitura sunt vsum: & in qua quam illorum intuitus parit, verecundia non reperitur. Ad quod accedit, quod, vt loquitur Dominus, *in Resurrectione neq; nubent, neq; nubantur sed similes erunt Angelis Dei*, Matth. 22. Sed clariùs pro his est, quod ex Basilio Psal. 114. & Hieronymo, in ad Ephes. 5. affertur. *Quo modo*, dicitur ibi. *apud Angelos non est vir & mulier: ita & nos, qui similes Angelis futuri sumus, iam esse incipiamus, quod nobis in cælestibus repromissum est.* Similia habet Athanasius, sermo. 3. contra Arianos.

113 Pro posterioribus est, quod superius diximus omnes imperfectiones atq; deformitates ab illa vita remouendas esse. quocirca cùm ad imperfectionē, in hominum genere, pertineat fœmineus sexus, in virilem ille commutandus videtur: quemadmodum parua alicuius in iustam staturam. Et his D. Paulus fauere videtur; primò quidem in illa ad Ephes. Epistola, cap. 4. quando docet futurum, vt occurramus omnes in *virum* (non mulierem) *perfectum*; deinde ad Rom. 8. quando asserit nos conformandos *imagini filij Dei*, viri vtique, *non mulieris*.

114. Verum quidquid dixerint Armeni, dubitare vix potest homo Christianus, quin, quæ in hac vita fuit, in illa futura sit discretio sexus.

sexus. Docet hoc Tertul. antiquissimus Scriptor, lib. de Resurr. Carnis, cap. 60. Hieronymus item Epist. 61. ad Pammachium, & Epist. 27. ad Eustochium; atque Augustinus, lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 17. Omitto turbam Scholasticorum ad dist. 44. Magist. in 4.

Nec malè hoc docent. Quid enim, An non ad *perfectam* (qualem futuram diximus) Resurrectionem requiritur; vt idem homo cum omnibus, quæ habuit, mẽbris redeat, redeat cũ cõditionibus, non ijs solùm, quas specifica natura. sed etiam indiuidua, postulat? At hanc sexus differentiam, si non prorsus, certè vehementer conuenienterque indiuidua natura requirit. 115.

Preterea, vt neutrum sexum referant, qui resurgunt, dici nequit, si integra debent esse, vereque humana corpora, quæ restituuntur. Vt porrò solùm virilem referant; & nullus sit fœmineus, nulla iusta causa dari potest, quemadmodum ex sequentibus mox erit manifestum. 116.

Nec est, quod obijcitur in illa vita nullum habitura vsum membra, quæ sexum discernũt. Quæ olim seruiuerunt propagationi hominum generi; illa cessante hæc ornamenta erunt naturæ. *Erunt mẽbra fœminea*, inquit B. Augustinus, lib. 22. de Ciuit. cap. 17. *non accommodata vsui veteri, sed decori nouo.* 117.

Sic verecundiam ipsa, in illa vita, non afferent. *Non*, inquit ibidẽ idem Augustinus, *allicietur ibi aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudabitur sapientia atque clementia, qui & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione, quod fecit.* Si in statu innocentiæ verecundiam non attulit nuditas, ob summam animæ rectitudinem & integritatem; afferet in statu gloriæ? Atq; hoc quidem de Beatis: de damnatis nihil definimus. Verisimile nec motus concupiscentiæ in ijs futuros, si non aliam ob causam, certè ob grauissima quæ patiuntur tormenta. 118.

Dominus verò sexum non tollit, Matth. 22. dum docet, quòd *in Resurrectione nec nubent nec nubentur, sed similes sint futuri Angelis.* quid quòd potius eundem confirmet? *Nam cùm alioquin aptus esset locus*, inquit Augustinus, superius citatus, *vt diceret: De qua enim me interrogatis, vir erit ipsa, non mulier: non hoc dixit, sed dixit: In Resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed sunt sicut Angeli Dei in cælo, æquales vtique Angelis immortalitate ac felicitate; non carne: sicut nec Resurrectione, qua non indiguerunt Angeli, quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo*, inquit Augustinus, *futuras negauit in Resurrectione, non fœminas: & ibi negauit, vbi talis quæstio vertebatur, vt eam negato sexu muliebri celeriore* 119.

facilitate dissolueret, si eum ibi præuosceret non futurum: imò etiam futurum esse firmauit dicendo: Non nubent, quod ad fœminas pertinet: neq; vxores ducent. quod ad viros. Erunt ergo, quæ vel nubere hic solent, vel ducere vxores; sed ibi hoc non facient. Idem in dictum locum notauit Chrysostomus homil. 7. in Matthæum: & clarius Euthymius, cap. 53. sic dicens: *Neq; viri matrimonium contrahent; neq; mulieres nuptui tradentur.* Eodẽ modo locutos esse Basilium, Hieronymum atque Athanasium dicendum est; nempè significare voluerunt, non futurum esse sexus diuersitatem quoad *vsum*; non quoad *substantiam*.

120. Sic quæ docent sexum fœmineum conuertendum in virilem, nulla sunt argumenta. Quamuis enim virilis, ex suo genere, sit perfectior; fœmineus tamen etiam à natura intentus est. Vnde bene B. Augustinus, 22. de Ciuit. cap. 17. *Non*, inquit, *est vitium sexus fœmineus, sed natura.*

121. Ineptè verò producitur illud Pauli, ad Ephes. 4. *donec omnes occurramus in virum perfectum.* Nam, vt rectè B. Augustinus respondet, lib. 20. de Ciuit. cap. 18. *hoc quod de Viro in statu, & vigore perfecto*, ibi dicitur, oportet iuxta Scripturæ phrasim subintelligi etiam suo modo de fœminis. *Sicut in eo*, inquit B. Augustinus. *quod dictum est Psal. 111. Beatus Vir, qui timet Dominum, vtiq; ibi sunt & fœminæ, quæ timent Dominum.*

122. Ineptius producitur illud alterum, ad Rom. 8 *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij Dei.* Est enim Apostolus intelligendus de conformitate, non quoad *sexum*; sed quoad *gratiam & merita & gloriam*, &c.

Quæ conditio corporum Beatorum quoad Dotes, in resurrectione communi Mortuorum.

123. Vnum in *qualitate* Resurgentium restat definiendum: Quæ, videlicet, corporum futura *conditio*. Hæc verò ad *Bonos* præcipuè pertinet, quorum corpora, præ cæteris, singularibus beneficijs ornanda dicuntur, quæ *dotes*, vsitato in scholis nomine, vocantur, & mox ipsa quàm primùm beatis animabus coniunguntur, obtinebunt.

124. Dotes hæ *quatuor* assignantur à Theologis, Impassibilitas, Subtilitas, Agilitas, Claritas. De singulis præclara sunt Sacrarum Scripturarum testimonia.

125. De *claritate* sic D. Paulus ad Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori Claritatis suæ.* Eandem nomine *gloriæ* describit idẽ Paulus. 1 Corinth. 15. inquiens: *seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Meminit eiusdem Dominus, Matth. 13 *fulgebunt*, inquit, *Iusti sicut sol.* Similiter Daniel, cap. 12. dum sic loquitur. *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos; tanquã scintillæ in perpetuas æternitates.*

De

De *Impassibilitate* idem D. Paulus, 1. Corinth. 15. *seminatur in corruptione; surget in incorruptione.* & infra, *Caro & sanguinis Regnũ Dei possidere nõ possunt:* & explicans quid nomine *carnis & sanguinis* intelligat, subdit, Neque *corruptio incorruptionem.* Clarius disertiusque de ea loquitur Apostolus Ioannes Apocal. 7. dicens: *Non esurient, neq; sitient amplius, nec cadet super eos sol, aut vllus æstus:* & cap. 22. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra. quæ prima abierunt.* 126.

Sic de *Agilitate* ibidem Apostolus, 1. Corinth. 15. Seminatur *in infirmitate*, surget in virtute. De eadem rectè intelligitur illud Isaiæ 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquilæ: currẽt, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* De eadem dote optimè intelliguntur verba Malach. 4. *Et orietur sol iustitiæ vobis timentibus nomen meum: & sanitas in pennis eius; & egrediemini, & salietis vt vituli.* De eadem & illud Sap. 3. *fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* 127.

Pro *subtilitate* profertur id D. Pauli, 1. Corinth. 15. *seminatur corpus animale; surget spirituale.* Cùm enim alijs verbis alias proprietates & dotes gloriosi corporis explicarit, procul dubio his significarit *subtilitatem*, quæ non minus, quàm alię gloriosis corporibus tribuetur. 128.

Porrò *subtilia* erunt corpora; non quia vertentur in spiritum; vt Hęretici quidam docuerunt: aut, quia rara erunt, ad instar aëris, aut venti, vt finxit Eutichius: sed quia vim habitura sunt se mouendi, & quocunque ingrediendi, vel egrediendi; absque alterius corporis impedimento: quemadmodum Christus clauso sepulchro egressus est, & clausis ianuis ad discipulos ingressus. Ita *subtilia* corpora Resurgentium explicat Anastasius, Episcopus Antiochenus, lib. 5. de Resurrectione. 129.

Impassibilia erunt, quòd ita animæ rationali subiecta erunt, itaque affecta; vt nihil contrarium possit illa ad alienam formam disponere, vllamq; ipsis vim inferre. Itaque Impassibilitatis dos passionem duntaxat *corruptiuam* excludet; quam *motum præter naturam* vocat Damascenus, lib. 2. de fid. orthod. cap. 22. non autem passionem animalem; quæ in vsu consistit potentiarum & virium sensitiuarũ, aut etiam *intentionalem*; quæ fit per receptionem specierum intentionalium. 130.

Agilia erunt, quia facilimè celerrimeque quocunque beati volũt, poterunt illa mouere. *Vbicunq;*, inquit B. Augustinus lib. 22. de Ciuit. 30. *volet spiritus, ibi protinus erit corpus*: An verò instanti de extremo in extremũ illa mouere possint disputant Theologi. Res non huc, sed ad scholas pertinet. 131.

132. Denique *clara* erunt,luce insigni, qua perfundentur; quæq; non in superficie tantùm obseruabitur; sed & corpora penetrabit. *Corpora Beatorum*,inquit B.Gregorius,lib.18.in Iob,cap.27. *& claritate fulgent,& puritate transflucent.*& infra: *Patebit corporalibus oculis ipsa etiã corporis harmonia,sicq; vnusquisq; tunc erit conspicabilis alteri,sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.*Et Laurentius Iustinianus, lib.de disciplina & perfect. monasticæ conuersat.cap.23.*Corpus gloriosum nimia claritate fulgebit,ita vt solis septies transcendat splendorem.*

133. Dotes iam dictæ ex animæ beatitudine in corpus redundabunt; sed non per eandem qualitatem omnes.priores tres,*agilitas*,scilicet, *impaßibilitas* & *subtilitas*,per qualitatem diuini atque supernaturalis ordinis;per quã & corpus beatũ redditur & gloriosum.*Claritas* nõ hac;sed alia qualitate,luce videlicet,quæ quamuis ex parte suæ causæ differat à nostra; secundùm essentiam suam tamen est eiusdem speciei cum nostra.quocirca & ab oculo non glorificato illa videri poterit,quemadmodum & nostra.

Præterea,cùm beatorum corpora animæ perfectè sint tunc sub-
134. ijcienda,ac proinde nihil contra corpora illa fieri poßit; ea tenus eadem claritas videbitur,aut nõ videbitur,quatenus ipsi beati voluerint,aut non voluerint videri.Hactenus de *conditione* gloriosorũ corporum.plura,quæ de his dicenda sunt,ad scholas pertinent. Videndus quoque Franciscus Soarez, tom. 2.in 3.partem S. Thomæ, locis pluribus.

Quo loco Mortuorum Resurrectio, quæ Iudiciariam Dei Apparitionem præcessura est,sit futura.

135. De *tribus locis* quæstio esse potest; vel illo, vbi primùm mortui sunt mortales,& corpora eorum sepulta:vel vbi ipsorum reliquiæ tempore aduentus Domini habebuntur:vel illo,vbi mortui Iudicis, & apparentis Christi sententiam sunt accepturi; qui vnus aliquis,& priuatus esse potest,& quidem Iosaphat vallis, vt in sequentibus dicetur.

136. Qui Sacrarum Scripturarum verbis niti vellent, in illam facilè sententiam descendent, vt diuersis; credant futuram Resurrectionem: *omnibus*,scilicet, vbi tandem vel mortem oppetiuerunt mortales,& primũ sepulti fuerunt:vel vbi mortuorũ corpora, vel tota vel magna sui parte,extremo die inueniẽtur.Ita plurib⁹ locis docere videtur Dominus: Matth.24.his verbis:*Mittet Angelos suos, cum tuba, & voce magna;& congregabunt electos suos à quatuor ventis;à summis calorum,vsq; ad exitus eorum.*Ioannis 5.sequentibus:*Venit hora,in qua omnes qui in monumentis sunt,audient vocem filij Dei.* Idem apud Ezechielem,

cap.37. Deus docet. *Ego*, inquit, *aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus.*

Qui verò, quæ sit mortuorũ omniũ futura *conditio*; *locum* itẽ, vbi omnes iudicãdi cõparebunt, diligenter secũ expenderit, hærebit animo; & potius *vnum aliquem locum* constituet, in quo omnes reuersuri sunt ad vitam. 137.

Locus enim Iudicij non omnis est, vbi mortuorum corpora sunt sepulta: sed vnus aliquis certus, & definitus. quamuis enim, quamprimùm ad vitam redeunt mortui, sententiam Iudicis sciant & sentiant: vnus tamẽ locus dabitur, vbi & meritorum erit vniuersæ carnis discussio, & publica Christi Iudicis voce sententia proferetur. Vallis hic erit *Iosaphat*, de quo in hunc modum Ioel. cap. *3. Congregabo omnes gentes: & deducam eas in vallem Iosaphat; & disceptabo cum ijs.* 138.

Quid ergo? Cùm in *vno hoc loco* sententia sit proferenda, quidni & *hoc*, & huic vicinis ad vitam reuocabuntur defuncti? præsertim, cùm alijs locis non ita commodè reuocari posse videantur? aut si possint, non ita commodè viui ex tot mundi partibus ad locum Iudicij, vallem *Iosaphat*, transferri? 139.

Neque enim clam est, sed notum omnibus, multorum cineres & reliquias alijs locis esse; quàm vbi primùm monumentis & terræ sunt creditæ: quorundam quoque per vniuersum propemodum mundum esse dispersas. Quo igitur loco hi resurgent? illonè vbi mortui primùm sunt; an vbi reliquiarum ipsorum pars aliqua? Vt vbi mortui & primùm sepulti. Domini videtur indicare oratio; qui mortuos docet prodituros *ex monumentis*- vt, vbi reliquiarum pars, ratio, propterea, quòd qui concidit & obijt, debeat resurgere; & ex *suis pulueribus* euigilaturi dicantur mortui. 140

Et cùm reliquiæ aliquorum per vniuersum propemodum terrarum orbem dispersæ sint; aut certè dispersæ per plures orbis regiones, vbi hi, quorum hæ reliquiæ, resurgent? *An* omnibus locis? Impossibile hoc, *An* vno aliquo? sed cur hoc potius, quàm illo? 141.

Transferendos fortassis quis dixerit cineres, & reliquias ad locum; vbi primùm mors obita, & primùm mortui monumẽtis sunt cõmendati: sed quid si alicuius monumẽtũ plurimũ distet à valle Iosaphat? reliquiæ verò & cineres hoc loco habeantur, habeãtur quæcunq; vitæ sunt restituẽda? Quid hîc opus translatione à valle Iosaphat? cũ à loco monumenti *mox* sint transferendi in vallẽ Iosaphat? 142.

Præterea, cineres, ex quibus restituenda corpora, exigui sunt: facilius illi ad vallem *Iosaphat* transferentur: quàm coprora, iam ad vitam reuocata. Quot & quantis hic motibus erit opus? 143.

qui &

qui,& tot,si cineres transferendi tantùm,necessarij non erunt.

144 Sed & temporis,aut molestiarum, plus forsitan requirit corporum,quàm cinerum,quæ ministerio Angelorum perficietur,translatio. Quamuis enim maxima spacia breuissimo tempore possint conficere,atque adeò conficiant in suis corporibus Sancti,rapiendi cum Christo in cælum:tardiora tamen erunt damnatorum:qui nihilominus quo tempore Sancti in gloriosis;eodem in miseris & tardis Iudici præsto esse debebunt.

145. Neque cum horum sententia Christi oratio pugnat. Non enim tam videtur ipsi propositum fuisse docere *singulos ex proprijs monumentis* ad vitam reuocandos;quàm *omnes*, qui in monumentis sunt, reuocandos ad vitam Iam verò aliud est;ex *proprio monumento* ad vitam redire,aliud eos,qui in monumentis sunt,redire ad vitam. Illi redire ad vitam non possunt,nisi in monumentis vitam accipiant: hi possunt,quamuis vitam accipiant,etiamsi extra sua,quibus conclusi fuerunt,monumenta reperiantur.

146 Difficultatem forsitã aliquam facient,in hac sententia,mortui, qui *extremo die* viui reperientur.hi enim non in valle Iosaphat omnes inuenientur,sed & in vniuerso orbe.Quemadmodum ergo ipsi ex omnibus mundi partibus cum ijsdem corporibus,in quibus iam iam animam efflarunt,transferri possunt ad Iudicij locum;ita poterunt quicunque alij, qui iam à mundo condito in omnibus mundi partibus obierunt. Sed & huic poterit responderi; quod qui extremo illo die inueniendi sunt,etiam sint redigendi (qua tandem ratione,nouit Deus)vt fiat verum de omnibus,quod dicitur: *Cinis es,& in cinerem reuerteris*,Genes.3. ideoque vt aliorum, ita horum quoque cineres Angelorum opera ad communem Resurrectionis locum transferendos esse. Quanquam quid prohibet, si non *vnam* dicas omnium resurgentium futuram conditionem?& priores dicas vno loco resurrecturos,hos diuersis;omnibus, scilicet quibus à morte sunt præoccupati,si in cinerem non dicantur conuersi.

147 Propter hæc, similiaque argumenta, facilimam existimant hác alteram rationem Dominicus Soto,alijque non contemnendæ eruditionis viri,scilicet, vt Angelorum ministerio vnum in locum omnium cineres & reliquiæ transferantur prius: deinde hoc Spiritus vitæ in eas redeat,vitamque accipiant immortalem.

148. Quod si iam quæras, Vtrum in hoc loco vno omnium cineres reliquiæque permiscendæ;an bonorum à malorum distinguendæ. Quòd certò respondeatur non facilè habebitur. Hoc certum, vtrumque sine timeritatis atque hæreseos nota dici posse.

Sed

Sed tamen non vno, sed *distinctis locis* alij futuram credunt (& non 149.
sine ratione) mortuorum Resurrectionem. Et quidam quidem ijs locis resurrecturos credunt singulos, vbi cùm animã efflârunt, corpora terræ sunt commendata aut deposita. alij, non vbi corpora primùm fuerunt deposita; sed vbi eorum inuenientur extremo die cineres atque reliquiæ.

Priores quamuis voce *monumentorum*, quæ sepulchra significant, 150.
se videantur rectè defendere, magis tamen à veritate discedere existimantur. Si enim resurgere non potest, vt diximus, *nisi quod cecidit*: & quod cecidit alio sæpe loco, etiam maximè distanti inuenitur, quam quo cecidit; quid necesse est, vt prius ad locum vbi cecidit, transferatur; atque deinde, postquam ibi vitam recepit, ad Iudicij locum veniat?

Christus alio loco cecidit, alio resurrexit, quemadmodum & 151.
sanctissima eius mater B. Virgo, & Lazarus, & filius viduæ in Naim. vt ergo mortui eodem loco resurgant, qui ceciderunt, necesse non est.

Quid si etiam aliquorum corpora *nullo loco* sint monumentis 152.
tradita? nullone loco resurgent? Et talia fuerunt, quæ auibus sunt obiecta & bestijs terræ: quæ in plures partes dissecta, aut igne consumpta in aërem quasi abierunt, aut in maria sunt demersa.

Posteriores, qui ibi resurgere existimant, vbi integræ maiores 153.
habentur reliquiarum partes, magis ad veritatem accedunt. Fauet his magis Christi verba. vehemẽter etiam pro his militat ratio, qua quod cecidit & depositum fuit, dicitur resurgere.

Et si exempla eorum, qui aliquando ad vitam redierunt repetã- 154.
tur, etiam illa ipsis fauent. Christus ex suo, vbi corpus repositum erat, sepulchro resurrexit. Surrexit ex suo, vbi condita fuit B. Virgo quemadmodùm & Lazarus ex suo, vbi sepultus iacuit, monumento: & quicunque, die resurrectionis Christi, cum Christo resurrexerunt.

Et disertè de Beatissimis Apostolis Petro & Paulo hoc dicit B. 155.
Chrysostomus, homi. 32. in Epist. ad Rom. *Non ita*, inquit, *cælum splẽdescit, quando radios sol dimittit; quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbiq; terrarum effundens: hinc rapietur Paulus; illinc Petrus. Considerate & horrete, quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri.*

Præterea Origenes, lib. 28 in Isaiam, tractans illud Isaiæ, 26. *Resur-* 156.
gent Impij, qui in sepulchris sunt, dicit per *sepulchrum* intelligendum esse omnem locum, in quo vel integrum corpus humanum, vel ex parte aliqua iacet.

157. Denique vehementer hanc sententiam confirmant, qui extrema die vitam cum morte sunt commutaturi. Cùm enim in omnibus mundi partibus illi sint inueniendi, quemadmodum in omnibus mundi partibus excitandi ad vitam sunt, ita poterunt & in omnibus mundi partibus excitari, quorum per vniuersum mundum corpora sunt dispersa.

158. Quòd verò illi etiam in cineres prius sint resoluendi, & ita ad communem Iudicij locum (*in cineribus*) vt alij, transportandi, ibidemque ad vitam redituri, vtrum bene dicatur dubium esse potest. Certè illud *puluis es, & in puluerem reuerteris*, non multum vrget. Nã, vbi nos legim⁹, *puluis es, & in puluerẽ reuerteris*, Septuaginta legũt, *Terra es. & in terram redibis. Redire* autem *in terram*, nihil aliud est, quàm *mori*, quemadmodum ex eodem 3. Capite Genes. colligitur, dum dicitur: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram*, id est, donec moriaris: neque enim vescetur pane, donec reuertatur in *cineres*. Hinc B. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 12. *Quod dictum est*, inquit, *in terram ibis, mors pronuntiata est*. & Eucherius in Genes. *Cum dixit*, inquit, *Dominus Adæ vbi es? mortem significauit animæ, quæ facta est illo deserente: sed dicenda: Puluis es, & in puluerem reuerteris; mortem significauit corporis, quæ illi fit, anima discedente.*

159. Placet hæc de *pluribus locis* sententia vehementer Francisco Soarez; quemadmodum de *vno loco* Dominico Soto. Nos quid certò constituamus, non habemus. Quemadmodum plura alia, ita hoc quoque *dies Domini* definiet.

Quo, quanone tempore peragenda Mortuorum Resurrectio, quæ Iudiciariam Christi apparitionem est præcessura.

160. Duo hic inquirẽda sunt. Alterum est, *quo tempore* futura sit mortuorum Resurrectio, quę Christi Apparitionem est pręcessura. Alterum, *quanta temporis mora* perficienda. Posterius simplicem habet quæstionem: spacium enim tantùm ipsius temporis quæritur: prius multiplicem, prout multa in *tempore* intelligi possunt; *annus* scilicet, *mensis, dies mensis & diei hora*.

161. Et de singulis extant hominum non leuium sententiæ. Annum quidam censent *primũ post sextò millesimum*: Mensem *Aprilem*, quando omnia incipiunt florere: Diem *Paschatis*; Horam, *medium noctis*. Et hi partim ratione, partim authoritate niti videtur, partim, nescio qua Cabala.

162. Qui annum *primum post sextò millesimum* constituunt, totum mundi tempus sex annorum millibus definiunt. Et duo millia tribuũt legi naturę; duo legi Moysis, duo legi Christi & gratiæ. Meminit horum

horum Genebrardus principio suæ Chronologiæ. docetque niti quibusdam coniecturis, quarum præcipuæ sunt hæ: Primus versus Genesis, qui continet summam operum Dei, sexies literam Aleph continet: Aleph autem mille significat. Deinde Deus sex diebus absoluit mundum; septimo quieuit, ac sabbatum consecrauit. Iam mille anni sunt apud Deum, sicut dies hesterna, quæ præterijt. Postremò sex primi parentes, Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared mortui sunt. Septimus Enoch in cælum viuus translatus est. Post igitur millenarios sex, quibus labor & mors viguerit, septimum initium erit quietis & immortalis vitæ.

Qui *mensem Aprilem* asignant, argumentum accipiunt ex conditione Resurrectionis, qua ad vitam redeunt mortui. Conuenire siquidem existimant, vt quo tempore omnia, quæ hyeme quasi mortua fuerunt, reuiuiscunt, eadem ad vitam homines redeant mortui. 16

Qui *diem Paschatis* ponunt, ad Christum, qui *primitiæ est dormientium*, teste Apostolo, 1. Corinth. 15 attendunt, & sua resurrectione diem Paschatis sanctificauit. ideoque quo caput, eodem die, membra volunt vitæ restituenda. Habet hoc argumentum B. Anselmus in Elucidario. Sunt qui ad festum Paschatis non se adstringunt, sed aliqua (quæ tandem illa D sit) ominica Resurrectionem futuram credunt; eadem ob causam, quod Dominica die Dominus resurrexerit. 16

Medium noctis colligunt quidem ex illa Domini sententia, Matth. 25. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiã ei.* Atq; huius sententiæ B. Augustinus est, lib. 83. q. q. q. 57. & B. Ambrosius lib. 8. in Lucam, in illa verba Lucæ, 17. *In illa nocte erunt duo.* Item Cassiodorus in illud Psal. 108. *Media nocte surgebam.* Hieronymus quoq; in Epist. 152. ad Mincrium & Alexandrum, & in 25. Matth. super illa verba, *media nocte*: scribit hinc in Ecclesia olim consuetudinem fuisse; vt in peruigilio Paschæ, fideles ab Ecclesia non discederent, antequam tempus *media noctis* aduenerit: quòd sicut Angelus Aegyptios quondam percutiens *media nocte* transierit, ita Christus ad interitum impiorum *media nocte* sit venturus. Accedit his Lactant. qui lib. 7 cap. 19. sic scribit: *Tunc aperietur cælum med um intempesta nocte & tenebrosa;* vt in orbe toto lumen descendentis Dei, tanquam fulgur appareat, quod Sibylla versibus locuta est, quæ Latinè sic reddi possunt. 165

——— *Cum venerit ille,*

Ignis erit, mediaq; horrenda in nocte tenebræ. Ita Lactant. *Cuius noctis,* 166

K 2 addit

addit, *duplex ratio est, quòd in ea & vitam tunc recepit, cùm passus est, & postea orbis terræ Regnum sit recepturus.*

166. Ita de diuersis temporibus diuersi. Ex quibus quamuis quędam, non omnia tamen speciem probabilitatis habent. Quid quòd aliqua temerè, & parua cum ratione dicantur? & cum Sacris Scripturis repugnent? Hoc vbi demonstratum fuerit, ad alterum *de durationis quantitate*, qua Resurrectio perficietur, responsum dabitur.

An media nocte Resurrectio Mortuorum sit futura.

167. Probabilitatis igitur speciem habet primùm illud, quòd *nocturno tempore* Resurrectio dicitur futura. Veruntamen vt illud probabile, ita fortè non minus, imò magis probabile, quòd futura in *crepusculo*, sole existente in Oriente, & luna in Occidente. Sunt pro hac sententia insignes Doctores Scholastici, in 4. dist. 43.

168. Nec desunt rationes. Nam ita mortuorum Resurrectio nostra, illius Resurrectioni respondet, qui *primitiæ resurgentium* vocatur, & est Christus Dominus. Quod enim hîc in crepusculo resurrexerit, docent B. Augustinus, lib. 4. de Trinit. cap. 6. & Hieronymus in Psal 56. colligiturque ex illo, Marci 16. *Surgens autem mane prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magd.* Atque ita sentire Ecclesiam docet Hymnus, *Aurora lucis rutilat.*

169. Et claritas aduentus Domini ad Iudicium potius *lucem* auroræ, quàm noctis tenebras postulare videtur. Nam, vt primus eius in mundum aduentus, quia obscurus, in *medio noctis* accidit; ita conuenit, vt alter, qui in gloria & maiestate futurus est, *diem atque lucem* habeat, non noctis tenebras.

170. At gloriam quoque Iustorum, & Improborum confusionem plus *lux* diei facit, quàm *noctis tenebræ.* Quamuis enim interna Sanctorum claritas ipsis ad beatitudinem sufficiat; vt resurgentium gloria, etiam ab omnibus possit conspici: tamen expedit, vt extrinsecæ temporis locique circunstantiæ eorum gloriæ respondeant. Quæ quanto maiorem gloriam Sanctis, tanto maiorem confusionem afferent damnatis.

171. Nec obstat, quòd *media nocte* clamor factus dicitur. Nam *nox media*, non horam illam nocturnam mediæ noctis significat, sed occultum tempus: significaturque Dominum venturum hora, qua minimè à mortalibus expectatur, secundùm illud 1. Thess. 5. *sicut fur in nocte, ita veniet.* & illud Matth. 24. *Qua hora non putatis filius hominis veniet.* Ita Anselmus & Theophilact. in 25. Matth. Quanquam & dici possit ijs locis, quibus *noctis* mentio fit, loqui Dominum de mortis, non resurrectionis hora; & docere *nocte* quidem danda terribilia signa.

na, quæ mortem viuentibus tunc sint allatura: posthæc autem ipso iam diluculo præsente, Dominum ad Iudicium venturum, mortuosque resurrecturos.

An Resurrectio Mortuorum die Paschatis futura.

De *die*, quod *Paschatis* futurus ille dicitur, non damnamus. sed tamen certò constitui ille non potest. Neque satis firmum est, quo illius diei Assertores nituntur argumento. Non necesse est vt mortuorum Resurrectio, Christi in omnibus respondeat. Quid enim, an Improborum atque Infantium Resurrectio, qui cum solo Originali hinc discesserũt, Christi in omnibus est responsura? Nec quidem in omnibus est responsura proborum Resurrectio. 172.

Idem de die Dominica dicere possumus: quamuis Dominica dies plura pro se habeat argumenta: quorum quædam tradit B. Leo Epist. 81. ad Dioscorum, cap. 1 quædam B. August. Serm. 154. de tẽpore, alia alij: hæc verò sunt præcipua. Primò hic fuit primus mundi dies, in quo lux facta est. Secundò, in hoc die siccis vestigijs Hebræi mare rubrum transgresi sunt. Tertiò, eodem die pluit manna primùm de cælo, in deserto. Quartò, vt quidam existimãt, Christus initio huius diei natus est. Quintò, baptizatus est in Iordane. Sextò, primum miraculum fecit in nuptijs, aquam conuertendo in vinum. Septimò, multiplicatis quinque panibus, & duobus piscib' quinque hominum milia satiata sunt. Octauò, Dominus noster resurrexit à mortuis. Nonò, octauo post resurrectionem die Dominus ianuis clausis ingressus est ad discipulos, eisque Spiritum sanctum dedit, & potestatem dimittẽdi peccata. Decimò, mandauit Apostolis, vt Euangelium toto orbe prædicarent, & baptizarent homines in nomine Trinitatis. Vndecimò, in hunc diem incidit festũ Pentecostes, quo Spiritus sanctus in discipulos discendit. Duodecimò, in hoc die S. Ioannes habuit admirandas illas visiones, vt ipse testatur, cap. 1. His ergo omnibus putatur adijcienda Mortuorum Resurrectio. 173.

Porrò quemadmodum non est certum Resurrectionem futuram Dominica aut Paschatis die, ita certisimum, futurã *die vltimo*, quicunque tandem ille futurus est. Docet hoc Iob, cap. 19. *In nouissimo die*, inquit ille, *de terra surrecturus sum.* Et Dominus, Ioan. 6. *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* & Martha, Ioan. 11. *Scio, quia resurget in Resurrectione, in nouissimo die.* & Apostolus, 1. Thess. 4. coniũgit ob id Resurrectionem futuram, cum descensu Domini de cælo, *in iussu, & in voce Archangeli.* 174.

Quo mense Mortuorum Resurrectio futura.

175. De *Mense* forsitan non minus incerta est coniectura, quàm de die. Neque necesse est eodem mense omnium mortalium Resurrectionem futuram, quo reuiuiscere omnia creduntur. Sed tamen quia circa *Aprilem* aut *Martium* mundus initium habuisse creditur; facilius persuaderi potest, hoc potius; quàm alio tempore habiturus finem; ideoque tum mortuos ad vitam reuocandos.

An post sex millia annorum finis mundi futurus, & mortui resuscitandi.

176. Atque hæc videntur in vtranq; partem *probabiliter* dicta. Illud vel falsò, vel certè admodũ temerè asseritur, quòd post sex annorũ millia, mundi finis dicitur futurus: futuraque mortuorum Resuscitatio. Diem vltimum incertum esse, & minimè exspectãtes mortales esse oppressurum manifestissima, & plurima sunt Sacrarum literarum documenta, quę demonstrant. Apud Matthęum, cap. 24. Christus sic loquitur. *De die autem illo, & hora nemo scit, neq; Angeli cælorum, nisi solus Pater. Sicut autem in diebus Noe, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant ante diluuium comedentes & bibentes: nubentes & nuptui tradentes, vsq; ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit & aduentus filij hominis.* Apud Lucam verò in eadem concione sic legitur, cap. 21. *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.*

177. Petrus quoque in posteriore Epistola, cap. 3. & Ioannes in Apocalyp 3. & 16. diem Domini, *vt furem*, occultè atque improuiso venturum prædicant. Paulus verò, 1. Thess. 5. etiam *prægnantis* exemplũ ad furis similitudinem adiungit, vt illius diei incertum aduentum magis confirmet. *De temporibus*, inquit *& momentis, fratres, non indigetis, vt scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus ijs superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient.*

178. Non potuit apertius demonstrari illius diei penitus inexpectatus aduentus, quàm tot tamquam illustribus exemplis significatum est, quibus & *partus* subito dolore inuadentis, & *furis* noctis silentia capientis; & *laquei* ad decipienda animantia absconditi, denique *diluuij* infelices homines vndique obruentis appositissima similia ad nostram ignauiam excutiendam nobis ob oculos ponuntur.

179. Quæ igitur certò futura est, incertum est, *quo tempore* futura est,

Resur-

Resurrectio. Nec est quod hîc nobis quis Resurrectionem antecedentia, quæ oculis conspiciemus, signa obijciat; quasi ex ijs Resurrectionis tempus possit constare. Nam etsi ex illis signis poterunt homines cognoscere instare iam mundi diem extremum; tamen nihilominus debet dies ille censeri occultus: tum quia non poterit sciri omnino determinatè, quàm vicinum tunc sit tempus illius diei, & horæ aduentus Domini: tum quia ignotum esse illum diem omnibus pronuntiauit, accipiendo illum diem vnà cum ei annexis & propinquis signis, vt bene notauit Dominic. Solo, in 4. dist. 46. q. 2. art. 2. &c.

Sed *quanto tempore* Resurrectio perficietur? Docet Sanctissimus Paulus, .Cor. 15. quàm celerrimè futuram. *In momento*, inquit, *in ictu oculi: in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui surgent incorrupti.* Etenim vnio ipsa animæ & corporis, atque adeò vltima dispositio materiæ, in instanti à Deo fiet; Congregatio autem & præparatio puluerum etiam celerrimè fiet ministerio Angelorum, quibus materia corporalis, quoad motum localē, per quem illi pulueres colligentur, ad nutum obedit. Hinc B. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. cap. 20. *In membra, sine fine victura, inæstimabili facilitate & velocitate redituram* docet *antiquissimorum cadauerum puluerem.* 180.

De causa, efficiente maximè, Resurrectionis Mortuorum, quæ præcessura est Apparitionem Christi Iudiciariam.

Qui Sacrarum Scripturarum monumenta attendit, varias mortuorum Resurrectionis causas obseruat. Nunc quidem inueniet illam Deo tribui: nunc Christo homini, siue Christi humanitati: nūc ipsius Christi Resurrectioni: nunc Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento: nūc Angelorum ministerio: nunc Tubæ, c 7. quæ extremo tempore dicitur vocem suam datura. 181.

Deo illam tribuit Mater Machabæorum. lib. 2. Machab. *Mundi creator*, inquit, *qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam.* Et filius, *Rex mundi*, inquit, *defunctos nos pro suis legibus in æterna vita. Resurrectione suscitabit.* Sed & ipse Deus illam sibi tribuit, Ezech. 37. Ita enim propheta: Hæc dicit Dominus Deus: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus.* Idem facit Apostolus Paulus, ad Roma. 8. *Si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis: qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra: propter inhabitātem Spiritum eius in vobis.* 182.

Christo-

183. *Christo* eandem tribuit D. Paulus: primò in illa ad Philip. deinde in alia ad Romanos. Ibi sic loquitur: cap. 3. *Saluatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* In hac vt sequitur: cap. 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundātiā gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes in vitā regnabunt per vnū Iesum Christum:* Et 1. Co. 15. *Christus,* inquit, *surrexit à mortuis, primitiæ dormiētiū. quoniam quidē per hominem mors, & per hominem Resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriūtur, ita & in Christo omnes viuificabūtur.* Huc facit & illud Io. 5. *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius, quos vult, viuificat.*

184. *Christi Resurrectioni* Resurrectionem Mortuorum tribuit B. Paulus ad Rom. 6. verba eius sunt: *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & Resurrectionis erimus.* Et ad Philipp. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis.*

185. *Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento,* Dominus Ioannis 6. *Qui manducat,* inquit, *carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* & infra, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

186. Similiter Dominus *Angelis* tribuit. *Mittet enim Angelos suos*, vt loquitur apud Matth. 24. *cum tuba & voce magna; & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum.*

187. *Tubæ* denique partim Dominus, partim Apostolus. Dominus Ioan. 6. *Omnes, qui in monumentis sunt,* inquit, *audient vocem eius*, (Angeli in persona Domini loquentis) *& procedent qui bona fecerunt in Resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in Resurrectionem iudicij.* & Matth. 24. *Mittet Angelos cum tuba.* Apostolus 1. Cor. 15. *In nouissima tuba mortui resurgent.*

188. Porrò causæ hæ omnes ad *tria* personarum genera reuocantur: Deum, Christum, Angelos: quæ quamuis omnes, alio tamen atque alio modo, quædam enim varijs rationibus hic concurrunt. Quædam enim Principalium agentium vices sustinent: quædam Instrumentalium: quædam exemplarium: quædam ministralium. Quod breuiter dicimus, sequentibus explicamus.

Quomodo Resurrectio mortuorum Deo tribuatur.

189. Deus Opt. Max. hic principale est agens. Quia nulla *naturali vi;* sed diuina tantùm fieri potest; vt quod semel cecidit, & mortuum fuit, ad vitam reuocetur. Quocirca & Philosophi naturæ Magistri, cùm sanctissimum Paulum aliquando audissent de mortuorum resurrectione disserentem, quia sciebant rē hanc superare vires naturæ, sannis & ludibrio eum exceperunt. *Nouorum Dæmoniorum eum vocantes*

cantes annũtiatorem. Act. 17. & Festo idem Paulus visus est *insanire;* quòd Resurrectionem prædicaret Act. 25. Quin imò Tertullianus, lib. de *Præscript.* Hæret. ca. 7. docet omnes Philosophos mortuorum Resurrectionem negare. *Vt carnis,* inquit, *Resurrectio negetur, de vna omnium Philosophorum schola sumitur.*

Hinc & diuinam virtutem hîc agnoscit Dionysius Areopag. cùm ita ad Timotheum scribit, cap. 6. de Diuin. Nominib. *Quod vero,* inquit, *longè diuinius est, nos totos, animos dico & corpora sola ad perfectam vitam & immortalitatem transferre pollicetur Deus. Quod veteribus quidē præter naturam esse videatur* (id est extra numerum eorum, quæ possint vllo modo fieri), *mihi verò, tibiq; & veritati, & diuinum, & supra naturam, vt est, videtur. Supra naturam nostram visibilem dixero: non supra omnipotentem illi per se, & diuinæ vitæ æqualem.* ita Dionysius 190

Diuinam quoque virtutem agnoscit Lactantius, lib. 7. Diuinarũ Institut. cap. 23 *Resurgent,* inquit, *& à Deo corporibus induentur.* Et infra. Qua de Anast. *Philosophi quoq; aliquid dicere conati sunt, tã corruptè, quam Poetæ.* Et infra. *Nemo quærat à nobis, quemadmodum fieri possit. Neq; enim diuinorum operum potest reddi ratio: sed si à principio Deus hominem, nescio, quo inenarrabili modo instituit; credamus ab eodē inst.tui veterem posse, qui nouum fecit.* 191.

Et Gregorius Magnus, homil. 20. in Ezech. postquam multa de resurrectione disputasset, ita concludit. *Diuinæ virtutis mysteria, quæ comprehendi non possunt, non intellectu discutienda sunt, sed fide veneranda. Quia quidquid ratione hominis comprehendi potest, mirum iam esse non potest sed sola est in miraculis ratio, Potentia facientis.* 192.

Ad eũdem modum loquitur Damascenus, lib. 4. de fide Orthodox. cap. 28. Chrysostomus item homil. de Resurrect. Homilia autem 2. in *Acta* docet longè maius esse excitare mortuum, quàm scire diem Iudicij. Ambrosius lib. de fide Resurrect. *Ideò,* inquit, *Resurrectio difficilè creditur, quia Dei munus est.* Et B. August. lib. 13. de Trinitat. *Fides,* inquit, *totum hominem immortalem futurum, qui vtique constat ex anima & corpore, non argumentatione humana, sed diuina authoritate promittit.* 193.

Atque hæc etiam ratio est, cur Resurrectionis veritas inter *diuinos fidei Articulos* ponatur, quia prout à nobis creditur, nec fieri, nec naturaliter cognosci potest. Hæc ratio est, cur *mysterium* illam nominet B. Paulus 1. Corinth. 15. dicens: *Ecce mysterium vobis dico.* Hæc non est cur Scriptura de eadem tanquam diuino & supernaturali opere loquatur. 194.

195. Et profectò ob duplicem causam postulat diuinam virtutem Mortuorum Resurrectio. Altera sumitur ex *conditionibus corporum*, quæ ad vitam reuocantur; altera ex *modo*, quo reuocantur Corpora erunt immortalia, gloriosa, & vt B. Paulus loquitur, *spiritualia*. an hîc naturales vires sufficiunt? Modus autem quo hæc fiunt nullam patietur moram; nullas præuias requiret dispositiones: & hoc nonne vires naturales excedet? Alias causas, ob quas diuina hîc virtus requiritur, omitto.

196. Cæterùm enim *Deum* Principalem Resurrectionis Mortuorum causam dicimus; non Patrem à Filio, aut Spiritu sancto distinguimus: aut vni personæ, præ altera, illam tribuimus. Opus resurrectionis inter opera *ad Extra* refertur, quæ in diuinis communia sunt omnibus personis. Quocirca & *Patri* tribuitur mortuorum Resurrectio, Ioannis 5. *Pater, quos vult viuificat*; & *Filio*, ibidem, *Filius, quos vult, viuificat*. & *Spiritui sancto*, Rom. 8. *Spiritus, qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit mortalia corpora vestra*.

Quomodo Mortuorum Resurrectio per Christum futura.

197. Christus *tribus modis* concurrere videtur ad communem hominum Resurrectionem: sua humanitate, Resurrectione, & sacrosancto, quod sub speciebus externis, in Sacramento Eucharistiæ, præbetur, corpore: sed non eadem ratione vbique. Sua humanitate cócurrit, vt causa instrumentali: Resurrectione, vt causa exemplari: corpore Eucharistico forsitan, vt virtute seminali.

198. *Humanitas* instrumentum est, siue causa instrumentalis Resurrectionis; non separata, sed coniuncta. Quia enim Deus principalis est causa: & humanitas à diuinitate diuisa non est: quemadmodum nos per manum, tanquam instrumentum coniunctum, effectus producimus; ita Deus in Christo homine habitans, per humanitatem, tanquam coniunctum instrumentum, mortuorum Resurrectionem efficit.

199. Hinc colligitur, *aliam* huius instrumenti, quo Deus vtitur, esse rationem, aliam illorum, quibus vtuntur homines. Hæc, nisi rebus producendis sint coniuncta, effectus non producunt: illud producit, quamuis etiam rebus producendis coniunctum non sit. quod in hac ipsa Mortuorum Resurrectionr clarum est, qui ad vitam in terra reuocantur, per humanitatem, quæ in cælis sedem suam habet.

200 Ab humanitate autẽ Christi, dicitur esse Resurrectio, quia Christi hominis voluntate fit, vt mortui resurgant, ipsaque voluntas, vt olim in terris miracula perpetrauit; ita in fine seculorũ mortuos excitabit. Atque hoc Dominus indicat Ioan 5. inquiens: *Sicut Pater*

suscitat

suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius, quos vult, viuificat. De ea enim voluntate Filij loquitur, quæ ita est propria Filij, vt non sit Patris; quæ profectò non est, nisi voluntas humana.

Resurrectio Christi instrumentalis causa Resurrectionis mortuorum esse nequit; quia non quo tempore ipsa, eodem est mortuorum Resurrectio; quod in instrumentali causa est necesse. Est verò causa exemplaris, *omnium* quidem aliquo modo; sed perfectissimè *Iustorum*, qui ad vitam resurgent immortalem, felicem, atq; beatã. 201

Omnium quidem idcirco: quia quemadmodum Dominus à mortali ad immortalem vitam integro iustoque corpore surrexit; ita resurgent, quicunque aliquando ad vitam sunt reuocandi. *Quemadmodum in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur*, 1. Corinth 15. 202

Perfectissimum tamen exemplar erit *Iustorum*. quia non solùm ad vitam immortalem illi cum Christo resurgent, verùm etiam, vt Christus, resurgent in corporibus gloriosis: atque ipsorum corpora, vt Apostolus loquitur, Philip. 3. *configurabuntur corpori claritatis Christi*: fietque, vt quemadmodum *portarunt imaginem terreni, portent quoque imaginem cælestis*. Hoc indicat Dominus, cùm dicit Apocalyp. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno.* 203

De *corpore Christi Eucharistico*, quòd sit Resurrectionis corporum mortuorum causa, superius indicauimus ex Domini sententia. Idẽ quoque docent Patres. Nam Irenæus, lib. 4. contra Heræs. cap. 34. ad probandam futuram Resurrectionem, ex vsu *Sacramenti Eucharistiæ* sumit argumentum. *Quomodo*, inquit, *dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur?* Et infra. *Quemadmodum qui est à terra panis, percipiens inuocationem Dei iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus existens, terrena & cælesti: ita & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem Resurrectionis habentia.* Ita Irenæus. 204

Fortè propter hanc Concilium Nicænum hoc Sacramentum vocat *symbolum Resurrectionis*: & Ignatius, Epist. 14. ad Ephesios, *pharmacum immortalitatis*: Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 16. *cibum nutrientem ad immortalitatem, & vitam æternam.* Quid, quòd Gregorius Nyssenus, Orat. Catechis. cap. 37. doceat corpora nostra non posse consequi immortalitatem, *nisi immortali Christi corpori fuerint coniuncta.* 205

Sed *quomodo* Eucharisticum Christi corpus ad corporum Resurrectionem facere dicatur, difficulter explicatur. Nos ne longiores simus, primò dicimus, in *Bonis*, & dignè 206

sumentibus, non in *malis*, & qui cum peccati mortalis conscientia Sacramentum accedunt, hanc virtutem ipsum habere. Deinde duobus modis hanc virtutem beatorum corporibus afferre. prior est, quia dum vitam, id est gratiam, animo tribuit, tribuit illi pignus, & veluti initium quoddam beatitudinis, quæ vita æterna nominatur. Beatitudo autem animi redundat in corpus, sicut & merita illius in corpus redundant. Deinde, quia corpus Christi, cùm propter hypostaticam cum diuinitate coniunctionem, vitam in se infinitam & diuinam habeat, eam contactu suo corporibus nostris ingenerat, cùm illud reipsa in Sacramento sumimus. Itaque semen corporibus nostris quoddam immortalitatis imprimit, quo postea, non quouis modo, sicut damnatorum corpora; sed modo peculiari quodã resurgant: ad eum nimirum modum, quo ipsum Christi corpus resurrexit non ad mortem secundam, id est, non ad supplicia; sed ad
207 beatitudinem & vitam æternam.

Quemadmodum igitur in frumenti grano vis quædam inest genitalis, qua iactum in terra, atq; putrefactum germinat: sic ex corpore Christi vim quandam veluti seminalem corporibus nostris accedere credendum est; qua ipsa etiam in puluerem redacta resurgant, & quædam modo renascantur. Hoc Irenæus docet. Nyssenus verò tradit, quod sicut modicum fermentum totam massam calefacit, atque in aliam quasi naturam, meliorem præstantioremq;, transmutat: ita corpus Christi à nobis sumptum, carnem nostram ex mortali immortalem efficiat.

208 *Quid ad Mortuorum Resurrectionem conferant Angeli, & qui.*

Angelorum in Mortuorum Resurrectione duplex est ministerium. alterum propria naturalique virtute perficiunt, quanquam ex Christi imperio & voluntate: in altero sunt veluti instrumenta omnipotentis Dei. Explicamus vtrunque.

209 Primùm igitur per Angelos sunt congregandi cineres, & reliquię mortuorum. Quia enim quorundam per varias mundi partes sunt dispersæ: & necesse est conferantur in vnum, si mortui ijdem debent resurgere: vtetur hic Deus opera Angelorum: quemadmodum aliâs semper ferè inferiora administrat per superiora, & per causas secundas, quæ per ipsas possunt perfici. Quoniam verò hæc res, motu locali perficietur: & in hoc ad nutum angelicis mentibus paret materia corporalis; *propria* ipsis hîc virtus sufficiet: nulla diuina aut supernaturalis est necessaria. Ita docent Theologi, cum B. Augustino 3 de Trinit. cap. 4. & B Gregorio, 4. Dialog. cap. 5.

210 Et Angelorum *plurimum* hoc opus erit, non vnius Archangeli, vt quidam

quidam volunt. *Archangelus*, vt mox dicemus suscitatos iam ad vitam, vocabit ad Iudicium, aut etiam hæc ministeria Angelis est imperaturus. Angelorum opus hoc præcedet. Atque hoc Dominus indicat, Matth. 24, quando *Angelos* (pluraliter) dicit mittendos, *qui congregaturi sunt electos à quatuor ventis*. Hinc B. Chrysostomus, homil. 8. in 1. Thess. docet *ad sonitū* Tubæ *Angelos huc illucq; discursuros, qui mortuorum cineres colligant. Archangelum*, inquit, *putamus eum esse, qui præsit & incubat alijs in orbem missis, atq; hoc illis inclamet: Paratos facite omnes; adest enim Iudex.*

Sed quorum Angelorum Dominus ministerio hic vtetur? bonorum an malorum? an bonorum & malorum? illorum in bonorum hominum cineribus colligendis; horum in colligendis impiorum? Videtur hoc posterius admodum probabile: veruntamen cùm Resurrectio mortuorum opus sit Christi, quidni dicamus, quod *bonorum* tantùm Angelorum opera vsurus sit Dominus? 211.

Verùm si bonorum, *Quorum* præ reliquis opera vtetur? forsitan eorum, qui singulorum fuerunt custodes in vita: vt, scilicet, tum vltimum obsequium mortalibus præbeant, quibus tota vita fidelissimi fuerunt custodes. piè hoc creditur; rem ipsam dies Domini docebit. 212.

Atque hoc ministerium atque obsequium naturali ipsorum Angelorum opera perficietur. In altero, quando Tuba mortuos excitabunt ad vitam, oportet diuinam adsciscamus virtutem: quemadmodum & hanc ipsā mortuorū Resurrectio requirit. Tuba verò instrumentum separatum est, sicut Christi humanitas coniunctum: atque vt humanitas diuina virtute; ita diuina virtute instructa Tuba ad mortuorum concurret Resurrectionem. 213.

Fauent huic sententiæ verba Domini, Ioan. 5. *Qui in monumentis sunt audient vocem Domini* (Angeli, scilicet personam Domini sustinentis) vbi Toletus, *vocem* illam docet futuram esse diuinæ potentiæ instrumentum. Idem insinuant verba Apostoli, ad Thess. in 1. cap. 4. vbi sic Chrysostomus. *Resurgent*, inquit, *mortui, & fiet opus non Angelorum ad hoc quicquam valentium: sed Verbi ipsius: tanquam si Rege quopiam imperante egrederentur captiui, & ministri eos educerent; non illi postea propria virtute, sed ex voce illa hoc facerent.* 214.

CAPVT QVINTVM.

De voce Archangeli, cum qua Dominus dicitur descē. surus ad Apparitionem Iudiciariam explicatur.

1. POst Tubam atque Mortuorum Resurrectionem, de qua iam pluribus actum est, *Vox sequetur Archangeli. Dominus enim*, inquit Apostolus *1.* Thess. 4. *descendet in iussu, in tuba, & voce Archangeli.*

2. Multi, vt diximus, hanc cum *Tuba* confundunt; verùm distingui docuimus, planiusque sequentibus erit. Plurima tamen cum Tuba habet *communia*. quocirca hæc non tam explicanda, quàm attingenda. Explicanda verò paulò copiosius *propria*

Quid vox Archangeli habeat commune cum Tuba.

3. Commune primùm cum Tuba Christiq; voce illud habet; quòd *sensibilis* erit, externisque auribus percipietur. Nam & ad externum sensibileque Dei Iudicium pertinet: & ad homines sensu audiendi instructos dirigetur: & proficiscetur ab Angelo humanum corpus induto. Et quid opus est ad metaphoricam vocem confugiamus; quando *propriam* vocem hîc intelligere possumus? Monet bene B. Augustinus, lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. *intelligere oportere id omnino significari Scripturæ verbis, quod propriè per illa significari potest, nisi inde aliquod absurdum significetur*, quod hîc nullum est.

4. Secundò commune habet; quòd quemadmodum vox *Christi* dicitur; ita hæc *Christi* dici possit: non quod Christi ore sit formanda; sed quia formanda pro Christi voluntate & imperio. Veruntamen quæ *Christi* dici potest, vtrum aliquando in Scripturis *Christi* dicatur dubito. Certè quam audient, qui in monumentis sunt, Ioan. *5. Christi*, siue filij hominis dicitur, sed illam à *Tuba* nō distinguimus.

5. Quamuis verò *Christi* quodam modo dici possit: Christi tamen, vt diximus, *ore* non formabitur. Apertè illam *Angelo* tribuit Apostolus. Quemadmodum igitur Angelus siue corpora format, in quibus

sub

sub sensum visus cadit;ita format voces,per quas cadit sub auditum.

Et *vera vox* hæc vox non erit; quemadmodum nec *vera vox*,vox 6.
Christi,voxque Tubæ.Neutra viuentis alicuius est vt oportet esse illam,quæ propriè nomen *vocis* meretur.vox dicitur,ad similitudinem nostræ;& quia articulata est,vt statim dicemus. Hoc tertium ipsi cum Tuba commune.

Grauis etiam atque *horribilis* vox erit. Hinc à Domino *vox magna* 7.
dicitur. Quando Deus in veteri Testamento venit daturus legem, tantus buccina sonus excitatus est ; vt perterriti atque timore percussi præsentes omnes clamarint.*Non loquatur nobis Dominus,ne forte moriamur:Loquere Tu nobis Dominus, & audiemus.* quanta ergo vox erit,qua cuncti mortales euocabuntur ad rationem seruatæ vel violatæ legis dandam?

Nec erit *diuturna* vox . quid enim opus ? Paucissimis verbis pro- 8.
ponetur,quod voce Archangeli propositum volet Dominus,vt Iudicium breuissimum;subita Resurrectio mortuorum ; & congregatio mortalium breuissimo;ita breuissimo tempore vox durabit.

Habebit quoque *magnas vires* in auditorum animis;quemadmodum ante vocem,clangor buccinæ. Atque vt ad clangorem bucci- 9.
næ non poterunt non resurgere,qui in puluere dormiunt;ita ad vocem Archangeli non possunt non comparere mortales, etiam ij, quos propria iam conscientia æternis supplicijs adindicat.

Hæc atque similia *communia* habet vox magna, siue Archangeli, 10.
cum Tuba atque voce Dei *differunt*.vero non paucis,*authore* scilicet, *numero,forma, officio,tempore,loco.*

Quis author futurus vocis magnæ,quæ dabitur.

Authore differunt primùm,Tuba relinquitur Angelis;vox tribui 11.
tur Archangelo.*Mittet Dominus*,dicitur Matth 24. *Angelos cum Tuba. Descendet* verò *in voce Archangeli*,inquit Apostolus.Pulchrè sanè,quia conuenit,vt quemadmodum primum Domini aduentum Archāgelus indicauit;ita secundum indicet Archangelus.

Hinc quoque conijcere licebit, quis nam hic Archangelus futu- 12.
rus. Quidam censent Michaelem,propterea, quòd hic existimetur præesse Ecclesiæ, cuius causa, illa die, agetur. Sed fortè melius creditur fore Gabriel : tum quia est primus Archangelorū (quem D.Paulus denotasse videtur:) tum etiam, quòd hic fuerit nuntius primi aduentus Domini, cui vt secundus respondeat, conueniens est.

Quot Voces Magnæ audiendæ. 13.

Altera differentia ex *numero* petitur. *Vna* Vox Archangeli erit;

vna

vna vox magna. vtrunque singulari numero indicat Scriptura; illud 1. Thess. 4. hoc Matth. 24. at non vnus erit clangor Tubæ. *Audiendæ* plures; quia plures Angeli dicuntur cum Tubis mittendi. singuli scilicet cum suis.

14. Et conuenit *vnam* vocem Archangeli esse; non plures. Conuenit *plures* esse Angelos cum Tubis, non vnum cum vna. Quamobrem verò? quia in sono Tubæ quæritur varius multiplexque clangor & strepitus: in voce, vt quod dicitur intelligatur: ideoque ibi melius seruient Angeli plures, hic melius vnus Archangelus. quia varietas clangoris & Tubarum melius à pluribus excitatur: conuenientius verò vox, quæ intelligi debet, ab vno, quàm pluribus profertur. *Possunt plures*, vt dicimus *simul cantare; at loqui simul non item*.

Quæ forma vocis magnæ.

15. *Forma* alia vocis erit, alia Tubæ. confusum, raucum, atque horribilem sonum dabit Tuba: distinctum, articulatum, & hominis orationi similem vox. Omnino hoc discrimen indicasse videntur, & Dominus, & *Apostolus*, quando Tubam à voce distinguunt. Quocirca quod apud nos obseruamus; vt prius Tuba signum detur, quo populus conuocatur, conuocatus deinde præconis viua voce, regia mandata accipit; ita idem obseruatum iri, in illa die, credimus; vt raucus Tubæ clangor præcedat, ad quem sepulchra aperiantur, & ad vitam mortui redeant: excitati deinde à mortuis voce distincta, & articulata Archangeli diuina mandata accipiant.

16. Sed quæ hæc mandata? siue quid distincta articulaque vox proferet? quo item idiomate? vnone an multiplici? & si vno, quo illo? si multiplici, quotnam, & quibus potissimum? De vtroque quod certò dicamus non habemus; quod coniectura & ingenio possumus cõsequi afferimus.

Quæ materia siue quod argumentum vocis magnæ.

17. Quod ad prius illud attinet Dominicus Soto, vir egregiè doct⁹, in 4. Sent. dist. 43 q. 1. a. 4. ex B. Hieronymo in Regula Monachorum, cap. 30. refert vocem Archangeli hanc futuram. *Surgite mortui, venite ad Iudicium.* Verùm ibi de hac re nihil inuenitur, inquit Franciscus Soarez: Capite verò vltimo de Timore Iudicij vltimi, hæc leguntur. *Tunc ad vocem Tubæ pauebit terra.* & infra; *Siue leges, siue dormies, siue scribes, siue vigilabis, hæc tibi semper buccina in auribus sonet.* B. Chrysostomus Homil. 8. in 1. Thess. 4. docet vocem hanc audiendam, *Resurgunt mortui:* Theophilactus ibidem hãc credit, *Apparate vos omnes: Iudex enim præsto est.*

18. Nullius sententiam damnamus: tertiam tamẽ alijs præferimus,

illam

illam Theophilacti, qua tantùm ad Iudicium vocantur mortui: & non, vt à mortuis resurgant, iubentur. Hanc præferimus propter duo. primò, quòd non opus videatur, vt voce Archangeli iubeantur resurgere mortui; propterea, quòd iam ad præcedentem Tubæ sonum surrexerint; & Tubæ clangorem vox sit secutura. Secundò, quòd sententia hęc magis cum Euangelio decem virginum, Matth. 25. (quo Iudicium extremum insinuatur) conueniat. Neq; enim virgines *voce*, quæ media nocte facta dicitur, excitantur à somno; sed admonentur præsentem esse Dominum; iubeaturq; illi occurrere. Verba Euangelistæ sunt: *Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.*

19. An porrò ijs verbis vsurus sit Archangelus, quæ Theophilactus habet, quibus videlicet, non solùm citantur mortales ad Iudicium; sed etiam significatur præsens esse Dominus: an tantùm vocandi ad Iudicium, absque eo, quòd Dominus præsto esse dicitur (hac vel simili forma *Venite ad Iudicium*) intelligemus; quando clamantem Archangelum audiemus. Prius tamen illud valde placet; quod cum *voce*, quæ ad iam dictas virgines fit, magis consentiat.

Quod idioma vocis Magnæ sit futurum. 20.

Et *quo idiomate* vsurus Archangelus, & an vno, vel pluribus? Curiosius hoc quæritur; sed tamen non frustra. Dubium non est, quin vsurus aliquo vno: non omni: non vario multiplicique. Quo verò? Suspicor idem futurum Archangeli ministri, quod Iudicis Domini. Qua verò ratione idem omnes sint intellecturi, superius in sententia Iudicis explicatum est cap. 1.

Quod officium vocis Magnæ. 21.

Officium aliud Tubæ, aliud Vocis. Tuba mortuis seruiet: Vox viuis. illa reuocabuntur ad vitam illi: hac vocabuntur ad Iudicium hi. Pro hoc Vocis officio diserta Scripturæ verba non sunt. pro Tuba non obscura. *In momento*, inquit Apostolus, 1. Corinth. 15. *in ictu oculi, in nouissima Tuba mortui resurgent*. Hinc bene B. Hieronymus, *Ad vocem Tubæ pauebit terra*. Sed tamen, quamuis pro voce diserta verba non sunt, seruiunt tamen illa, quæ *media nocte* facta referuntur ad Virgines, Matth. 25. Quemadmodum illa virgines monent obuiam ire sponso; ita Archangeli excitatos à mortuis monebunt obuiam ire venturo Iudici Christo.

22. Vox igitur non mortuos excitabit. faciet hoc Tuba. Tuba non ad Iudicium vocabit mortales. hoc vox faciet. Quocirca per vocem Filij Dei, quam dicuntur audituri mortui, Ioan. 6. &

resurrecturi;non vox Archangeli, vt diximus intelligitur ; sed son9 Tubæ, qui *filij Dei vox* dicitur, quia pro filij Dei voluntate & imperio dabitur. Et per Tubæ sonum, qui, vt Ecclesia cantat, *coget omnes ante Thronum*. vel vox Archangeli intelligitur, vel dicendum Tubæ sonum dici omnes cogere ante Thronum; quia præludium erit ad vocem: & vox, quæ omnes ad Thronum citabit, mox Tubæ clangorem sequetur.

Quando Magna Archangeli vox audietur.

23. Ex dictis quomodo *tempore* vox atque Tuba distinguantur, manifestum est. Alio Tuba audietur;alio vox. Tuba mortuorum partim præcedet Resurrectionem, partim cum ipsa coniungetur: vox Resurrectionem sequetur. Fortè ob hoc, quando de Tuba & voce Dominicus locutus est, Matth. 24. Tubam voci præposuit: *Mittet Angelos*, inquiens, *cum Tuba & voce*. Nec obstat, quòd 1. Thess. 4. Apostolus Tubam voci *Archangeli postponat*: quoniam de alia tuba ibi loqui videtur; non illa, quæ ad mortuos dirigitur: sed cum qua Dominus venire dicitur: quæ suo clangore diem Domini, maiestatéq; aduentus ipsius est ornatura.

24. Et omnino hoc discrimen temporis statuẽdum est. Quid enim? An fortassis simul tuba voxque audientur? at illius clangor & vastitas hanc obscurabit: nec quid hæc velit, in tanto strepitu poterit intelligi. An præcedet fortè vox, & tuba sequetur? At si vox ad Iudicium est homines vocatura, vt piè creditur: Tuba mortuos excitatura; vt Apostolus docet, 1. Corinth. 15. profectò non vox debet precedere, & Tuba sequi: sed contra, Tuba præcedere, sequi vox.

Quo loco vox magna dabitur.


25. Deniq; quemadmodum alio tempore Tuba audietur, alio vox: ita *alio loco* Tuba, alio vox magna : quod postremum discrimen est. Tuba dicitur audienda in omnibus monumentis, & vbicunq; mortui in cineribus quiescunt: vox Archangeli non item. Quod si hoc difficultatem aliquam habet, vt in sequentibus dicemus: certè alio loco vox formanda, alio loco Tubæ clangor. quia vnus est Archangelus; qui vocem dabit: plures Angeli; qui Tubas inflabũt: qui quoniam corpora erunt induti omnes, vno eodemque in loco simul nequaquam erunt.

CA-

Caput Sextum.

De Signo Filij hominis, quod præcedet Iudiciariam Christi in Nubibus Apparitionem discutitur.

Quodnam illud sit signum Filij hominis, quod Iudiciariam Christi Apparitionem præcedet. Num. 3.
An ipsa, in qua Christus pependit Crux, exhibebitur in cælo; an alia illi similis, Num. 5.
Quæ materia Crucis in cælo conspicienda. Num. 12.
Quis Crucis eiusdem futurus author. Num. 13.
Qualis ipsa futura: an nuda, an cum Crucifixi imagine. 14.
Quanta futura Crux. 15.
Quonam loco conspicienda. 16.
Vnde proditura Crux, conspicienda in cælo. Num. 18.
A quibus deferenda. Num. 20.
An deferenda de loco in locum: & quonam modo. 22.
Quonam tempore incipiet apparere. Num. 24.
Quamdiu conspicienda. 26.
Quis Crucis ornatus: & quorsum ille, & vnde, & quantus. 28.
Quas ob causas volet Dominus Crucem illam in Iudicio præferri. Num. 32.
Cur Dominus prædixerit Crucem præferendam in Iudicio. 38.



Ignum Filij hominis etiam inter signa, quæ Christi gloriosum ad mundum iudicandum Aduentum præcessura sunt, numeratur. Post alia enim similia signa ita Dominus, Matth. 24. *Post tribulationem*, inquit, *dierũ illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum; & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. Et tunc patebit Signum Filij hominis; & plangent eum omnes tribus terræ: & videbunt venientem filium hominis in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate.* 1.

De Signo hoc multæ sunt, nec leues quæstiones. Quodnam, scilicet, hoc signum, quale & quantum: vbi constituendum: vnde, & quando proditurum: quanto etiam tempore duraturum: quem finẽ habiturum: quomodo Iudicem Christum præcessurum: quis eius futurus ornatus & splendor; atque vnde hic profecturus: denique quas ob causas signum hoc mũdo, ante Iudicium exhibendum. 2.

Quodnam Signum illud, quod Iudiciariam Christi Apparitionem præcedet.

De primo illo non satis conuenit inter Authores. Origenes enim, teste Maldonato *virtutem atque gloriam*, quam sibi Christus in Cruce comparauit, putat vocari à Domino *Signum filij hominis*: quasi Do- 3.

minus dicere voluerit, omnes visuros esse Christum, tãta cum gloria, atque maiestate venientem, vt dubitare non possint, eum esse verum Iudicem. Origenem secutus videtur Ioannes Caluinus. Nam teste Marlorato, in Catena sua, ad 24. Matth. *Signo Filij hominis* nihil vult aliud significari; quàm, quòd Filius hominis tam manifestè appariturus sit, ac si edito signo omnium oculos in se conuertisset. B. Hieronymus atque Beda *victoria Christi vexillum* exponunt. Author Operis imperfecti, *signa passionis*; vt sunt flagellorum vibices, clauorum cicatrices. Communis opinio, *Christi* intelligit *Crucem.*

4. Communi opinioni accedimus. tum quia graues habet Authores; Chrysostomum, Euthymium, Theophilactum in 24. Matthæ. Leonem item Pontificem, Epist. 97. ad Leonem Augustum. Præterea B. Augustinum, serm. 130. de tempore: tum quia aliud *absolutè* nullum vocatur *Signum Filij hominis*, nisi *Crux Christi*, *Signum verum*, inquit Cyrillus, Catech. 15. *& proprium Christi est Crux*: tum quia ita sentit Ecclesia, sic enim cantat, *Hoc signum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.*

An ipsa Crux, in qua Christus pependit, an alia, illi similis sit producenda.

5. Sed *ipsane* Crux, in qua Christus pependit, exhibebitur? an alia aliqua ad illam expressa? Non desunt, qui *ipsam*, in qua pretium salutis nostræ Dominus persoluit, putant redintegratum iri, diuina virtute, & Christum ad Iudicium venientem præcessuram. Docet hoc VValdensis, 3. de Sacramentalibus Titulo 20. cap. 158. Fauet huic Ephrem. lib. de vera pœnit. cap. 4. Sic enim loquitur. *Sancta Crux rursus in consummatione seculi, cùm secundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, cum gloria ingenti & Angelicorum exercituum infinita multitudine apparebit in cælo.* Fauent & Sibyllæ carmina sequentia.

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit:
Nec te terra capit, sed cæli tecta videbis,
Cùm renouata Dei facies ignita micabit.

6. Alij non Crucem, in qua Christus suspensus fuit putant conspiciendam; sed ex aëre formatum signum Crucis, quod illam Dominico sanguine tinctam referet. Ita sentiunt Anselmus in Elucidario, atque Abulensis cum Iansenio, ad 24. caput Matth. Neq; enim existimant hi Authores post Iudicij diem mixta vlla præter hominẽ inuenienda, sed omnia in elementa resoluenda. Neque putant tantam esse posse claritatem Crucis Christi, vtpotè non admodum magni ligni; quanta dicitur illius Crucis futura, quæ Christum est præces-

præcessura. Accedit quòd Ecclesia cantet non crucem, sed *signum Crucis* in cælo conspiciendum: *Hoc signum crucis erit in cælo, cùm Do. i-nus.* &c.

Vtrum ex his duobus futurum, certò nequit definiri. Id certum, 7
quæ contra priorem sententiam afferuntur rationes, tantas non esse vt illam omnino subuertant. Nam primò nō *ante* Iudicij diem Conflagrationis igne omnia in elementa resoluentur, quemadmodum docebitur postea. Deinde quamuis etiam omnia mixta interirent, neutiquam tamen Deo omnipotenti foret difficile crucem ad finē vsque Iudicij seruare integram; vt Iudici ministerio suo præsto esset.

Nec falsitatis arguit opinionem VValdensis illud, quod S. Pa- 8
tres tradunt *Crucem illam fore conspicuam vniuerso mundo*, & tanta claritate illustrandam, vt solis & lunæ splendorem superet. cur enim illa Crux prima, tanta luce illustrari diuinitus non posset, vt totum orbem suo fulgore compleat? Sed de *luce* hac paulo post.

Denique non obstat illud Ecclesiæ, *Hoc signum crucis erit in cælo*. Nā 9
vt rectè notauit Bellarminus, lib. 2. de Imag. cap. 28. *ipsa* etiam *Crux*, in qua Christus pependit, rectè *signum crucis* appellatur: quia habet crucis figuram; siue quia est instrumentum ad Crucis speciem efformatum.

Sed tamen facilius creditur, quod non *ipsa*, in qua Dominus fuit 10
suspēsus, *Crux*; sed eius *signum* exhibendum sit postremò Iudicij die; Crux, inquam, talis, qualis sępius in aëre visa: qualem opinionem de cruce habuisse maiores nostros, qui tempore Constantij Imperatoris circa annum Domini 353. vixerunt, inde manifestum est, quòd crediderint signum filij hominis, & præsentis diei Domini, illam fuisse, quæ eodem tempore *visa fuit, in aëre, ad quindecim stadia occupare, & sanctissimum Golgothi locum mira claritate illustrare*. quemadmodū testatur oculatus eius testis, Cyrillus, Epistola ad Constantium.

Quidquid sit, si *vera* illa, in qua Dominus pependit, non appare- 11
bit, veræ huic simillima apparebit: vt prototypo exemplar respondeat. Quocirca & hanc oportebit referre non *decussatam*, vt vocant in qua duo ligna æqualia, inter se obliquantur, ad formam X non *commissam*, in qua ligno erecto alterum breuius, in ipso vertice immittitur: qualem refert T, sed referre *immissam*, in qua lignum longum seu stipes supra lignum transuersum eminet, ita scilicet, vt quatuor angulos efficiat,

cuius hæc figura est †. In tali enim Christũ passum esse,& ob id talē dici *Signum Filij hominis*, insinuant B. Aug. ist. in Psal. 103. & Tract. 118. in Ioannem, Nyssenus Orat. 1. de Resurr. Domini, Basilius in cap. 11. Isaiæ, Damascenus lib. 4. de fide Ort. cap. 12. Sedulius lib. 3. &c.

Quæ materia Crucis in aëre conspicienda.

12. Longè igitur diuersa erit huius Crucis materia ab illius. Illius ex ligno constitit. Docent hoc partes Crucis, quas passim in honore & reuerentia habent Christiani. probat & Ecclesia suo cantu, cùm dicitur *Ecce lignum Crucis*. confirmat Sanctus Petrus, Actu. 5. asserens in *ligno* Dominum suspensum. Huius verò, quæ venientem Christum est præcessura, materia erit *aër*, aut quid *aëri simile*: qualis & columnæ fuit, quæ populum Iudæorum, quadraginta annis, in deserto anteiuit.

Quis futurus author eiusdem Crucis.

13. Eundem etiam cum eadem Nube habebit *Authorem* nostra Crux. Nimirum non Deum; non Christum; sed Angelorum aliquem, qui pro Christi voluntate & imperio, & aërem est coacturus, & formã illi Crucis daturus. Scilicet, solet Deus, per Angelos, *Administratorios Spiritus*, perficere, quæ motu, in natura corporali, possunt perfici: quamuis nobis etiam admiranda illa videantur.

Qualis futura Crux, an nuda, an cum Crucifixi imagine.

14. Verùm cùm duplices Cruces esse possint; & aliæ tantùm Crucem referant, aliæ Crucem cum crucifixi effigie (qualis fuit, quam inter cerui cornua conspexit Eustachius, teste Damasceno, lib. 2. de Imaginibus, & quæ visa est anno salutis, 1248. in Bedonfrilio pago diœcesis Coloniensis, teste Authore vitæ S. Ludouici Galliarum Regis:) nostra, quæ venientem Dominum præcedet, *qualis* erit? Simplicem futuram reor, sine effigie Crucifixi. Quid enim opus effigie Crucifixi, vbi Crucifixus ipse in propria persona est præsens?

Quanta Crux hæc futura.

15. *Magna* admodum Crux hæc erit. quia omnium oculis conspicietur, quemadmodum Dominus indicat, Matt. 24. & forsitan maior, quàm illa, quæ tempore Constantij Imperat. apparuit diebus Pentecostes, Nonis Maij, supra montem Golgothæ, & *extendit se ad sanctum montem Oliuarum*, vt loquitur Cyrillus Epist. ad Constantium. de qua sic Nicephorus lib. 9 cap. 32 *Occuparat*, inquit, *cælo incumbens circiter quindecim stadia. Longitudo eius, quantum colligere licet, à Caluariæ monte, ad eum, qui dicitur Oliueti pertingebat. Latitudo autem, quæ longitudini ei proportione conueniret.* Magna illa, sed forsitan non minor futura nostra: quòd illa paucioribus, nostra pluribus sit seruitura.

Qua

Quo loco Crux conspicienda.

Et vt illa in cælo apparuit, ita nostra apparebit in *cælo. Patebit*, inquit Dominus Matth. 24. *Signum filij hominis in cælo.* Idem testantur omnes, qui de Signo hoc loquuntur. *Dominus*, inquit Chrysostomus homil. de Cruce, *cum Cruce sua de cælo veniet.* Et Ephrem, lib. de vera pœnitentia, *videbimus*, inquit, *pretiosam Crucem de cælo.* & Sibylla lib. 6. *O Crux cæli tecta videbis* 16.

Cæli porrò nomine, non orbes intelligas cęlestes, non locum cælestibus orbibus superiorem; sed regionem aeris altiorem, à qua *volucres cæli* dicuntur. Cùm enim conspicuam esse oporteat esse Crucē, si supra cælestes orbes constitueretur, non conspiceretur; quemadmodum nec conspiceretur, aut certè difficulter, si orbibus esset infixa. 17.

Vnde Crux proditura.

Ad hunc locum, aëris inquam regionem, *vnde* crux veniet? Suspicabitur quis forsitan *ex cælo* prodituram, propter Chrysostomū, cuius hæc sunt verba, homil. de Cruce. *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit in cælum: & ideo cum ipsa veniet; cum ipsa secundā gloriosam præsentiam faciet.* Verùm si *aërea*, vt diximus, Crux; quomodo ex *cælo* prodire dici potest? An super cęlum, aut in ipsis vastis corporibus *aër*? De cruce sua *vera* forsitan quis existimabit locutum Chrysostomum. Sed & illam quomodo *cælo* intulit Dominus? Nunquid in terris ipsa seruata, conseruata, culta? Oratorem ergo egerit Chrysostomus, *cæloq;* tribuerit Crucem, ob ingentem gloriam, qua toto terrarum orbe refulget. Nisi fortè *Crucis* nomine vibices atq; cicatrices intellexerit Chrysostomus. 18.

Nostra ergo, vbi primùm conspicietur, formabitur. Atque inde, quo illam loco Dominus subsistere volet, promouebitur: non propria, & ipsi insita virtute; sed assistentis Angeli. *Domino descendente de cælis*, inquit Iulianus Pomerius, lib. 3. prognost. Tomo 9. Bibl. ss. Patrum, *præcedet exercitus Angelorum, atque Archangelorum, qui Signum, illud triumphale Crucis vexillum*, sublimibus humeris præferentes, diuinum cęlestis Regis ingressum, terris trementibus, nuntiabunt. Simile quid habet Anselmus in Elucidario. *Christus*, inquit, *in ea forma, qua ascendit, cum Ordinibus omnibus Angelorum ad Iudicium veniens. Angeli Crucem eius ferentes præibunt.* 19.

A quibus Crux in cælo conspicua deferetur.

Sed *humerisne Angelorum* deferetur? Non opus deferatur humeris 20.
Angelorum: quemadmodum humeris Angelorum opus non erat, in *Nube*, quæ ducem se itineris prębuit Iudæorum genti in deserto.

Mo-

Mouent vastissimos orbes Angeli, sine præsidio manuum atq; humerorum; mouebunt & promouebunt quoque Crucem hanc sine humeris.

21 Videbitur ergo crux Dominum sequentem præcedere: sed qui Crucem deferat & moueat Angelus, non videbitur: quemadmodú nec visus, Angelus qui Nubem deferebat; nec visi, qui alias aliquando Cruces in cælo mouerunt.

An mouenda de loco in locum.

22. Vtrum verò per *totum terrarum* orbem sit transferenda, vt vbicunque mortales sua habuerunt sepulchra, ipsa quoque sit conspicienda; an vno in loco sistenda, certò dici non potest. Vehementer placet illud, quòd Dominum ad Iudicium venientem sit præcessura. Domino deinde solium Iudicij occupante, & pro tribunali sedéte firmum mox stabilemque locum sit habitura. Hoc non obscurè indicat his verbis Anselmus in Elucidario. *Sicut Imperator*, inquit, *ingressurus ciuitatem, corona eius & alia præferuntur: ita Christus veniens, Angeli crucem eius ferentes præibunt.*

23 Itaque non satis probatur, quod Ephrem dicit, lib. de vera pœnit. cap. 4. per Crucem *omnes orbis terræ fines illustrandos*: & quod Hippolytus, quod *orietur ab Oriente vsq; ad Occidentem*. Nisi fortè intelligas non *omnes orbis fines* peruasuram ipsam crucem; sed diffusuram radios ad fines terrarum: & ideo dici *orituram ab Oriente vsq; Occidentem*, quòd ab Oriente progressura sit versus Occidentem; quãquam etiam in Occidentem non perueniat.

Quo tempore Crux primùm apparitura.

24. De *tempore*, quo apparere incipiet, sub Iudice lis est. Nonnulli enim putant statim à morte Antichristi visum iri, multis scilicet diebus, ante Iudicium. Nec ratione hi videntur carere. Ita enim Matth. 24. Dominus: *Statim post tribulationem dierum istorum* (quando sequiet Antichristiana persecutio) *sol obscurabitur: & luna non dabit lumen suũ, & stellæ cadent de cælo; & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc parebit signum Filij hominis*: & postea subiungitur. *Et mittet Angelos cum tuba. &c.* quocirca omnia illa videntur simul euentura ante conuocationem ad Iudicium. Hinc & Clemens Papa, lib. 7. Const. cap. 33. hunc ordinem ponit, *Iesus*, inquit, *interficiet Impium spiritu oris sui, tunc apparebit signum filij hominis. Deinde sonus Tubæ excitabitur per Archangelum: interea mortui ad vitam redibunt, ac tunc veniet Dominus.* Et ratio Hippolyti hoc confirmare videtur. Quia enim (significat ipse) Antichristus prohibebit fideles vti *Signo Crucis*, & iubebit vti charactere suo ideo, post mortem eius statim apparebit Crux; tum in signum victoriæ

ctoriæ Christi aduersus Antichristum: tum etiam, vt homines resipiscat, & abiecto Antichristi charactere vexillum Christi sequatur.

Nihilominus alij probabilius credunt, Crucem non appariturã ante ipsum Iudicij diem: sed cum Domino Iudice esse venturam. *Christus*, inquit aliquoties citatus Anselmus, *in ea forma, qua ascendit cũ ordinib. Angelorum ad Iudiciũ veniens; Angeli Crucem eius ferentes præibunt.* Idẽ confirmat exẽplo Imperatoris, *ante quem* sua corona atque insignia feruntur, præsentemque Imperatorem significant. 25.

Quanto tempore Crux conspicienda.

Tempus *durationis* Crucis facilius definitur. Cum ipsa Apparitionis & Iudicij pompa actioneque cessabit. Nullum vsum post completum Iudicium habebit. redibit in materiam, ex qua fuit conflata Quid mirum? Neque enim frustra esse potest Hoc docent, qui de Cruce hac scripserunt. Et tempore Iudicij necessarius erit eius aspectus ad ostensionem diuinæ iustitiæ & gratiæ: & ad confusionem hostium christi, atq; reproborum omnium. 26.

Igitur completo Iudicio, non cælo inferenda est Crux: Quod si qui sunt, vt esse notauit Soarez, 3.p.q.59.ar.6.D. Thomæ. qui *perpetuo* volunt *in cælo* conseruandam & non corrumpendam, de *illa*, in qua Christus mortem subijt, loquuntur. quamuis cur hæc quoque cælo sit inferenda, vix iusta ratio dari posse videatur. 27.

Quis Crucis ornatus, & vnde, & quantus, & quorsum.

Splendor Crucis nostræ magnus erit. *Videbimus*, inquit Ephrem, lib. de vera pœnit. cap. 4. *viuificam Crucem in cælo lucentem, omnesq; fines orbis terræ, vltra solis claritatem, illustrari.* & Hippolytus orat. de Consummat. mundi; *Orietur*, inquit, *ab Oriente ad Occidentem vsq; signum Crucis, superantis splendorem solis, denuncians aduentum & apparitionem Iudicis.* Similiter B. Augustinus, serm. 130. de Temp. docet *tantam eius futurã claritatem, vt in conspectu eius neq; luna, neq; sol possit apparere.* 28.

Splendor hic non est ad pellendas noctis tenebras; vt ita ad locũ Iudicij mortales, media nocte, ad vitam reuocati, possint peruenire. Non nocte, sed diluculo venturus est Dominus, quemadmodũ diximus superius. Sed nec luce mortales indigebunt, quamuis etiam intempesta nocte excitarentur. Ad hoc facit splendor Crucis, vt videri illa etiam à remotissimis possit. Quanquam & maiestatem aduentus non parum sit exornatura. 29.

Verisimilè verò admodum, nullius vnquam Crucis tantam claritatem extitisse, quanta huius futura creditur. Nullius inquam, nec illius, quæ apparuit Hierosolymis, tempore Constantij Imp. quæ, 30.

vt Cyrillus loquitur, *vicit fulgore radios solis*; & videri potuit simul in *Syria atq; in Occidēte, à Romano exercitu*, teste B. Hieronymo in Chronico, atque Nicephoro, lib. 9. cap. 32. neque alterius, quæ apparuit tempore Iuliani anno Imperij eius tertio, quam à *claritate* commēdat Cedrenus: neque aliarum quarum meminit, lib. de Sancta Cruce noster Greizerus.
31. Vnde verò tanta Cruci claritas? An forte à sole radios in aëream Crucem inijciente? an à claritate atq; splendore Corporis Christi? an à gloriosis corporibus, eorum maximè; qui sua præsentia Christi diem illustrabunt? Quidquid horum dixeris, atq;, siue omnia dixeris, forsitan nō multum erraueris. quanquam & aliam lucis causam dare quis posset.
Quæ causæ, ob quas Dominus Crucem sibi volet præferri in Iudicio.
32. Sed *quæ causa* præferendæ Crucis Christo Domino, tali die, quo ad Iudicium totius mundi est descensurus? Suspicor non vnam, sed multas esse: & eas partim sumi à Christi persona; partim à persona crucifixorum Christi; partim à persona damnatorū; partim etiam à nostra viuentium. Vbi has breuiter attigerimus, finem Capiti imponemus.
33. Principio igitur Crux hæc aduentus Domini iudicium erit, eundemque præsentem significauit. *Sicut*, inquit Anselmus in Elucidario, *Imperator ingressurus Ciuitatem, corona eius & alia insignia præferuntur, per quæ aduentus eius cognoscitur: ita Christus in ea forma, qua ascendit, cum ordinibus omnibus Angelorum ad Iudicium veniens, Angeli Crucem eius ferentes præibunt.* Eādem causam dat Iulianus Pom. lib. 3. prog. in 9. Tomo Bib. S S. P P. Eandē Ephrem, lib. de vera pœnitent. cap. 4. *Vbi viderint*, inquit, *omnes regium istud ac tremendum sceptrum in cælo reuelari, iam tunc cognoscent singuli Regem reuelandum, qui in illo affixus fuit.*
34. Deinde Crux Christi apparebit; vt hi qui eum crucifixerunt suæ sentiant *dementiæ cæcitatem, & impudentiam*, vt B. Chrysostomus loquitur, homil. de Cruce & latrone. *Apparebit signum Crucis*, inquit B. Augustinus, serm. 130. de Tempore, *vt cognoscant consilium iniquitatis suæ, qui Dominum Maiestatis crucifixerunt.* Et Origenes, Tract. 30. in Mat. *Crucis*, inquit, *Signū apparebit, vt videāt iuxta Zachariā & Ioannem Iudæi, quem pupugerunt, & signum victoriæ.* Idē habet Cyril. Catech. 13.
35. Quia vero vt B. Paulus loquitur, ad Heb. 6. qui peccant, quantum in ipsis est, *Christum crucifigunt*; idcirco & arguendos peccatores signum hoc apparebit. Atque ideo post signum subiunxit Dominus Matth. 24. *Tunc plangent eum omnes tribus terræ. Videntes*, ait B. August. *accusatorem suum, id est, ipsam Crucem cognoscent peccatum suum sero, & frustra fatebuntur impiam cæcitatem.* Ap-

Apparebit etiã Crux ad cõsolationem Iustorum. Videntes enim 36.
signum, quo sunt redempti, summo perfundentur gaudio & consolatione. Quia, vt Martyr Cyprianus dixit Sermone de Natiuit. *Non timetur mortis periculum, vbi tanta reuerentia conspicitur signum.*

Omnes has tres causas simul complexus est Ephrem, lib. de vera pœnit. cap. 3. *Sancta Crux*, inquit, *rursus in consummatione seculi, cùm secundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, cum gloria ingenti, & Angelicorum exercituum infinita multitudine apparebit in cælo: inimicos quidem terrens ac vexans, fideles autem illuminans atque lætificans, aduentumque cælestis Imperatoris annuncians.* 37.

Cur Dominus prædixerit Signum Crucis conspiciendum in cælo.

Has causas dicti Auctores insinuant. Et quamuis vix alias Crux 38.
illa tunc habere posit: alias tamen causas esse suspicor, cur nobiscũ *in terra* Dominus agens, præmonuerit signum Crucis conspiciendũ in cælo vltimo mundi die. Cupiuit, scilicet, vt quemadmodum nõ potest non crebra memoria esse illius diei, apud homines, suæ salutis studiosos; ita sit memoria illorum, quæ illo conspicienda sunt & sub oculos ventura; inter quæ haud postremũ est crucis trophęũ. 39.

Memoria verò Crucis in illo die exhibendæ, primùm ad mentẽ reuocat dominicam passionem, sed quanto cum mortalium fructu? tanto, quantum capere potest cogitatione, qui & summæ charitatis Patris, qui Filium in Crucem dedit: & egregiè patientiæ filij, qua grauissima tormenta sustinuit: & extremæ fæditatis peccati, quod passionis atque Martyrij causa extitit, attenta mente memor esse velit.

Monet & mentem alterius cuiusdam, recordatio huius Crucis; 40.
ne, videlicet, *parui* Crucem in hac mortali vita ęstimemus, quàm in suo triumpho ipse est exornaturus, & quam vicissim Domin. exornaturus est. Atque hoc omnino propositum fuisse, inde fit verisimile, quod quando in summa gloria atque maiestate est venturus, Crucem deesse noluerit: deinde quod illam *sibi* velit præferri: tertio, velit *omnibus* mortalibus esse conspicuam: quarto, velit quasi sua *propria insignia* esse: quinto velit tanta luce coruscare, vt solem atque lunam sit obscuratura.

Quocirca mirum valde est, inueniri posse apud Christianos; qui 41.
tantum abest, vt signũ Crucis honore dignẽtur; vt ne quidem in hominum velint esse manibus, oculis, cogitatione, memoria: vt iam, (res indigna) inueniantur, qui se Christianos confiteantur; & nõ intelligãt quid sit *Christum*, à quo nomen habent, *esse crucifixum.* Sed de hac re quoniam plurima, magno cum studio noster Gretzerus, nos non plura.

CAPVT SEPTIMVM.

De Igne, qui Christi Iudiciariam in Nubibus Apparitionem est præcessurus: docetur,

1. Ignis etiam Christi Apparitionem & Aduentum ad Iudicium est præcessurus. Pluribus locis huius meminit Scriptura. Psalm. 96. de hoc si dicitur. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius: Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.* Isaiæ 66. sunt sequentia: *Ecce Dominus in Igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma Ignis, quia in Igne Dominus dijudicabitur.* Et Ioel. 2. *Ante faciem Domini,* inquit, *Ignis vorans, & post eum flamma vrens.* Denique B. Paulus, 1. Corinth. 3. *Dies Domini in igne declarabitur.* & 2. Thess. 1. *In reuelatione Domini Iesu de cælo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt D.*

2. Verùm qualis hic ignis? an fortè idem cum igne conflagrationis? quod ipsius officium futurum? quando erit? quæ ipsius ergo? quæ conditio? Hęc & si quæ his similia, discutienda breuiter.

De his non vna omnium est sententia. Quidam *metaphoricum* ignem intelligunt, nõ *verum & sensibilem*: alij verùm, qualis sub sensum cadit: sed non eundem distinguunt ab igne, qui *Conflagrationis* dicitur. Varia quoque à varijs ipsi tribuuntur *Officia*: Alij, quòd è medio vi sua sit sublaturus eos, qui tum temporis viui reperientur. alij, quod mundum hunc purgaturus. alij, quod expiaturus à sordibus

siue

siue maculis iam à mortuis excitatos homines. alij, quod impios torturus. Si *Originem* eius quæras, quidam ex inferno credunt afferendum: quidam ex cęlo, quidam alia quadam ratione volunt producendum. Et quidam à nostro volũt differre, alij eiusdem esse rationis cum nostro.

Qualis futurus Ignis, qui Iudiciariam Christi Apparitionem est præcessurus, & quæ eius officia, ex aliorum sententia. 4.

Metaphoricum ignem sentiunt non pauci. Quoniam enim in igne verò sensibilique claritas est, & ardor siue vis efficiendi. & præterea subtilitas siue vis discernendi & separandi ea, quæ sunt diuersæ qualitatis, idcirco Ignem hunc, qui cùm extremo iudicio coniunctus est, exponunt, vel extremi iudicij claritatem (vt idem sit Dominũ *in Igne* venire, quòd *clarè* venire, secundum illud Psalm. 49. *Deus noster manifestè venit*, aut fore in iudicio omnia clara secundum illud, 1. Corinth. 4. *Deus manifestabit consilia cordium*) vel potestatem vindicãdi impios. *Accendetur enim in iudicio, sicut ignis, zelus Domini*. Psalm. 87. vel vim separandi bonos à malis, quomodo & ipsum diuinum Iudicium appellatur interdum ignis. Danielis 7. dum dicitur, *fluuius igneus rapidusq; oriebatur ex ore eius.*

Sic qui *verum* ignem sentiunt, plurimi eundem non distinguunt 5. à *Conflagrationis Igne*, quo Apostolus Petrus 1 cap. 3. docet *soluenda elementa*. Sententia hęc tribuitur Bedæ, lib 1. de Ratione temp. cap. 69. & Dominico Soto, in 4. dist. 48. q. 1. ar. 1. & 2. Horum ratio est, quod Mundi purgatio, hominumque Resurrectio simul per ignem perficienda sint: ideoque cum Mundi purgatio igne conflagrationis fiat; ignis, qui iudicium antecedit, alius, quam conflagrationis esse non possit.

Alij, qui etiam *verum* ignem futurum censent, tribuunt eidem, 6. quod viuentes illo die, sit absumpturus. Iudicij enim dies quosdam viuos inueniet. Et quia *omnium* debet esse Resurrectio (vt impleatur illud, *Omnes quidem resurgemus*, 1. Corinth. 15. & illud, *Statutum est omnibus semel mori*. Heb. 9.) oportet, quos viuos dies ille inuenturus est, prius mori. Ad quod hic ignis dicitur seruiturus. quocirca & ibi, vbi viui reperientur, inuenietur: alibi nequaquam. Ita docere dicitur Anton. 4. Tit. 14. num. 11. § 3.

Origenes aliud ipsi officiũ tribuit; quod purgaturus, scilicet, & ex- 7. piaturus à sordibus omnes, qui ad vitam ęternã sunt transituri. Ita enim loquitur, homil. 14. in Lucam: *Ego puto, quod & post Resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos, atque purgante. Nemo enim absque sordibus resurgere poterit.* Vnde homil. 3. in Psal. 36. *vt ego*, inquit,

inquit, *arbitror, omnes nos venire necesse est ad illum Ignem. Etiamsi Paulus sit aliquis vel Petrus, veniet tamen ad illum Ignem. sed illi tales audiunt, etiamsi per Ignem transeas, flamma non aduret te. Si verò aliquis similis mei peccator sit, veniet quidem ad Ignem illum, sicut Petrus & Paulus*; sed non sic transiet, sicut Petrus & Paulus.

8. Quod malos sit torturus (hoc quartum Officium intelligi potest) probabiliter tribuit illi Soarez noster, disput. 57. in 2. Tomo 3. part. sect. 1. *Quemadmodum enim*, inquit ipse, *corpora beatorum statim, ac resurgent, incipient frui dotibus gloriosis, attollique ad cælestia cum Christo; ita è contrario damnati statim incipient pœnam sensus, etiam in corporibus experiri; & ab Igne detineri & cruciari. & ideo necesse est, vt ante Iudicem Ignis adueniat, qui saltem eum locum occupet, in quo erunt corpora damnatorum.* Pro hoc sententia maximè putatur facere illud Psalm 99. *Ignis ante ipsum præcedit. & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Item illud Psalm. 49. *Deus noster manifestè veniet. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.*

9. Sic qui *Originem* eius inquirunt, non idem omnes sentiunt. Quidam volunt erupturum ex terra, & eiusdem conditionis esse cum internali, initiumq; malorũ, quæ damnatorũ corporibus afferũtur, nec finem eius aliquãdo esse expectandũ. Alij de cęlo adsciscũt, nixi auctoritate Lact. l. 7. c. 19. quibus & Scripturæ phrasis videtur fauere, quæ docet *præcessurũ Dominum venientem.* Et quamuis quidã eiusdẽ velint esse rationis cum nostro; alij tamen contendũt diuersæ esse.

10. Hæ de hoc Igne vno sententiæ. Nec mirum, quod multæ, quia cum de Igne hoc sola Sacrarum Scripturarum auctoritate edocti simus; & illæ singula non definiant; Possint etiam varios sensus admittere; mirum non est, quod qui hac in materia ingenia sua exercent, aliter atque aliter loquantur. Nos hactenus dicta sic discutiemus, vt simul, quid Sacris literis magis conueniat, aperiamus.

An verus, an metaphoricus Ignis, qui Christum est in Iudicio præcessurus.

11. Principio igitur non existimamus *metaphoricum* hũc Ignem esse, qui Aduentum atq; Apparitionem Christi est præcessurus. Quamuis enim sæpe in Igne metaphora sit, vt multa Scripturæ loca docent, & imprimis ille *Deus noster Ignis consumens est*, Deut. 4. non tamen oportet ad metaphorã confugiamus, quando proprius geminusque sensus Ignis retinere potest; & nihil quod cum rei veritate omnino pugnat, interuenit. Hic verò quod absurdum, si *verum Ignem* Domini aduentum dicamus præcedere? quæ veritas vim patitur? Nonne conflagrationis Ignis, verus est ignis? quam verò multi Dominico aduentui præponunt?

12. Deinde de hoc Igne locutus est Dauid, Psal. 44 *Dominus*, inquiẽs,

manifestè veniet & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. At vt cætera taceam, duo hîc maximè pro vero sensibiliq; Igne pugnãt. vnũ est, quod Ignis hîc dicatur *exardescere*, quod proprij ignis est, & huius nostri vehementiã significat. alterũ est, quod tum dicatur futura *tempestas valida*. at cum hæc sensibilis sit, quidni sensibilis erit Ignis? & hic visum terreat, *vt illa auditum*.

Aliud argumentũ hæc prophetæ verba in præsenti negotio suppeditat. Omnino enim docere videtur non occultum & clancularium, sed publicum & manifestum fore Domini aduentum. *Deus noster*, inquit Propheta, *manifestè veniet*. iam verò quæ occulta esse volumus, & in tenebris, transigimus sine strepitu; contra, quæ nota & manifesta, in clara luce, vel magno cum strepitu. Cum ergò Propheta doceat manifestum Domini aduentum futurum, quomodo non debuit *lucis* meminisse, & *strepitus*? Et meminit: Lucis quidem, dum *Ignem* præfert, qui illuminat: strepitus, dum *validam tempestatẽ*, quæ vt sine strepitu sit, fieri nequit. 13.

Si Domini aduentum *Verus Ignis* potest subsequi, vt subsequetur verus ille conflagrationis; quid prohibet *verum* præcedere? Et quãuis suum munus ille in mundi fabrica expurganda habiturus sit, hic non item; non tamen necesse est mox tollatur; quia alia officia poterit obire, vt & obibit. 14.

Quando olim Deus venturus erat ad montem Sina, legem daturus Iudæorum populo, non in Nubibus solum venit; verumetiam in Igne. visæ sunt lampades ardentes, fulgura, plurimaque inflammationes: ipse denique videbatur mons constitutus in Igne, Exod. 19. & 20. Et Christi igitur Aduentum optimè Ignis anteuertet: præsertim, cum quod ibi Ignis præstitit, hîc possit præstare & debeat; Christi videlicet maiestatem declarare, terroremque miseris mortalibus incutere. 15.

Certè hoc huius Ignis munus tum futurum haud obscurè indicat Regius Propheta Isaias, cap. 66. quando cum Igne *quadrigas*, *quæ turbines referunt*, coniungit. hæ siquidem maximum terrorem incutiunt. Indicat & Dauid, quando cum eodem Igne coniungit *fulgura*; & tanta, quæ terram possint concutere. Alluxerunt, inquit Psalm. 96. *fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra.* 16.

Possemus rei huius dignitatem exemplis partim profanis, partim sacris demonstrare, quibus docetur Reges atq; Principes lampadibus, ignibusq; accensis exceptos esse & honoratos, vt ob id in tanto Christi triũpho merito ipsi quoq; ignes concedere debeam'. Sed in re certa pluribus opus non est. Vide cap. 3. Iudith. Iuuenalem Satyra 12. Xiphilinũ in Nerone, Tertul. lib. ad vxorem. 17.

Et

18 Et profectò qui metaphoram in hoc igne ponunt; & idcirco Domini Aduentum in igne futurum astruunt; quòd manifestè sit venturus; aut quod Iudicij æquitas omnibus innotescet, vim orationi Prophetę facere videntur. quoniam non Dominus suum Iudicium cum Igne comparat, sed ignem docet præcessurum iudicium. *Ignis*, dicitur Psal. 96. *ante ipsum præcedet*. Et Ioel 2. *Ante faciem Domini ignis vorans*. Sic apparatus non Iudicantis, sed aduentantis in Igne ponitur, de quo Isaias, 66. Dominus, inquiens, *in igne veniet, & quasi turbo, quadrigæ eius*. ijsdē rationibus tollitur, quod per Ignem *vis separandi bonos à malis* dicitur designari. Nam nec hæc Dominum iudicantem præcedet, quemadmodum præcessurus dicitur ignis.

19. Constitutum igitur sit ignē hunc *materialem adeoq; sensibilem* futurum, qui Domini aduentum est præcessurus. Sed quorsum erit? quod ipsius munus & officium? An fortè hoc mundus est conflagraturus? An mortem superstitibus tunc allaturus? An omnes antequā iudicentur, & ad cælum admittantur, illo purgandi? An, vt mali suum mox, vt ad corpora redierint habeant & experiantur infernum? Hi fines à varijs, vt diximus, constituuntur. Quid vero?

20. *An igne, qui Dominum in Iudicio anteibit, Mundus conflagrabit.*

Primùm, non hoc igne *Mundus conflagrabit*. Ignis, quo mundus cōflagrabit, Iudicium sequetur: hic noster iudicium cum iudicaturo Domino est præcessurus. Posterius hoc iam ante demonstratum est. alterum verò non hîc, sed postea docebitur; quando consequētia dominicam Apparitionem explicabuntur, inter quæ refertur ignis conflagrationis.

An illo Igne mors afferenda ijs, qui viui interuenientur in secundo Christi aduentu.

21. Deinde, non huius ignis officium erit; *vt superstitibus in illo die offerat mortem*. Quid si ignem hunc coniungamus cum Tuba, aut (& melius) eidem postponamus? nomine igitur, vt Tuba, ita ignis mortem hominum subsequi debebit? Et profectò valde est durum, vt omnes superstites è medio ignis ille auferat, etiam infantes innocētes: etiam iustißimos homines, charißimosq́ue Dei amicos. Nam quod fortasse dicitur fore, vt hic ignis *malos* tollat è medio cū cruciatu sensuq; doloris; *bonos* sine vllo sensu, vt non ita bene dicitur, diuinamq; virtutē requirit; ita non facilè creditur. Prętereà ignis omnia in cinerem redigit, at qui extrema die viui inueniētur; quamuis vitam cum morte sint commutaturi, non tamen in cinerē sunt redigendi; statim reuocandi ad deposita corpora. An fortè, etiam non sunt aliæ rationes omnipotenti Deo, quibus mortem superstitibus

tibus afferat, quàm hæc crudelitatis plenæ?

An illo Igne Omnes purgandi, qui in cælum sunt assumendi?

Tertiò. Nec hic Ignis est constituendus, vt per eum *Omnes purgentur*, qui ad æternam vitam sunt ingressuri. Quid enim? omnesne purgandi, quicunque saluandi sunt? etiam Sanctissima Christi mater, Virgo Maria? etiam Apostoli, domestici Dei, duces Christianitatis? etiam infantes, qui post lauacrum regenerationis mox præsentem vitam reliquerunt? etiam Martyres, quibus iniuria fit, si pro ipsis fundantur preces? Rursus qui iam multis annis, cum Christo, in cælis regnarunt, ad purgatorias denuo redibunt pœnas? An fortè cum Christo, nulli adhuc in cælo versantur sancti, versaturiue sunt ante extremum Iudicij diem? Dices fortè non sanctos hos illo igne purgandos; sed quos dies Domini inuenerit non plenè purgatos. At alijs rationibus illi purgari poterunt. Deinde, Sanctissimus Paulus duos tantum ordines Resurgentium constituit, 1. Corinth. 15. vnus est iniquorum, qui resurgent quidem, sed non immutabuntur. alter est Iustorum, de quibus idem ait, *Primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi*. atque de ijsdem postea subiungit, *seminatur corpus animale, surgit spirituale*. & 1. Thess. 4. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis, in nubibus, obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus*. Quocirca nulli erunt Iusti, post Resurrectionem purgandi: sed omnes in corporibus gloriosis resurgent. 22.

An vt in Impios sæuiat, hic Ignis constituendus.

An fortè hic Ignis venturus in *vindictam Impiorum*; & statim illos, vt resurrexerunt, est torturus? Placet, hęc præ cæteris, cum Francisco Soarez sententia. sed tamen difficulter tunc explicatur, quomodo hic Ignis Domini iudicium sit præcessurus, cum damnati ingrediantur primum ignem, post Dominicam sententiam, & absolutũ Iudicium. Postquam enim hęc pro *bonis* sententia prolata, *venite benedicti Patris*: & hæc pro *malis*, *Descendite à me maledicti, tunc*, inquit Euangelista, Matth. 25. *ibunt hi in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam.* 23.

Deinde Ignis Conflagrationis dicitur inuoluturus Impios, posteaquam in aëra rapti fuerunt Iusti. at ignis iste Iudicium sequetur, vt dicemus: Ignis igitur infernalis, qui pars impiorum erit, non præcessurus, sed secuturus est Iudicium. 24.

Præterea, si idcirco Dominus in *Igne venturus* dicitur; & *Ignis ipsum præcessurus*, quia damnati suum secum infernalem ignem afferẽt, antequam iudicabuntur; cur quoq; Dominus non dicitur *venturus* 25.

in gloria;& *gloria ipsum præcessura*; cum gloriam suam, siue dotes corporis gloriosi secum etiam allaturi sint ad Iudicium probi? An maiorem impiorum, quam proborum rationem habiturus Christus? aut ad maiorem ipsius gloriam facit, quod vindex veniat impiorũ, quam retributor bonorum? ad supplicia, quam præmia?

An Ignis hic ad Maiestatem Aduentantis Domini faciat.

26. Quod *in Igne*, & *cum Igne* Dominus dicitur venturus: & quod Ignis dicitur *Dominum præcessurus*, omnino ad Domini maiestatem facere videtur, & hoc nomine etiam in Scripturis referri. Quocirca non mox, vt mentio huius ignis fit, oculi à Domino auertendi, & in impios conijciendi: & quia in impijs ignis inuenitur, Domino suus est auferendus. Habeant suum impij ignem. habeat suum Dominus. illi infernalem, hic triumphalem; illis suus seruiat ad pœnam, Christo suus ad gloriam.

27. Damnis igitur, quod impij mox, vt resurrexerint suum ignem experiantur & sentiant. sed non ille ignis, quem Prophetæ testantur Dominicum aduentum præcedere. Dominicus ignis ad totum humanum genus, bonos & malos pertinere dici potest; ad maiestatem aduentus Domini, qui & malis & bonis venturus est: quemadmodum & clangor Tubarum, & signum Filij hominis, & pleraq; quæ Christi aduentum præcedent.

28. Quapropter, quemadmodum in suo ad montem Sinai aduentu Dominus legislator venit cum clangore buccinæ, & magno tonitru: lampadibus item & ardentibus ignibus, quæ ad præsentem populum, ex æquo, pertinebant, diuinæque maiestatis erant præsentissima argumenta; ita qui Dominum iudicem præcedet ignis maiestatis Christi erit iudicium; & ex æquo pertinebit tam ad bonos, quam malos, quamuis boni consolationem, impij confusionem inde sint accepturi.

29. *In Igne* igitur *Dominus venire* dicitur, quemadmodum in voce Archangeli: in voce Tubæ, in Nubibus, in Potestate: quia, scilicet, *cum Igne*; quemadmodum cum Tuba: cum voce Archangeli: cum Nubibus: cum Potestate.

30. Atq; hinc est, quod ignis hic forsitan melius inter ea, quæ *cũ Apparitione* iudiciaria coniuncta sunt, numeretur, quam inter Antecedétia. Neq; enim hic, vt clangor Tubarũ primus, mortuorũq; Resurrectio, Domini aduentum præcedet. vtraq; hæc absoluta erunt antequam ignis conspiciatur. Ignis hic cũ Domino venturus est, quem priora duo anteuertét Sed tamé præcessurus dicitur, & inter Antecedentia ponitur; quia *antequã Dominus videatur*, vidédus est; certissimus dominicæ presentiæ nũcius; cuius, vt ita dicere liceat, Dominus in-

sistet vestigijs, Quemadmodum vestigijs turbæ aulicæ præcedentis Imperator vel Rex sequens.

Quod dicimus insinuant Scripturę, quæ ignis huius meminerūt. Ab aduentu enim prę̄sentis Domini eundem non separant. *Ignis ante ipsum præcedet*, inquit Dauid, Psal. 96. vt turba, scilicet, aulicorū Imperatorē. Et Apostolus, *dies Domini*, inquit 1. Corinth. 3. *in Igne reuelabitur*, quia Ignis cum die coniunctus erit. 31.

Eandem ob causam cum *quadrigis* eundem coniungit Isaias. *Dominus*, inquit, cap 66. *in igne venit, & quasi turbo, quadriga eius*. In quadrigis enim vehiculum nubis significatur, quo ad Iudicij tribunal Dominus quasi deferetur. Cum his *quadrigis* Dominus veniet in Igne; quia in aduentu ignes id est igniti globi, inflammationes, fulgura, atque lampades non desiderabuntur. 32.

Vnde venturus Ignis, qui in Iudicio Christum est præcessurus.

Quę cum ita sint, nō credendum est hunc ignē ex visceribus terræ erupturū; multo minus ex locis infernalibus. Illo loco producetur, vnde prodire Dominus obseruabitur: supero, inquā, nō infero: in aêre, non in hominū, qui resurgent, corporibus. sed tamē radijs suis superficiē terræ, hominesq; iudicandos est diuerberaturus, secundū illud, Psal, 96. *Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & cōmota est terra.* 33.

Quantus hic Ignis futurus.

Credendū quoq; *magnu* futuru. Id ostēdit illud, quod *cōmouēda ad eius aspectū terra* dicitur: sed magis, quòd in eodem Psalmo sequitur. *Mōtes sicut cera fluxerūt à facie Domini.* Et si magnus futurus clāgor tubę: si ingēs vox Archāgeli; si vt turbo *quadriga*: quidni & magn⁹ ignis? Ignis, qui pro maiestate Domini venit? maiest. Domini est auctur⁹? & Domini, in cuius femore scriptū, *Rex Regū & Dom. Dominantium.* 34.

An continuus futurus & constans.

An futurus sit *continuus*, vt est lāpadū ardentiū? an discretius, vt fulgura sunt, atq; corruscationes, ignesq; micātes? De posteriori nō dubitarē, propter illud, *Alluxerunt fulgura eius orbi terræ.* prius suadet & dictio *Ignis*, quæ hic frequentior est; & exemplum veteris legis, quod etiam *lāpades* in aduentū Domini, in montē Sinai offert. Forte etiam illud, quod hic Ignis *inimicos Domini in circuitu dicitur inflammaturus*, quemadmodum mox dicetur. 35.

A quo ille Ignis producendus

Producēdus hic ignis est, vel solius Christi vóluntate omnipotēte vel, potius, Angelorū ministerio, qui suū etiā in *Nubibus* præbebunt ministeriū & obsequium. & quidē per *Nubes*, Domini q. *quadrigas* producetur. virtute, Angelorū naturali; qua valent maxima in res 36.

corporeas.ad eũ,ſcilicet,modum, quo corruſcationes,fulgura,inflammationes,naturæ viribus,in grauibus tempeſtatibus, diſruptis nubibus excitantur;aut cometæ,haſtæ ſimiliaque cæli q.monſtra aluntur,in ſupera aëris regione.

37. Hinc & veriſimile ſit,præter Tubas Angelorum, de quibus ſuperius,cap.3.actum eſt,hîc quoque *Tonitrua*,aut, ſi ita mauis dicere, *Tubas* auditum iri,graueſque & intolerabiles ſtrepitus. Nam & hæc ad maieſtatem pompamq; dominici aduentus facient : & ita olim Deus ad mortales deſcẽdit:& ignis quem explicamus,tonitrua hęc, tubaſque aut requirit,aut certè non aſpernatur. Vtrumque, fortè, intellexit & coniunxit Propheta Dauid,Pſalm.49.ſic loquens: *Deus manifeſtè veniet,& non ſilebit.Ignis in conſpectu eius exardeſcet* (en Ignis) *& in circuitu eius tempeſtas valida*.en tonitrua & ſonitus.

An Ignis hic alius à noſtro.

38. Hinc quoque quæ huius Ignis *conditio* futura ſit,conijcitur. Eadẽ eſt,quę *noſtri*,qui diſruptis nubibus excitatur.qui quoniam alterius naturæ ab elementari non eſt,eiuſdem cum elementari erit conditionis.

Quod Officium Ignis futurum.

39. Vnum ergo *præcipuum officium* huius ignis erit:nõ quidem aliquod ex quatuor præcedentibus,ſed nouum:hoc ſcilicet, vt ornamentũ ſit aduentus Domini; & ſummæ maieſtatis Chriſti argumentum. Huic tamen annexa ſunt tremor & trepidatio mortalium,quæ non poſſunt non ſequi,talem,tantùm,tam varium,tali loco apparentem ignem,& tali Iudicis aduentum denunciantem.

40. Sed fortè dictis obſtat, quod Ignis, qui Dominum eſt Præceſſurus dicatur *inflammaturus in circuitu inimicos eius*.hoc eum non ad noſtrum,vt ita dicam,*triumphalem* pertinet,ſed potius ad infernalem. Eſt quidem verum, quod hic noſter non ſit *inflammaturu inimicos Chriſti*:ſed tamen nec certum,quod qui inflammaturus eſt inimicos Chriſti,ſit noſter. Neque enim Propheta docet vnum eundemque Ignem futurum;qui & Dominum præcedet,& inimicos Chriſti inflammabit:ſed ignem futurum,qui Dominum præcedat:& Ignem, qui inflammet, qui quamuis forſitan idem vnuſquiſque dici poteſt ratione naturæ, non tamen idem dicendus ratione officij. aliud futurum ignis,qui præcedet;aliud,qui malos torquebit.

41. Adde quod dici etiam poſſit eundem Ignem fore, qui Dominũ eſt præceſſurus,& qui inflammaturus inimicos. Fieri enim poteſt, vt qui Dominum præcedit Domino pro tribunali ſedente non deſinat;ſed apud Domini latus,vel alibi ſtationem habeat, ſuaq; pręſentia

sentia Impios terreat: donec tandem iudicio absoluto desuper ruat in impios, cùm *conflagrationis igne*, quo mox ab absoluto iudicio mundus est inuoluendus. Probabiliter admodum hoc dicitur; an verè experientia docebit.

Minus difficultatis habet, quod ignis hic *exarsurus* dicitur. Verũ non dicitur; *exarsurus*, quod in impiorum corpora sæuiet; sed quod ingentes dabit flammas, horrenda fulgura. Atque hactenus de *igne*, qui postremum est eorum, quę Christi Iudiciariam Apparitionem antecedent. 41.

CAPVT OCTAVVM.

De Coniunctis cum Iudiciaria Christi, in Nubibus, Apparitione. quorum genera quatuor

Personę. Res. Libri. Iudicium.
Generum species plures.

ANtecedétia Iudiciariam Christi Apparitionem explicata sunt: in sequentibus explicanda, quæ cum ipsa sunt *Coniuncta*: quæ quemadmodum non minus, quam illa sunt difficilia, ita non minus pulchra, & iucunda. 1.

Duplicia hæc sunt. Quædam enim *tantum* cum ipsa sunt coniuncta: quædam præterquam quod coniuncta sunt, etiam ipsam antecedunt: vt inter alia Signum Filij hominis. posteriora hęc, quoniam examinata sunt, hic prætermittentur. 2.

Priora, quæ & quot sint, ex officio Christi facilè colligitur, qui Iudicem in hac Apparitione acturus est. Quocirca cum in Iudicio, inueniantur *quatuor* præcipuè, Personæ, scilicet: Causæ, siue Res quę in Iudicium adducuntur: Iudicij actus: & Codicilli, siue Libri; ad *Coniuncta* pertinebunt Personæ, Causæ, Actus Iudicij, Libri rerum gestarum. 3.

In Actu Iudicij sunt hæc: Cognitio causæ, siue dijudicatio & disceptatio: Deinde sententiæ prolatio: postremo meritis respondens retributio. 4.

Libri in Iudicijs varij sunt: & in Christi Apparitione Iudiciaria varij reperientur; pro varietate Causarum multorum iudicandorũ, quemadmodum in sequentibus docebitur. 5.

Et Causæ variæ ad hoc Christi Iudicium deferentur; Cogitationum, Verborum, Operum. Causę totius Mundi: Regum totius Mũdi: Pauperum totius Mundi. Omnium hominum. 6.

7. Personæ quoque plures in Iudicijs inueniuntur. Nam primum est Iudex ipse: sunt deinde Assessores, & quasi Coniudices: sunt Iudicandi siue Rei: sunt Accusatores: sunt Testes: sunt Aduocati. De omnibus, in hac parte, aliquid dicendum.

8. Personas autem in hac Christi Iudiciaria Apparitione distinguere; Iudicem, videlicet, ab Accusatoribus, Testibus, & Aduocatis: docere item, qui Iudicis Assessores; qui Rei: qui Accusatores, Testes, aduocati, admodum difficile est. Quia verò Scriptura præcipuè meminit Iudicis, Assessorum siue Coniudicantium, & Reorū siue Iudicandorum, hæ præ alijs diligentius inquirendæ.

9. Et inquirendæ in personis quæ iudicio intererunt: in persona Filij, qui est Dominus noster: in persona Dei Patris, & Spiritus sancti: in Angelis: in Dæmonibus: in Hominibus omnibus. Hæ enim in iudicio illo futuræ creduntur, Initium Disputationis ab Actu iudicij facimus, de quo dicenda pauciora.

CAPVT NONVM.

De ipso Iudicio, siue tribus Iudicij Actibus: qui sunt

Causæ Disceptatio,
Sententiæ Prolatio,
Meritorum Retributio.

1. DVplex plerique Iudicium distinguunt, siue duos iudicij Actus; vnum vocant Discussionis, alterum Remunerationis, siue Damnationis. Nos, fortasis melius, maioris lucis causa, *tres* constituemus, & prioribus duobus tertium, qui Sententiæ continet Prolationem, adiungemus.

2. Ad Iudicem verò omnes propriè pertinent; non alias personas, quæ in Iudicio reperiuntur. Aliarum personarum alij sunt actus: atque vt omnes ad Iudicem ordinem quendam dicunt; ita actus illarum, ad hos Iudicis actus. Quod si ipsis ex tribus aliquis, sola Sententiæ Prolatio concedetur. verum de hoc in sequentibus.

3. *Disceptatio Causæ* primus actuum est. Hæc in secretis conscientijs peragetur, absque strepitu & contentione verborum, aut externis nobisque hic vsitatis argumentis. Conueniet quasi singulorum cōscientias Dominus: in his loquetur singulis; efficietque vt intelligant iustissimam esse, quam Prolaturus est Sententiam, & mox percepturi meritorum Retributionem.

4. Tribuit hunc actum Christo Iudici Scriptura: obscurius quidē apud

apud Ieremiam Prophetam; sed clarius apud Ioëlem. Ieremias ita habet, cap. 25. *Iudicium Domini cum Gentibus* ibi, quoniam dicit, *Cum Gētibus* & nō *De Gentibus*, vel *Ad Gentes*, haud obscurè hāc Disceptationē insinuat. Sed, vt dictum, apertius Ioël, cap. 3. *Cōgregabo*, loquitur Dominus, *omnes Gentes: & adducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum illis, super populo meo, & hæreditate mea.*

Sententiæ Prolatio secundus actuum est. Viua hæc, & quæ auribus percipi poterit, fiet voce, quemadmodum primo Capite doctū est. Et quamuis omnes, quæ ferenda erit, sciant Sententiam, antequā feretur; frustra tamen non feretur; quemadmodum nec frustra Generale, post Particulare, instituetur Iudicium. 5.

Et hic actus in Dominum Iudicem cadet. *Sedebit enim ipse*, quemadmodum dicitur Matth. 25. *super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes, &c. & dicet his, qui à dextris eius erunt: Venite Benedicti Patris mei possidete Regnum paratum vobis à cōstitutione mundi, &c. dicet & his, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me Maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius, &c.* 6.

Remuneratio Meritorum, qui actuum est tertius, Iudicij est finis & consummatio. Hæc, quod Sententia indicat, affert. Mox enim sua malos supplicia; & sua bonos prēmia sequentur, nullo vnquam tempore finem habitura, secundum illud, Matth. 25. *Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* 7.

Et huius actus Scriptura meminit, eundemque Christo tribuit. Nam de hoc sic Apostolus Paulus, 2. Cor. 5. *Omnes*, inquit, *nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et Dominus ipse Ioan. 5. *Omnes*, inquit, *qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala in resurrectionem Iudicij.* Hęc de Iudicij actibus. Pergimus ad Personas. 8.

CAP-

Capvt Decimvm.

De Christo, Iudicis personam in Iudiciaria Apparitione sustinente: & ostenditur,

1. Plura dicta sunt Cap. primo, quæ ad Maiestatem & gloriã Christi apparentis pertinent. hic Officium præcipuum, quod in Apparitione Iudiciaria est executurus, explicandum est. Quod illud? Quod iudicaturus viuos & mortuos, atque singulis redditurus prout gesserunt in corpore.

Quod Christus viuorum & mortuorum futurus Iudex.

2. Multa pro hoc Christi Officio sunt testimonia, quæ partim Christianæ Religionis continentur Symbolis: partim Sacrarum Scripturarum disertis Oraculis: vt de communi omnium voce & sententia nihil dicam.

3. Symbolum Apostolorum sic habet. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Nicænum modum Aduentus explicat, *Cum gloria*, inquiens, *venturus* Athanasium, præter hoc præmiorum & suppliciorum meminit. *Ad cuius*, inquit, *aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis; & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum.*

4. Idem Dominus ipse docuit, Ioan. 5. *Neque enim Pater*, inquit, *iudidicat quemquam: sed omne Iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Et paulò post. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & potestatem dedit ei etiam Iudicium facere, quia Filius hominis est.* Et Matth. 24. *Filius hominis*, inquit, *venturus est in gloria Patris sui, & reddet vnicuique secundum opera sua.*

5. Idem Apostolus in posteriori ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit,*

ut gessit, siue bonum, siue malum. Et ad Roman. 4. *Omnes stabimus ante tribunal Christi, & vnusquisq; nostrum pro se rationem reddet.*

In Actibus Apostolorum idem docent Petrus, & Paulus. Petrus 6.
cap. 10. *Praecepit nobis Dominus*, inquit, *praedicare populo, & testificari; quia Ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.* Paulus cap. 17. *In Christo*, inquit, *iudicaturus est* (Deus) *orbem in aequitate, in viro, in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum à mortuis.*

Nec desunt hîc Prophetarum Oracula. Isaiae 3. sic legitur: *Dominus* 7.
ad Iudicium veniet, cum senioribus populi sui, & principibus eius. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Et cap. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigae eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit.*

Et Ioel, seu potius, apud Ioelem, Deus, Christo suo dat testimo- 8.
nium, cap. 3. *In tempore illo*, inquit, *congregabo omnes gentes: & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum ijs ibi, super populo meo & haereditate mea Israel, quos dispersérunt in nationibus*, & paulo pòst: *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gētes in circuitu.*

Sed *vnde* haec Domino Iudiciaria potestas? *quando* item ipsi colla- 9.
ta? & *quare*, siue quam ob causam collata? quamque *conuenienter*?

Vnde, & quo modo ad Christum potestas iudicandi peruenit.

Potestas haec Christo à Patre collata est. *Pater*, inquit Dominus 10.
Ioan. 5. *non iudicat quenquā; sed omne iudicium Filio dedit.* Idem significatur septimo Cap. Danielis, dum primùm dicitur; quòd *Antiquus dierum* (Patrem exponit Hilarius, lib. 2. de Trinit.) *sederit*, & subiungitur; *quòd Filius hominis peruenerit ad Antiquum dierum, & acceperit ab eo potestatem, & honorem, & regnum.*

Quomodo verò à Patre ad Christum deriuata est? An vt Deus est 11.
Christus, an vt homo? *Et vt Deus est; & vt homo.* Quoniam enim ipse, à Patre procedit, adeoque idem cum Patre est Deus: & in Patre omnis omnino est potestas; à Patre quoque Deo, Ipse Deus Iudiciariā Potestatem accepit: quemadmodū verbi gratia, Filius Regis à Rege descendens in Patriam Potestatem ingreditur. Hinc pulchrè B. Ambrosius, lib. 2. de fide, cap. 4. *Omne, inquit, Iudicium dedit Pater Filio vtique generando; non largiendo.*

Vt homo quoque à Patre Iudiciariam Potestatem accepit. Id Do- 12.
minus indicat, Ioan. 5. cap. sic loquens: *Potestatem dedit ei Pater iudicium facere; quia Filius hominis est.* Idem docet Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. in Ioannem, cap. 140. *Christus*, inquit, *vt Deus naturaliter illam*

(potestatem) *habet: tamen per incarnationem & dispensationem accepit, vt homo existens, illam haberet.*

Qualis fuerit Iudiciaria Christi potestas.

13. Et *Primaria* hęc Potestas vocari potest, quatenus illam *vt Deus* habet; *ex commissione* autem, quatenus *vt homo* possidet. Illa enim à nulla potestate pendet superiori: plenamque auctoritatem continet, & in præmijs, & in supplicijs singulorum decernendis: denique naturam ipsam, atque adeo intrinseca principia sequitur: hæc non sequitur naturam. à potestate superiori pendet: & auctoritatem in pœnis supplicijsque quam habet, aliunde habet.

14. Et *Primariam illam* ab æterno Filius habet: quia habet, *qua Deus*: & ab æterno est Deus. alteram ex tempore accepit: quia habet, *qua homo*; & ex tempore incœpit esse homo. Et quia habet, *qua homo*, quàm primùm esse homo cœpit, eandem habuit, quamuis non statim, vt habuit, exercere incœpit.

15. Duplici autem nomine illam *ex commissione*, quam in tempore accepit, habet. primò, quia caput est totius Ecclesię; secundò, quia eādē sibi meruit. Priori modo ipsi debebatur, quasi *naturaliter*; & data cum potestate, quam habuit, *excellentiæ atque Regia*, cuius etiam actus est Iudicium: *Constitutus est enim Rex super Sion montem sanctum Dei*. posteriori acquisiuit proprijs operationibus, atque sudoribus.

16. Interim tamen, si secundùm se, suamq; substantiam Potestas hęc consideretur; non *ita propriè*, atque bene dixeris, *ob merita sua* illam datam Christo. Naturalis enim illi est, ob vnionem hypostaticam ipsi debita; meritumque omne natura præcessit. Dixeris melius ob merita habere Christum, non tam potestatem; quàm *potestatis perpetuitatem, vsum, actualem possessionem, eiusdemq; manifestationem.*

Quomodo conueniat Christo potestas Iudiciaria.

17. Hinc infertur, quòd Christus, *vt Filius Dei*, habeat Iudiciariam Potestatem, *per appropriationem*, vt in scholis loquuntur: *vt verò Filius hominis*, *per proprietatem*. Neque enim hoc modo ista Patri tribuitur, & Spiritui sancto; illa non minus tribuitur Patri & Spiritui sancto: quàm Filio, cùm indiuisa sint sanctæ Trinitatis opera, illa, quæ ad *Extra* dicuntur.

18. APpropriatio autem hæc ex attributo Filij proficiscitur, qui *sapientia Patris* vocatur. Hæc igitur cùm in Iudicio maximè necessaria sit, & Iudicium quoddam ipsius quasi sit opus; quod omnibus alioquin personis commune est, vni rectè tribuitur Filio: quemadmodum vni Patri *potentia*: vni Spiritui sancto *bonitas*: quamuis & hæc tribus personis communia sint.

Qua

Qua propriè Christus potestate in Iudicio vtetur.

Quamuis verò Filio potestas Iudicandi conueniat;& *qua Deus*, & *qua homo* est; in Iudicio tamen potestate *illa* propriè vtetur, quam *ex commissione* habet: quia vt homo Mundum est iudicaturus. Atque hoc idem Dominus significauit, quando dixit, Ioan. 6. *se accepisse potestatem Iudicium faciendi, quia filius est hominis.* Et de hac quoque potestate loquitur, quando dixit, *Omne Iudicium à Patre datum Filio.* Ita B. Augustinus Tractat. 19. & 22. in Ioannem, quem sequuntur Beda ibidem, & Rupertus libro quinto in Ioannem, & cęteri Latini Expositores. 19.

Ob quas causas, Christo, vt homini, conueniat iudicare.

Competit autem Christo, secundùm humanitatem Iudiciaria potestas, propter *tria*, vt inquit B. Thomas, 3. part. q. 59. art. 2. *Primò quidem, propter conuenientiam & affinitatem ipsius ad homines. Sicut enim Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur; ita iudicat per hominem Christum homines; vt sit suauius Iudicium hominibus. Vnde Apostolus dicit Hebr. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine, absque peccato. Secundò, quia in finali Iudicio; vt habet B. Augustinus, Tract. 23. in Ioan. erit Resurrectio corporum mortuorum, quæ suscitat Deus, per filium hominis, sicut per eundem suscitat animas, in quantum est filius Dei. Tertiò, quia, vt B. Augustinus dicit, lib. de Verbis Domini, Rectum erat, vt iudicandi viderent Iudicem: Iudicandi autem sunt boni & mali; restabat ergo vt in Iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur: forma Dei solis bonis seruaretur.* ita B. Thomas. 20.

Addunt his duas alij, venturum ad Iudicium filium, ad declarandam in malorum condemnatione ęquitatem; quia, scilicet, sententia non ab alio, quàm ab eo feretur, qui hactenus eosdem, vt patronus, & defensor clientes, est tutatus, deinde facere hoc ad bonorum consolationem, quorum aduocatus & patronus sit futurus Iudex. 21.

Sed nec in Christo quidquam desiderabitur, quod debet *adesse* in *bono Iudice*: nihil reperietur, quod debet *abesse*. Debet abesse à Iudice personarum acceptio. *Personam non accipies*, dicitur Deut. 16. Debent adesse tria: *potestas* in subditos vnde. Eccli. 7. dicitur: *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere* iniquitates: *rectitudo*, ne quid odio vel liuore faciat, secundùm illud Ioan. 7. *Quod iustum est iudicate*: & *sapientia, quam idem* Ecclesiasticus commendat cap. 10. 22.

inquiens: *Iudex sapiens iudicabit populum.* Quid horum in Christo desiderabitur?

23. Nolumus in re certa pluribus agere. Quæ hîc locum habet, adscribimus ex egregio Pontifice Innocentio, sententiam. *Quis*, inquit ille lib. 3. de Contemptu mundi cap. 15. *non timeat Iudicem potentissimum, sapientissimum, & iustissimum? Potentissimum, quem nemo potest effugere. sapientissimum, quem nemo potest latere. iustissimum, quem nemo potest corrumpere. Si fortitudo quæritur, robustissimus est, sapiens corde, & fortis robore. Si æquitas iudicij, nemo audebit pro me testimonium dare. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, prauum me comprobabit, etiam si simplex fuero. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Qui vocat stellas, & dicunt, Adsumus. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Cuius voluntati nihil omnino resistit. Cui nullum verbum impossibile. Cui flectitur omne genu cælestium terrestrium & infernorum. Hunc ergo nemo potest fugere, sicut dicit Propheta: Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum ades. Ipse scrutatur renes & corda. cuius oculis omnia sunt nuda & aperta. Qui pluuiæ guttas & arenam maris dinumerat. Deus scientiarum Dominus: præscius omnium, & conscius singulorum: occultus occultorum omnium indagator. Hunc ergo nemo potest latere, sicut dicit Apostolus, Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Ipse est Iudex iustus, fortis & longanimis; qui nec prece, nec precio, nec amore, nec odio declinat à semita rectitudinis: sed via regia semper incendens, nullum malum præterit impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquit. Hunc ergo nemo potest corrumpere, iuxta quod dicit Psalmus: Tu reddes singulis secundùm opera sua.* Hactenus Innocentius.

CAPVT VNDECIMVM.

De Persona Patris & Spiritus Sancti respectu Iudicij Generalis, inquiritur.

Vtrum Generale Iudicium, non tantùm per Filium, sed etiam per Patrem & Spiritū sanctū sit exercendum. Num. 2.

An Pater singulariori quadam ratione in Iudicio illo sit futurus præsens. Num. 8.

Quid sit Filium in Iudicio sedere ad dextram Patris. Num. 14.

Cur dextram Patris Filius occupet; & quot modis dextra alicui tribuatur. Num. 15.

ESSE duplex Iudicium, quo Mortalium causæ discutiuntur; & singulis secundùm propria opera fit retributio, norunt omnes. Vnum dicimus Particulare; alterum Vniuersale. Illud statim post cuiusque mortem peragitur: hoc ad finē mundi differetur. Illud per Patrē, atq; Spiritum sanctum nō minus, quàm per Filium, esse peractum, saltem ante Christi in mundum aduentum, nemo potest dubitare, nisi qui nullum ante Christum velit oppetiuisse mortem, & ob id de eo nulla quæstio. De posteriori quæstio præsens est. 1.

An Pater & Spiritus sanctus, vnà cum Christo, Generale Iudicium exercebūt.

Et videri potest *Patrem*, atque *Spiritum* sanctum nullas in hoc partes habituros; propterea, quòd *Christo* Iudicium hoc commissum esse Scriptura insinuet, quemadmodum præcedenti Capite est demonstratum: sed tamen de *vtroque, Patre*, inquam, & *Spiritu sancto*, si non magna, aliqua tamen est difficultas: & de Patre maior, quàm de Spiritu sancto. Pro *vtroque* est, quòd *Iudicare* opus sit externum: atque idcirco non minus Patri, & Spiritui sancto; quàm Filio tribuendum; iuxta commune Theologorum Axioma, *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.* 2.

Pro *Spiritu sancto* verò illud affertur, quod ipsius officium sit arguere mundum; secundum illud Ioannis *16. Ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Quocirca cùm in extremo illo Iudicio maximè arguendus sit mundus, non videtur hîc Spiritus sanctus defuturus suo officio. 3.

Pro *Patre* autem duo faciunt. primum est, quòd Christus in *illa die* dicatur *sessurus ad dexteram Patris*. Sic.n. ipse loquitur, Matth. *26. Veruntamen amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, venientem in nubibus.* Hîc de extremo Iudicij die sermonem esse, & textus probat, & confirmat concors Patrum sententia. Alterum est, quod eidem Iudicium, aut saltem in Iudicio partem videatur tribuere Daniel, cap. 7. vbi *Antiquum dierum*, id est, Patrem, describit, moxque Iudicij; & *librorum*, qui in Iudicio aperiendi sunt, mentionem facit. 4.

Sed tamen (quemadmodum diximus) res singularem difficultatem non habet. Quamuis enim omnino à Iudicio *Pater*, & *Spiritus* sanctus excludendi non sunt; vt qui cum Filio, causa prima hîc, & principalis sunt, habentes primariam auctoritatem iudicandi: à Patre tamen & Spiritu sancto Iudicium non dicitur exerceri: quia exercendum per hominem, qui videri potest. Itaque Pater & Spiritus sanctus quodam modo, quod suum est in Filium hominem contu- 5.

tulerunt; & ipsorum vices geret Christus homo.

6. *Primaria* ergo potestas communis est Filio, cum Patre & Spiritu sancto. Et Iudicium commune esset Patri, & Spiritui sancto, cum Filio; si à causa primaria, & principali esset exercendum (quemadmodum & particulare Iudicium, ante Verbum incarnatum, tribus personis fuit commune.) Sed quoniam hæc Christo homini commissa est, tanquam per illum exercenda; idcirco quemadmodum nec Pater est homo, nec Spiritus sanctus est homo, Iudicium non per Patrem, non per Spiritum sanctum, sed Filium exercebitur, ideoque Filio, tanquam proprium opus, adscribitur.

7. Quòd Spiritus sanctus dicebatur *arguturus mundum*, certum est. Verùm id officij genus non tam præstiturus est extremo Iudicij die, quo meritorum accipiuntur mercedes; quàm quo tempus est merendi. Hinc Dominus, *Cùm venerit Paracletus, arguet mundum de peccato*, &c. An verò non, nisi extremo die, veniet?

An Pater singulari aliqua ratione in Iudicio erit.

8. De *Patre* res, vt diximus, plusculum habet difficultatis; non tam propter illud Danielis 7. de *Antiquo dierum*; quàm quòd Christus dicitur *sessurus in Iudicio ad dextram Patris*, Matth. 26. Nam Daniel, illo loco, soli Christo videtur fauere, eidemque soli Iudicium relinquere. Postquam enim *Antiquum dierum* descripsisset; docet *Filium hominis* ad ipsum peruenisse, atque regnum (quod potestatem iudicandi includit) ab eodem accepisse. *Dextra Patris* maiorem parit difficultatem. Quomodo enim *ad Dextram Patris* Filius sedet in Iudicio, si in Iudicio præsens non est Pater?

9. Et difficultatem auget, quod non hic in Iudicio tantùm; sed aliàs etiam frequenter Filius dicatur ad *Patris dextram sedere*. *Assumptus est in cœlum*, dicitur Marci vltimo, *& sedet à dextris Dei*. Et ad Heb. 1. *Sedet ad dextram Maiestatis in excelsis*. & cap. 8. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextra sedis magnitudinis in excelsis*, & cap. 10. *Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextra Dei*. & cap. 12. *Sustinuit Crucem confusione contempta, atque in dextra Dei sedens*. & 1. Petri 3. *Per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextra Dei*. Similia habentur ad Rom. 8. ad Ephes. 1. ad Coloss. 2.

10. Quæritur igitur, An Pater præsens futurus Filio in Iudicio *singulari quadã ratione*; alia, scil., quàm qua omnib⁹ est præsens: Et si presens, *oculisne* Mortaliũ cõspiciendus, indutus aliquod corpus; vt hac ratione bene Filius *ad dextrã Patris* sedere dici posit: Et si hoc, *quodnã officiũ* in Iudicio sustinebit: an cum Filio *Iudicis*; an Assessoris tantùm. Si verò horum nihil debeat dici; quomodo *ad dextram Patris* sedere

sedere dicitur Filius: cur etiam nō Pater à *dextris* dicitur *Filij*; quod, vt fieret, postulat & Patris dignitas, & reuerentia Filij. Quid ergo hîc constituendum?

Fuerunt, qui Deum docuerunt habere corpus; & humanis membris constare, non secus atque mortales homines. Anthropomorphitæ sunt dicti; & tempore Theodosij Maioris, in Aegypto magnorum tumultuum extiterunt auctores, teste Niceph. lib. 11. cap. 16. Hi facilè hîc se expediunt. Quemadmodum in nobis dextram & sinistram distinguunt, ita in Deo distinguūt, & Christo tribuunt dextram. 11.

Sed grauissimus hic error est. Non habet corpus Deus Pater. non potest habere corpus. atque idcirco nec dextra in ipso potest constitui, nec sinistra; vt quæ non sunt, nisi rerum corporearum. Hoc quia docet Liber de Diuinis Vet. Testam. Apparit. hîc repeti non debet. 12.

In *proprio* igitur corpore Pater dextram Filio non præbebit. An præbebit in assumpto? Nec in *assumpto* præbebit: quia nunquā in propria persona assumpsit corpus: nunquam in propria persona assumet. Et quodnam in Iudicio illo munus subiret Pater? Iudicis? hoc Christo traditum. Assessoris, vt Angeli? Non conuenit, nec decet. Executoris? minus conuenit: minus decet. 13.

Quid sit Christum sedere ad dextram Patris.

Quid igitur est, quòd *ad dextram Patris sedere* Christus dicitur? Dextra hæc non partem corporis Patris significat; nec positionem aut situm Christi, quem habiturus est; sed dignitatem atque gloriam, cum & in qua extremo mundi die appariturus est Iudex viuorum & mortuorum. Fortè nec malè *dextram* dixeris insinuare diuinitatem Christi; quasi Dominus dicere voluerit in extremo Iudicio cognituros Iudæos, se non minus Deum esse, atque omnipotentem; quàm sit Pater cælestis; vt qui *ad dextram Patris* sit sessurus. Vnde bene Athanasius, Orat. 2. contra Arianos. *Quid*, inquit, *est sedere ad dextram Patris, nisi germanitatem Filij atque Deitatem Patris; eandem quoque esse Deitatem Filij?* 14.

Cur dextram Filij non occupat Pater.

Sed Cur *dextram Patris* Filius occupat? cùm dextra honoratior sit locus; isque Patri potius, vt *qui Filio maior est*, Ioan. 14. sit tribuendus? Aliqui facilè huic quæstioni respondent, negando *dextram* honorabiliorem locum significare. Pro quibus produci possunt Imagines antiquæ Petri & Pauli, in quibus Petrus, quamuis dignior, *dextram* præbet Paulo, vt obseruauit S. Thomas, lect. 1. in epist. ad 15.

Galat.

corporeas.ad eũ,scilicet,modum, quo corruscationes,fulgura,inflammationes,naturæ viribus,in grauibus tempestatibus, disruptis nubibus excitantur;aut cometæ,hastæ similiaque cæli q.monstra aluntur,in supera aëris regione.

37. Hinc & verisimile fit,præter Tubas Angelorum, de quibus superius,cap.3.actum est,hic quoque *Tonitrua*,aut, si ita mauis dicere, *Tubas* auditum iri,grauesque & intolerabiles strepitus. Nam & hæc ad maiestatem pompamq; dominici aduentus facient : & ita olim Deus ad mortales descẽdit:& ignis quem explicamus,tonitrua hęc, tubasque aut requirit,aut certè non aspernatur. Vtrumque, fortè, intellexit & coniunxit Propheta Dauid,Psalm.49.sic loquens: *Deus manifestè veniet,& non silebit.Ignis in conspectu eius exardescet* (en Ignis) *& in circuitu eius tempestas valida.*en tonitrua & sonitus.

An Ignis hic alius à nostro.

38. Hinc quoque quæ huius Ignis *conditio* futura sit,conijcitur. Eadẽ est,quę *nostri*,qui disruptis nubibus excitatur.qui quoniam alterius naturæ ab elementari non est,eiusdem cum elementari erit conditionis.

Quod Officium Ignis futurum.

39. Vnum ergo *præcipuum officium* huius ignis erit:nõ quidem aliquod ex quatuor præcedentibus,sed nouum:hoc scilicet, vt ornamentũ sit aduentus Domini; & summæ maiestatis Christi argumentum. Huic tamen annexa sunt tremor & trepidatio mortalium,quæ non possunt non sequi,talem,tantùm,tam varium,tali loco apparentem ignem,& tali Iudicis aduentum denunciantem.

40. Sed fortè dictis obstat, quod Ignis, qui Dominum est Præcessurus dicatur *inflammaturus in circuitu inimicos eius*.hoc eum non ad nostrum,vt ita dicam,*triumphalem* pertinet,sed potius ad infernalem. Est quidem verum, quod hic noster non sit *inflammaturus inimicos Christi*:sed tamen nec certum,quod qui inflammaturus est inimicos Christi,sit noster. Neque enim Propheta docet vnum eundemque Ignem futurum;qui & Dominum præcedet,& inimicos Christi inflammabit:sed ignem futurum,qui Dominum præcedat:& Ignem, qui inflammet. qui quamuis forsitan idem vnusquisque dici potest ratione naturæ, non tamen idem dicendus ratione officij. aliud futurum ignis,qui præcedet;aliud,qui malos torquebit.

41. Adde quod dici etiam posit eundem Ignem fore, qui Dominũ est præcessurus,& qui inflammaturus inimicos. Fieri enim potest, vt qui Dominum præcedit Domino pro tribunali sedente non desinat;sed apud Domini latus,vel alibi stationem habeat, suaq; pręsentia.

ſentia Impios terreat: donec tandem iudicio abſoluto deſuper ruat in impios,cùm *conflagrationis igne*, quo mox ab abſoluto iudicio mundus eſt inuoluendus.Probabiliter admodum hoc dicitur; at verè experientia docebit.

Minus difficultatis habet,quod ignis hic *exarſurus* dicitur. Verū 42. non dicitur;*exarſurus*,quod in impiorum corpora ſæuiet; ſed quod ingentes dabit flammas,horrenda fulgura. Atque hactenus de *igne*, qui poſtremum eſt eorum,quę Chriſti Iudiciariam Apparitionem antecedent.

CAPVT OCTAVVM.

De Coniunctis cum Iudiciaria Chriſti,in Nubibus, Apparitione. quorum genera quatuor

Perſonæ. Res. Libri. Iudicium.
Generum ſpecies plures.

ANtecedétia Iudiciariam Chriſti Apparitionem explicata 1. ſunt:in ſequentibus explicanda,quæ cum ipſa ſunt *Coniuncta*:quæ quemadmodum non minus, quam illa ſunt difficilia,ita non minus pulchra,& iucunda.

Duplicia hæc ſunt.Quædam enim *tantum* cum ipſa ſunt coniuncta:quædam præterquam quod coniuncta ſunt, etiam ipſam ante- 2. cedunt:vt inter alia Signum Filij hominis.poſteriora hęc,quoniam examinata ſunt,hic prætermittentur.

Priora; quæ & quot ſint,ex officio Chriſti facilè colligitur,qui 3. Iudicem in hac Apparitione acturus eſt. Quocirca cum in Iudicio, inueniantur *quatuor* præcipuè,Perſonæ,ſcilicet:Cauſæ,ſiue Res quę in Iudicium adducuntur: Iudicij actus:& Codicilli, ſiue Libri; ad *Coniuncta* pertinebunt Perſonæ,Cauſæ, Actus Iudicij, Libri rerum geſtarum.

In Actu Iudicij ſunt hæc:Cognitio cauſæ,ſiue dijudicatio & diſ- 4. ceptatio: Deinde ſententiæ prolatio: poſtremo meritis reſpondes retributio.

Libri in Iudicijs varij ſunt: & in Chriſti Apparitione Iudiciaria 5. varij reperientur;pro varietate Cauſarum multorum iudicandorū, quemadmodum in ſequentibus docebitur.

Et Cauſæ variæ ad hoc Chriſti Iudicium deferentur; Cogitatio- 6. num, Verborum,Operum.Cauſę totius Mundi:Regum totius Mūdi:Pauperum totius Mundi Omnium hominum.

7. Personæ quoque plures in Iudicijs inueniuntur. Nam primum est Iudex ipse: sunt deinde Assessores, & quasi Coniudices: sunt Iudicandi siue Rei: sunt Accusatores: sunt Testes: sunt Aduocati. De omnibus, in hac parte, aliquid dicendum.

8. Personas autem in hac Christi Iudiciaria Apparitione distinguere; Iudicem, videlicet ab Accusatoribus, Testibus, & Aduocatis: docere item, qui Iudicis Assessores; qui Rei: qui Accusatores, Testes, aduocati, admodum difficile est. Quia verò Scriptura præcipuè meminit Iudicis, Assessorum siue Coniudicantium, & Reorũ siue Iudicandorum, hæ præ alijs diligentius inquirendæ.

9. Et inquirendæ in personis quæ iudicio intererunt: in persona Filij, qui est Dominus noster: in persona Dei Patris, & Spiritus sancti: in Angelis: in Dæmonibus: in Hominibus omnibus. Hæ enim in iudicio illo futuræ creduntur. Initium Disputationis ab Actu iudicij facimus, de quo dicenda pauciora.

CAPUT NONUM.

De ipso Iudicio, siue tribus Iudicij Actibus: qui sunt

Causæ Disceptatio,
Sententiæ Prolatio,
Meritorum Retributio.

1. DUplex plerique Iudicium distinguunt, siue duos iudicij Actus; vnum vocant Discussionis, alterum Remunerationis, siue Damnationis. Nos, fortaſsis melius, maioris lucis causa, *tres* constituemus, & prioribus duobus tertium, qui Sententiæ continet Prolationem, adiungemus.

2. Ad Iudicem verò omnes propriè pertinent; non alias personas, quæ in Iudicio reperiuntur. Aliarum personarum alij sunt actus: atque vt omnes ad Iudicem ordinem quendam dicunt; ita actus illarum, ad hos Iudicis actus. Quod si ipsis ex tribus aliquis, sola Sententiæ Prolatio concedetur. verum de hoc in sequentibus.

3. *Disceptatio Causæ* primus actuum est. Hæc in secretis conscientijs peragetur, absque strepitu & contentione verborum, aut externis nobilque hic vsitatis argumentis. Conueniet quasi singulorum cõscientias Dominus: in his loquetur singulis; efficietque vt intelligant iustiſsimam esse; quam Prolaturus est Sententiam, & mox percepturi meritorum Retributionem.

4. Tribuit hunc actum Christo Iudici Scriptura: obscurius quidẽ apud

apud Ieremiam Prophetam; sed clarius apud Ioëlem. Ieremias ita habet, cap. 25. *Iudicium Domini cum Gentibus*, vbi, quoniam dicit, *Cum Gētibus* & nō *De Gentibus*, vel *Ad Gentes*, haud obscurè hāc Disceptationē insinuat. Sed, vt dictum, apertius Ioël, cap. 3. *Cōgregabo*, loquitur Dominus, *omnes Gentes: & adducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum illis, super populo meo, & hæreditate mea.*

Sententiæ Prolatio secundus actuum est. Viua hæc, & quæ auribus percipi poterit, fiet voce, quemadmodum primo Capite doctū est. Et quamuis omnes, quæ ferenda erit, sciant Sententiam, antequā feretur; frustra tamen non feretur; quemadmodum nec frustra Generale, post Particulare, instituetur Iudicium. 5.

Et hic actus in Dominum Iudicem cadet *Sedebit enim ipse*, quemadmodum dicitur Matth. 25. *super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes. &c. & dicet his, qui à dextris eius erunt: Venite Benedicti Patris mei possidete Regnum paratum vobis à cōstitutione mundi, &c. dicet & his, qui à sinistris eius erunt: Discedite à me Maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius, &c.* 6.

Remuneratio Meritorum, qui actuum est tertius, Iudicij est finis & consummatio. Hæc, quod Sententia indicat, affert. Mox enim sua malos supplicia; & sua bonos premia sequentur, nullo vnquam tempore finem habitura, secundum illud, Matth. 25. *Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* 7.

Et huius actus Scriptura meminit, eundemque Christo tribuit. Nam de hoc sic Apostolus Paulus, 2. Cor. 5. *Omnes*, inquit, *nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et Dominus ipse Ioan. 5 *Omnes*, inquit, *qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala in resurrectionem* Iudicij. Hęc de Iudicij actibus. Pergimus ad Personas. 8.

CAP-

CAPVT DECIMVM.

De Christo, Iudicis personam in Iudiciaria Apparitione sustinente: & ostenditur,

1. Plura dicta sunt, Cap. primo, quæ ad Maiestatem & gloriã Christi apparentis pertinent. hic Officium præcipuum, quod in Apparitione Iudiciaria est executurus, explicandum est. Quod illud? Quod iudicaturus viuos & mortuos, atque singulis redditurus prout gesserunt in corpore.

Quod Christus viuorum & mortuorum futurus Iudex.

2. Multa pro hoc Christi Officio sunt testimonia, quæ partim Christianæ Religionis continentur Symbolis: partim Sacrarum Scripturarum disertis Oraculis: vt de communi omnium voce & sententia nihil dicam.

3. Symbolum Apostolorum sic habet. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Nicænum modum Aduentus explicat, *Cum gloria*, inquiens, *venturus.* Athanasium, præter hoc præmiorum & suppliciorum meminit. *Ad cuius*, inquit, *aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis; & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala in ignem æternum.*

4. Idem Dominus ipse docuit, Ioan. 5. *Neque enim Pater*, inquit, *iudicat quemquam: sed omne Iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Et paulò post. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & potestatem dedit ei etiam Iudicium facere, quia Filius hominis est.* Et Matth. 24. *Filius hominis*, inquit, *venturus est in gloria Patris sui, & reddet vnicuique secundum opera sua.*

5. Idem Apostolus in posteriori ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit,*

ut gessit, siue bonum, siue malum. Et ad Roman. 4. *Omnes stabimus ante tribunal Christi, & vnusquisq; nostrum pro se rationem reddet.*

In Actibus Apostolorum idem docent Petrus, & Paulus. Petrus cap. 10. *Præcepit nobis Dominus*, inquit, *prædicare populo, & testificari; quia Ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum.* Paulus cap. 17. *In Christo*, inquit, *iudicaturus est* (Deus) *orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* 6.

Nec desunt hîc Prophetarum Oracula. Isaiæ 3. sic legitur: *Dominus ad Iudicium veniet, cum senioribus populi sui, & principibus eius. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos.* Et cap. 66. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit.* 7.

Et Ioel, seu potius, apud Ioelem, Deus, Christo suo dat testimonium, cap. 3. *In tempore illo*, inquit, *congregabo omnes gentes: & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum iis ibi, super populo meo & hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus.* & paulo pòst: *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gẽtes in circuitu.* 8.

Sed *vnde* hæc Domino Iudiciaria potestas? *quando* item ipsi collata? & *quare*, siue quam ob causam collata? quamque *conuenienter*? 9.

Vnde, & quo modo ad Christum potestas iudicandi peruenit.

Potestas hæc Christo à Patre collata est. *Pater*, inquit Dominus Ioan. 5. *non iudicat quenquã; sed omne iudicium Filio dedit.* Idem significatur septimo Cap. Danielis, dum primùm dicitur; quòd *Antiquus dierum* (Patrem exponit Hilarius, lib. 2. de Trinit.) *sederit*, & subiungitur; *quòd Filius hominis peruenerit ad Antiquum dierum, & acceperit ab eo potestatem, & honorem, & regnum.* 10.

Quomodo verò à Patre ad Christum deriuata est? An vt Deus est Christus, an vt homo? *Et vt Deus est; & vt homo.* Quoniam enim ipse, à Patre procedit, adeoque idem cum Patre est Deus: & in Patre omnis omnino est potestas; à Patre quoque Deo, Ipse Deus Iudiciariã Potestatem accepit: quemadmodũ verbi gratia, Filius Regis à Rege descendens in Patriam Potestatem ingreditur. Hinc pulchrè B. Ambrosius, lib. 2. de fide, cap. 4. *Omne*, inquit, *Iudicium dedit Pater Filio vtique generando, non largiendo.* 11.

Vt homo quoque à Patre Iudiciariam Potestatem accepit. Id Dominus indicat, Ioan. 5. cap. sic loquens: *Potestatem dedit ei Pater iudicium facere; quia Filius hominis est.* Idem docet Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. in Ioannem, cap. 140. *Christus*, inquit, *vt Deus naturaliter illam* 12.

(potestatem) habet: tamen per incarnationem & dispensationem accepit, vt homo existens, illam haberet.

Qualis fuerit Iudiciaria Christi potestas.

13. Et *Primaria* hęc Potestas vocari potest, quatenus illam *vt Deus* habet; *ex commissione* autem, quatenus *vt homo* possidet. Illa enim à nulla potestate pendet superiori: plenamque auctoritatem continet, & in præmijs, & in supplicijs singulorum decernendis: denique naturam ipsam, atque adeo intrinseca principia sequitur: hæc non sequitur naturam. à potestate superiori pendet: & auctoritatem in pœnis supplicijsque quam habet, aliunde habet.

14. Et *Primariam illam* ab æterno Filius habet: quia habet, *qua Deus*: & ab æterno est Deus. alteram ex tempore accepit: quia habet, *qua homo*; & ex tempore incœpit esse homo. Et quia habet, *qua homo*, quàm primùm esse homo cœpit, eandem habuit, quamuis non statim, vt habuit, exercere incœpit.

15. Duplici autem nomine *illam ex commissione*, quam in tempore accepit, habet. primò, quia caput est totius Ecclesię; secundò, quia eādē sibi meruit. Priori modo ipsi debebatur, quasi *naturaliter*; & data cum potestate, quam habuit, *excellentia atque Regia*, cuius etiam actus est Iudicium: *Constitutus est enim Rex super Sion montem sanctum Dei*: posteriori acquisiuit proprijs operationibus, atque sudoribus.

16. Interim tamen, si secundùm se, suamq; substantiam Potestas hęc consideretur; non *ita propriè*, atque bene dixeris, *ob merita sua* illam datam Christo. Naturalis enim illi est, ob vnionem hypostaticam ipsi debita; meritumque omne natura præcessit. Dixeris melius *ob merita* habere Christum, non tam potestatem; quàm *potestatis perpetuitatem, vsum, actualem possessionem, eiusdemq; manifestationem.*

Quomodo conueniat Christo potestas Iudiciaria.

17. Hinc infertur, quòd Christus, *vt Filius Dei*, habeat Iudiciariam Potestatem, *per appropriationem*, vt in scholis loquuntur: *vt verò Filius hominis*, per. *proprietatem.* Neque enim hoc modo ista Patri tribuitur, & Spiritui sancto: illa non minus tribuitur Patri & Spiritui sancto: quàm Filio, cùm indiuisa sint sanctæ Trinitatis opera, illa, quæ ad *Extra* dicuntur.

18. Appropriatio autem hæc ex attributo Filij proficiscitur, qui *sapientia Patris* vocatur. Hæc igitur cùm in Iudicio maximè necessaria sit, & Iudicium quoddam ipsius quasi sit opus; quod omnibus alioquin personis commune est, vni rectè tribuitur Filio: quemadmodum vni Patri *potentia*: vni Spiritui sancto *bonitas*: quamuis & hæc tribus personis communia sint.

Qua

Qua propriè Christus potestate in Iudicio vtetur.

Quamuis verò Filio potestas Iudicandi conueniat;& *qua Deus*, & *qua homo* est; in Iudicio tamen potestate *illa* propriè vtetur, quam *ex commissione* habet: quia vt homo Mundum est iudicaturus. Atque hoc idem Dominus significauit, quando dixit, Ioan. 6. *se accepisse potestatem Iudicum faciendi, quia filius est hominis.* Et de hac quoque potestate loquitur, quando dixit, *Omne Iudicium à Patre datum Filio.* Ita B. Augustinus Tractat. 19. & 22. in Ioannem, quem sequuntur Beda ibidem, & Rupertus libro quinto in Ioannem, & cęteri Latini Expositores. 19.

Ob quas causas, Christo, vt homini, conueniat iudicare.

Competit autem Christo, secundùm humanitatem Iudiciaria potestas, propter *tria*, vt inquit B. Thomas, 3. part. q. 59. art. 2. *Primò quidem, propter conuenientiam & affinitatem ipsius ad homines. Sicut enim Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur; ita iudicat per hominem Christum homines; vt sit suauius Iudicium hominibus. Vnde Apostolus dicit Hebr. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine, absque peccato. Secundò, quia in finali Iudicio; vt habet B. Augustinus, Tract. 23. in Ioan. erit Resurrectio corporum mortuorum, qua suscitat Deus, per filium hominis, sicut per eundem suscitat animas, in quantum est filius Dei. Tertiò, quia, vt B. Augustinus dicit, lib. de Verbis Domini, Rectum erat, vt iudicandi viderent Iudicem: Iudicandi autem sunt boni & mali; restabat ergo vt in Iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur: forma Dei solis bonis seruaretur.* ita B. Thomas. 20.

Addunt his duas alij, venturum ad Iudicium filium, ad declarandam in malorum condemnatione ęquitatem; quia, scilicet, sententia non ab alio, quàm ab eo feretur, qui hactenus eosdem, vt patronus, & defensor clientes, est tutatus, deinde facere hoc ad bonorum consolationem, quorum aduocatus & patronus sit futurus Iudex. 21.

Sed nec in Christo quidquam desiderabitur, quod debet *adesse* in *bono Iudice*: nihil reperietur, quod debet *abesse*. Debet abesse à Iudice personarum acceptio. *Personam non accipies*, dicitur Deut. 16. Debent adesse tria: *potestas* in subditos vnde. Eccli. 7. dicitur: *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere* iniquitates: *rectitudo*, ne quid odio vel liuore faciat, secundùm illud Ioan. 7. *Quod iustum est iudicate*: & *sapientia, quam idem* Ecclesiasticus commendat cap. 10. 22.

inquiens: *Iudex sapiens iudicabit populum.* Quid horum in Christo desiderabitur?

23. Nolumus in re certa pluribus agere. Quæ hîc locum habet, adscribimus ex egregio Pontifice Innocentio, sententiam. *Quis*, inquit ille lib. 3. de Contemptu mundi cap. 15. *non timeat Iudicem potentissimum, sapientissimum, & iustissimum? Potentissimum. quem nemo potest effugere. sapientissimum, quem nemo potest latere. iustissimum, quem nemo potest corrumpere. Si fortitudo quæratur, robustissimus est, sapiens corde, & fortis robore. Si æquitas iudicij, nemo audebit pro me testimonium dare. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, prauū me comprobabit, etiam si simplex fuero. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Qui vocat stellas, & dicunt, Adsumus. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Cuius voluntati nihil omnino resistit. Cui nullum verbum impossibile. Cui flectitur omne genu cælestium terrestrium & infernorum. Hunc ergo nemo potest fugere, sicut dicit Propheta: Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum ades. Ipse scrutatur renes & corda. cuius oculis omnia sunt nuda & aperta. Qui pluuiæ guttas & arenam maris dinumerat. Deus scientiarum Dominus: præscius omnium, & conscius singulorum: occultus occultorum omnium indagator. Hunc ergo nemo potest latere, sicut dicit Apostolus, Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Ipse est Iudex iustus, fortis & longanimis; qui nec prece, nec precio, nec amore, nec odio declinat à semita rectitudinis: sed via regia semper incendens, nullum malum præterit impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquit. Hunc ergo nemo potest corrumpere, iuxta quod dicit Psalmus: Tu reddes singulis secundùm opera sua.* Hactenus Innocentius.

CAPVT VNDECIMVM.

De Persona Patris & Spiritus Sancti respectu Iudicij Generalis, inquiritur.

Esse:

SSI *duplex Iudicium*, quo Mortalium causæ discutiuntur; 1.
& singulis secundùm propria opera fit retributio, norunt omnes. Vnum dicimus particulare; alterum Vniuersale. Illud statim post cuiusque mortem peragitur: hoc ad finē mundi differetur. Illud per Patrē, atq; Spiritum sanctum nō minus, quàm per Filium, esse peractum, saltem ante Christi in mundum aduentum, nemo potest dubitare, nisi qui nullum ante Christum velit oppetiisse mortem, & ob id de eo nulla quæstio. De posteriori quæstio præsens est.

An Pater & Spiritus sanctus, vnà cum Christo, Generale Iudicium exercebūt.

Et videri potest *Patrem*, atque *Spiritum* sanctum nullas in hoc partes habituros; propterea, quòd *Christo* Iudicium hoc commissum esse Scriptura insinuet, quemadmodum præcedenti Capite est demonstratum: sed tamen de *vtroque, Patre*, inquam, & *Spiritu sancto*, si non magna, aliqua tamen est difficultas: & de Patre maior, quàm de Spiritu sancto. Pro *vtroque* est, quòd *Iudicare* opus sit externum: atque idcirco non minus Patri, & Spiritui sancto; quàm Filio tribuendum; iuxta commune Theologorum Axioma, *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*. 2.

Pro *Spiritu sancto* verò illud affertur, quod ipsius officium sit arguere mundum; secundum illud Ioannis 16. *Ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio*. Quocirca cùm in extremo illo Iudicio maximè arguendus sit mundus, non videtur hîc Spiritus sanctus defuturus suo officio. 3.

Pro *Patre* autem duo faciunt. primum est, quòd Christus in *illa die* dicatur *sessurus ad dexteram Patris*. Sic.n. ipse loquitur, Matth. 26. *Veruntamen amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, venientem in nubibus*. Hîc de extremo Iudicij die sermonem esse, & textus probat, & confirmat concors Patrum sententia. Alterum est, quod eidem Iudicium, aut saltem in Iudicio partem videatur tribuere Daniel, cap. 7. vbi *Antiquum dierum*, id est, Patrem, describit, moxque Iudicij; & *librorum*, qui in Iudicio aperiendi sunt, mentionem facit. 4.

Sed tamen (quemadmodum diximus) res singularem difficultatem non habet. Quamuis enim omnino à Iudicio *Pater*, & *Spiritus* sanctus excludendi non sunt; vt qui cum Filio, causa prima hîc, & principalis sunt, habentes primariam auctoritatem iudicandi: à Patre tamen & Spiritu sancto Iudicium non dicitur exerceri: quia exercendum per hominem, qui videri potest. Itaque Pater & Spiritus sanctus quodam modo, quod suum est in Filium hominem contu- 5.

tulerunt; & ipſorum vices geret Chriſtus homo.

6. *Primaria* ergo poteſtas communis eſt Filio, cum Patre & Spiritu ſancto. Et Iudicium commune eſſet Patri, & Spiritui ſancto, cum Filio; ſi à cauſa primaria, & principali eſſet exercendum (quemadmodum & particulare Iudicium, ante Verbum incarnatum, tribus perſonis fuit commune.) Sed quoniam hæc Chriſto homini commiſſa eſt, tanquam per illum exercenda; idcirco quemadmodum nec Pater eſt homo, nec Spiritus ſanctus eſt homo, Iudicium non per Patrem, non per Spiritum ſanctum, ſed Filium exercebitur, ideoque Filio, tanquam proprium opus, adſcribitur.

7. Quòd Spiritus ſanctus dicebatur *arguturus mundum*, certum eſt. verùm id officij genus non tam præſtiturus eſt extremo Iudicij die, quo meritorum accipiuntur mercedes; quàm quo tempus eſt merendi. Hinc Dominus, *Cùm venerit Paracletus, arguet mundum de peccato*, &c. An verò non, niſi extremo die, veniet?

An Pater ſingulari aliqua ratione in Iudicio erit.

8. De *Patre* res, vt diximus, pluſculum habet difficultatis; non tam propter illud Danielis 7. de *Antiquo dierum*; quàm quòd Chriſtus dicitur *ſeſſurus in Iudicio ad dextram Patris*, Matth. 26. Nam Daniel, illo loco, ſoli Chriſto videtur fauere, eidemque ſoli Iudicium relinquere. Poſtquam enim *Antiquum dierum* deſcripſiſſet; docet *Filium hominis* ad ipſum perueniſſe, atque regnum (quod poteſtatem iudicandi includit) ab eodem accepiſſe. *Dextra Patris* maiorem parit difficultatem. Quomodo enim *ad Dextram Patris* Filius ſedet in Iudicio, ſi in Iudicio præſens non eſt Pater?

9. Et difficultatem auget, quod non hîc in Iudicio tantùm; ſed aliàs etiam frequenter Filius dicatur ad *Patris dextram ſedere*. *Aſſumptus eſt in cælum*, dicitur Marci vltimo, *& ſedet à dextris Dei*. Et ad Heb. 1. *Sedet ad dextram Maieſtatis in excelſis*. & cap. 8. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextra ſedis magnitudinis in excelſis*, & cap. 10. *Hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextra Dei*. & cap. 12. *Suſtinuit Crucem confuſione contempta, atque in dextra Dei ſedens*. & 1. Petri 3. *Per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextra Dei*. Similia habentur ad Rom. 8. ad Epheſ. 1. ad Coloſſ. 2.

10. Quæritur igitur, An Pater præſens futurus Filio in Iudicio *ſingulari quadã ratione*; alia, ſcil., quàm qua omnib⁹ eſt præſens: Et ſi preſens, *oculiſne* Mortaliũ cõſpiciendus, indutus aliquod corpus; vt hac ratione bene Filius *ad dextrã Patris* ſedere dici poſsit: Et ſi hoc, *quodnã officiũ* in Iudicio ſuſtinebit: an cum Filio *Iudicis*; an Aſſeſſoris tantùm. Si verò horum nihil debeat dici; quomodo *ad dextram Patris* ſedere

sedere dicitur Filius: cur etiam nõ Pater à *dextris* dicitur *Filij*; quod, vt fieret, postulat & Patris dignitas, & reuerentia Filij. Quid ergo hîc constituendum?

Fuerunt, qui Deum docuerunt habere corpus; & humanis membris constare, non secus atque mortales homines. Anthropomorphitæ sunt dicti; & tempore Theodosij Maioris, in Aegypto magnorum tumultuum extiterunt auctores, teste Niceph. lib. 11. cap. 16. Hi facilè hîc se expediunt. Quemadmodum in nobis dextram & sinistram distinguunt, ita in Deo distinguũt, & Christo tribuunt dextram. 11.

Sed grauissimus hic error est. Non habet corpus Deus Pater. non potest habere corpus. atque idcirco nec dextra in ipso potest constitui, nec sinistra; vt quæ non sunt, nisi rerum corporearum. Hoc quia docet Liber de Diuinis Vet. Testam. Apparit. hîc repeti non debet. 12.

In *proprio* igitur corpore Pater dextram Filio non præbebit. An præbebit in assumpto? Nec in *assumpto* præbebit: quia nunquãm propria persona assumpsit corpus: nunquam in propria persona assumet. Et quodnam in Iudicio illo munus subiret Pater? Iudicis? hoc Christo traditum. Assessoris, vt Angeli? Non conuenit, nec decet. Executoris? minus conuenit: minus decet. 13.

Quid sit Christum sedere ad dextram Patris.

Quid igitur est, quòd *ad dextram Patris sedere* Christus dicitur? Dextra hæc non partem corporis Patris significat; nec positionem aut situm Christi, quem habiturus est; sed dignitatem atque gloriam, cum & in qua extremo mundi die appariturus est Iudex viuorum & mortuorum. Fortè nec malè *dextram* dixeris insinuare diuinitatem Christi; quasi Dominus dicere voluerit in extremo Iudicio cognituros Iudæos, se non minus Deum esse, atque omnipotentem; quàm sit Pater cælestis; vt qui *ad dextram Patris* sit sessurus. Vnde bene Athanasius, Orat. 2. contra Arianos. *Quid*, inquit, *est sedere ad dextram Patris, nisi germanitatem Filij atque Deitatem Patris; eandem quoque esse Deitatem Filij?* 14.

Cur dextram Filij non occupat Pater.

Sed Cur *dextram Patris* Filius occupat? cùm dextra honoratior sit locus; isque Patri potius, vt *qui Filio maior est*, Ioan. 14. sit tribuendus? Aliqui facilè huic quæstioni respondent, negando *dextram* honorabiliorem locum significare. Pro quibus produci possunt Imagines antiquæ Petri & Pauli, in quibus Petrus, quamuis dignior, *dextram* præbet Paulo, vt obseruauit S. Thomas, lect. 1. in epist. ad Galat. 15.

Galat.& Petrus Damianus, in Epistola, ad Desiderium. Potest & in confirmationem addi, quod refert Eusebius, lib. 1. in vita Constant cap.13. se vidisse Constantinum, cùm esset adolescens, ad *dextram* Imperatoris assistentem & incedentem.

16. Attamen contrarium absolutè affirmant Hieronymus, super 1. ad Ephes. & Ambrosius, serm.61. Et profectò, si non semper, frequētissimè, in Scriptura, per *dextram* honoratior locus indicatur. Iusti dicuntur futuri ad *dextram*, Matth.25. Mater Filiorum Zebedæi cupit filios suos *sedere ad dextram & sinistram*, id est, primum & secundum locum obtinere. Matth 20. Et Ioseph filium suum Manassem tanquam digniorem, *posuit ad dextram patris*, Genes.48. Iacob verò vt Ephraim præferret, manus commutauit, *& dextram* posuit super caput Ephraim.

17. Ego ad *dextram* aliquos ob duas causas constitui crederem, primùm *honoris*. Nam quos honore dignamur, ijs *dextram* præbemus. Hoc egregiè probant iam allata exempla. Tribus porrò modis hoc potest accidere, & primum postulat lex honestatis; sic inferior superiori *dextram* præbet: alterum suadet officium humanitatis. sic superior præbet quandoque *dextram* inferiori; Rex Reginæ: tertium idem officium consulit, sic æqualis æquali; *Rex* Regi *dextrā* præbet.

18. Altera causa est, *subsidij & protectionis*. Cùm enim maiores vires sint in *dextra*, quàm sinistra; si quos quasi defensos volumus, & sub nostra protectione, hos *dextra* tenemus, aut *dextra* nostra ducimus. Sic à dextris ducunt teneriores filios parentes. viri infirmiores vxores, & nos *dextram* præbemus ijs, à quibus auxilium speramus.

19. Dominus ergo noster *dexteram* Patris obtinet; non ex *infirmitate*: quasi subsidio atque protectione Patris indigeat; sed *honoris* causa. Atque hoc omnino ipsum apud Caipham significare voluisse, quādo ludibrio fuit expositus, nemo potest dubitare. Quem enim ille nullo loco habebat; hunc à *Patre* esse honorandum hoc bene demonstrat; quod *ad Patris dextram* sit constituendus.

20. Atque hunc honorem Pater tribuit Filio; non tanquam superiori. Neque enim Patre maior est Filius. Neque tanquam æquali. Minor est Filius Patre, qua ratione ipsi honor tribuitur: sed tanquam inferiori; eo prorsus modo, quo etiam principes, quamuis dignitate excellant, honoris tamen causa bene meritis, aut ijs, quibus bene volunt, *dexteram* præbent quandoque.

21. Hoc modo rectè intelligitur illud, Psal.44. Astitit *Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato*: & illud, 3. Reg.2. vbi Salomon fecit *matrem sedere in throno ad dexteram suam*. Eodem modo potest & illud intelligi,

figi, quod de Imaginibus Petri & Pauli adducebatur. quamuis hoc non sit vniuersim verum, cum in multis quæ Romæ inueniuntur numismatibus Petrus ad dextram Pauli depingatur. Quando igitur ad dexteram Petri depingitur Paulus, vrbanitatis causa, aut hospitij gratia id factum esse potest intelligi. quia, scilicet, Petrus erat Romæ in propria sede & Episcopatu; Paulus verò ad Petrum, quasi iuuandum accesserat: vel etiam in quandam amoris & gratitudinis significationem; quia Paulus doctor fuit gentium, plurimumque Ecclesiæ profuit.

Debebatur ergo hic honor, *id est dextra Patris*, Christo: quod ipsi 22. data administratio, & gubernatio totius regni Ecclesię; iuxta illud, *Pater non iudicat quenquam, sed omne Iudicium dedit Filio*, Ioan. 5. Quia enim Christus suo sanguine & meritis Regnum amissum Patri cōparauit, idcirco *exaltatus est, & consecutus nomen, quod est super omne nomen*, Phil. 2. Ad hanc ergo honoris & dignitatis excellentiam significandam *ad dextram Patris* Dominus cessurus dicitur.

CAPVT DVODECIMVM

De Angelis comparituris in Christi Iudiciaria Apparitione, siue in generali totius mundi Iudicio, Inquiritur verò

1. ANgelis gloriosa Christi, ad Iudicium, Apparitione comparituros, Sacrarum Scripturarũ diserta testimonia docent, pluribus locis. *Filius hominis*, inquit Dominus Matth. 16. *venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundum opera eius.* Idem Dominus, Marci 8. *Qui me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui, cum Angelis suis.* Et cap. 13. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa & gloria: & tunc mittet Angelos suos, & congregabunt electos*, &c. Et 2. ad Thess. 1. *Iustum est*, inquit Apostolus, *Deum tribulationem retribuere iis, qui vos tribulant, in reuelatione Domini Iesu de cælo cum Angelis.* Similia habentur, Matth. 25. Danielis 7. Zach. 14. & apud S. Iudam.

An conueniens Angelos adesse Christo Iudici.

2. Nec mirum, si Domino affuturi sint Angeli; quando in *Patris gloria & maiestate* est venturus, & iudicaturus viuos & mortuos. Non mirum, inquam, quia in minori gloria Angeli, suo obsequio, nõ defuerunt ipsi. Resurrexit à mortuis, & conspecti sunt Angeli, in albis vestibus sæpius, testes gloriosæ resurrectionis. Ascendit ad cælos; & rursus videntur Angeli, quorum hæc ad Apostolos fuit oratio: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* &c.

3. Quid quod nec Angeli ipsi defuerunt, quando mysterium salutis nostræ in carne fragili est operatus? Angelus eadem, qua carnem nostram assumpsit hora, adfuit ipsius sanctissimæ Matri. Angeli mox, ipso in lucem edito, salutarem ipsius annunciarunt natiuitatẽ Pastoribus, Gloriamque in excelsis, & in terra hominibus bonæ voluntatem dixerũt pacem. Angeli, post completum quadraginta dierum ieiunium, eidem ministraturi, affuerunt.

4. Et profectò, si vnquam Angeli Domino debuerunt affuisse, debent adesse; quando *in gloria Patris* est appariturus vniuerso mortalium generi. An in tanta maiestate suo Domino sui non debent præsentes esse ministri? aut ministri non sunt administratorij Spiritus? *Sunt*, inquit Apostolus ad Hebr. 1. *administratorij Spiritus.* Et *vbi ego sum*, loquitur Dominus Ioan. 12. *ibi & minister meus erit.*

An omnes omnino Angeli, & Spiritus cælestes comparituri sint in Iudicio.

5. Verùm *Omnesne Angeli* comparebũt? an ex omnibus aliqui? Omnes comparebunt. Et hoc Sacrarum Scripturarum habent oracula. Cùm venerit, inquit Dominus, Matth. 25. *Filius hominis in maiestate sua*

sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Et, *Nonne omnes sunt administratorij Spiritus?* & quidem Christi?

Sed quoniam, *Angelorum* nomine, nunc illi tantum intelliguntur, qui infimi sunt inter nouem choros Angelorum ordinis; nunc omnes omnino cælestes Spiritus; Omnesne Spiritus cælestes dicimus extremo Iudicij die comparituros, an solos illos infimi ordinis; qui hoc nomen proprium habent, vt Angeli dicantur? Omnes dicimus apparituros: Omnes Christo Iudici, in illo die, famulaturos. Hinc Danielis, 7. postquam Throni positi sunt, ad ferendum Iudicium, subiungitur. *Millia millium ministrabant ei: & decies millies centena millia assistebant ei.* quibus verbis vniuersus cælestis Curiæ exercitus significatus est, vt Dionysius exponit, cap. 14. Cælest. Hierach. Eodem modo exponit B. Hieronymus illud Zachariæ, 14. *Et veniet Dominus meus, omnesq; Sancti cum eo.* Idem indicat Iudas, in sua Canonica, sic loquens: *Prophetauit autem de ijs septimus ab Adam Enoch. Ecce veniet Dominus cum sanctis millibus suis facere Iudicium contra omnes, & arguere omnes impios.* 6.

Quocirca plurimum hic Christi aduentus ab eo, qui in carne fragili & mortali factus est, differt, etiam quantum ad Angelorum obsequia. Quicunque in illo, Christo obsequium præstiterunt, vel ex infimo ordine fuerunt; vel, si ex superiori etiam fuerunt, non omnes fuerunt: in hoc nullius obsequium desiderabitur. 7.

Quo modo in Iudicio comparituri sint Angeli, an sub visibili specie.

An verò ita comparebunt Angeli; vt videri quoque possint? Visus est, qui incarnationem Christi, Virgini nunciauit, in Nazareth. visi & auditi, qui pastoribus, nocte natalis Christi, prædicarũt gaudium magnum. visi, qui docuerunt Dominum resurrexisse. Illi etiam, qui in gloriosa eiusdem ascensione significarunt reuersurum eodem modo, quo visus est ascendisse. Quidni videndi sunt, qui ad Iudicium venientem comitabuntur? 8.

Piè hoc, atque probabiliter creditur. Et, vt fiat, conuenit prorsus, scilicet, vt in sensibili Iudicio, vbi cõspiciendus Iudex, & sententia ore tenus est proferenda: vbi visibiles mortales iudicãdi; vbi accepturi in corporibus sensibilibus, quæ in corporibus gesserunt: vbi quoque videbuntur Assessores & Coniudices Apostoli; etiam ministri Angeli possint conspici, atque adeò sensibilia sint omnia. 9.

10. Angeli ergo corpora assument. & quemadmodum venientem Iudicem comitabuntur omnes; ita omnes corpora assument; Omnes omnino: aut certè omnes illi qui ministeria aliqua ibidem sunt obituri, & præter hos non pauci. Qualia verò assument? qualia decent maiestatem aduentantis tanti Iudicis: pulcherrima, lucidissima, splendidissima.

11. Quantam dignitatem splendoremque tanta cælestium Spirituũ incorporatorum multitudo, sua claritate diei Domini afferent? *millia millium, & decies millies centena millia Angelorum?* Tot affore docet Sanctissimus Daniel. quanquam eo numero non vniuersam multitudinem voluit circumscribere. Multo est maior. *Nunquit*, inquit Iob, cap. 25. *est numerus militum eius?* Quanto cælestia corpora mole & magnitudine excedunt hæc inferiora; tanto numero & multitudine cælestes Spiritus excedunt quascunque res corporales.

Vnde prodibunt Angeli, comparaturi in Iudicio.

12. Multitudo hæc cælestis exercitus *ex cælo* videbitur prodire: quẽadmodum & ex cælo videbitur prodire Dominus, vt dictum est. Cum Domino siquidem ipsa est proditura. *Dominus meus*, inquit Zacharias, cap. 14. *veniet, omnesq́ Sancti eius cum eo.* Et Dominus ipse, Matth. 25. *venient omnes Angeli eius cum eo.* & Iudas: *Veniet*, inquit, *Dominus cum Sanctis millibus facere Iudicium.*

Quo ordine prodibunt

13. An & *ordo*, in tam numerosa multitudine, aliquis obseruabitur? Quis dubitat, quin pulcherrimus: in illa societate, quæ in tres hierarchias est distincta, eo ordine; qui nec variatus sit aliquando, nec variandus? Neque enim vnquam inferiores incessit cupido ascendẽdi ad locum superiorum: neque superiores, ne deturbentur ad locum inferiorum metus vllus solicitat aut tangit.

14. Quis verò ordo seruabitur? An hic, vt quidam Dominum præcedant? quidam sequatur? quidam stipent, & latera claudant? quidã in nubibus deferant? Dies Domini melius hæc, quam nostra docebit oratio.

De Officijs Angelorum in Iudicio an quidam tantùm assistent.

15. *Officia Angelorum* duplicia creduntur futura, in hac Iudiciaria Christi Apparitione. Quidam enim Domino *assistent*: quidam *ministrabunt*. Ex Danielis cap. 7. quod dicimus colligitur. In Iudicium enim Angelos producens, *Millia millium*, inquit, *ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*

Assisten-

Assistentes ad gloriam maiestatemque Domini præcipue facere videntur. Id, quamuis etiam aliunde, ex *conditione* ipsorum facilè colligitur. Neque enim parua eorum *dignitas & excellentia*. Quocirca quemadmodum grauis & prudens sapientum consessus, & assessus Iudicis Iudicijque ornat & auget dignitatem atque maiestatem; ita Iudicis Christi maiestatem præsentia assistentium Angelorum. Quanta verò ipsorum dignitas? Inter omnia quæ hoc amplissimo, pulcherrimo, plenissimo & perfectissimo mundo continentur, sine vlla dubitatione *principatum* obtinent. Etenim si spectes eorum *originem & antiquitatem*; primi omnium, aut cum primis creati sunt. *Si vitæ & durationis longitudinem*; immortales sunt & incorruptibiles. *Si naturæ gradum & conditionem*; sunt planè incorporei, nec mortis necessitati subiecti; nec frigoris, caloris, famis, sitis, morborum, vllíusque lassitudinis molestijs obnoxij, nec rei vllius corporalis indigentes. *Si agilitatem*; nulla est ceruorum, pardorum, tigrium, vel aquilarum pernicitas; vel orbium cælestium velocitas, quæ Angelorum velocitatem possit adæquare. *Si dignitatem intellectus & mentis*; perpetuo intelligunt, & sine discursu; & omnium quæ naturaliter sciri possunt, ex quo sunt conditi, plenam & consummatam habent scientiam. *Si vim & constantiam voluntatis*; efficacissimè volunt, quod volunt, & immobiliter eligunt. *Si firmitatem memoriæ*, nulla ipsis vnquam subrepit obliuio; sed quod semel perceperunt, omni æuo conseruant. *Si potentiam*: est incomparabilis; cuius vel vnum illud satis manifestum est argumentum; quod vnus Angelus, nullo labore, maxima facilitate, primum cælum, cuius comparatione vniuersa terra & aquæ moles vnius fermè puncti instar obtinet, tot annorum millia, sine vlla intermissione, tanta vi, & celeritate conuersat. Sed & hinc dignitatem eorum licet colligere, quod in tanta multitudine, quanta inter ipsos est, vnus semper altero sit perfectior; & tamen infimus sit perfectissimus. quantam enim hæc res perfectionem indicat superiorum? Et hæc *naturalia* sunt in ipsis omnia. Quod si consideres excellentiam *supernaturalis gratiæ*, quam illis Deus abundè largitus est, comperies in illis omnibus esse gratiam innocentiæ; quippe, qui nulla vnquam, vel leuissima peccati labe inquinati sunt: nunquam Dei gratia spoliati fuerunt; nunquam Dei gratia caruerunt: in gratia, in quo initio creati, in ea perpetuo sunt conseruati. Verùm, quod omni miraculo est mirabilius, in tãta donorum naturalium; & cælestium abundantia & excellentia, est in illis profundissima humilitas, & incredibilis aduersus Deum pietas & reuerentia. *Coram eo* (Deo) *incuruantur*, inquit Iob, 6. & 19. *qui*

 portant

portant orbem; & columnæ cæli pauent in conspectu eius. An tales Christo asſiſtentes ad Chriſti gloriam non facient?

Qualia ministeria Angeli in Christi Apparitione Iudiciaria ſubibunt?

17. Porrò præter aſsiſtentes, quidam Chriſto Iudici ſunt miniſtraturi ex Angelis. Qualia vero *ministeria* præſtabunt? Vnum inſinuat Dominus, Matth. 13. in parabola Zizaniorum, quæ inimicus homo ſeminauit in medio tritici. Docet enim Zizania hæc in die iudicij, *per Angelos*, colligenda, & per eoſdem mittenda in caminum ignis. Verba Domini parabolam exponentis adſcribimus. *Qui ſeminat bonum ſemen, inquit, eſt Filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt Filij regni. Zizania autem Filij ſunt nequam. Inimicus autem, qui ſeminauit ea, eſt diabolus. Meſsis verò conſummatio ſeculi eſt. Meſſores autem Angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur Zizania, & igni comburuntur, ſic erit in cõſummatione ſeculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminũ ignis.* Idem alibi Dominus inſinuat, quando docet futurum, *vt in die Iudicij oues ſtatuantur ad dextram, hædi ad ſiniſtram.* Matth 25.

18. Quod aliud officium ſubituri ſint Angeli, non explicat Scriptura. Tribuunt ijs quidam etiam illud, quod Nubem vehiculum, & ſedem iudicis in iudicio, ſunt quaſi ſuſtentaturi. Hoc ſuperius diximus probabile, & confirmari pictorũ arte, qui dum iudicium oculis fidelium obijciunt, *Angelos cum Nube*, quæ Thronus Domini videtur, miſcent.

19. Tribuunt & quidam ijs Signi Filij hominis, ſiue Crucis delationem: alij etiam clauorum, aliorumque Dominicæ paſsionis inſtrumentorum. verum de ſigno Crucis ſuperius. De alijs Dominicæ paſſionis inſignibus res eſt incerta.

An cum Christo quidam Angelorum ſiue Spirituum cæleſtium ſint iudicaturi, quidam etiam iudicandi.

20. AN *Iudicis quoque officium* quidam ſunt ſubituri? quidam etiã ſunt iudicandi? Hoc vltimum reſtat de Angelis explicemus. Et quòd quidam ſint *iudicandi*, videtur ſignificare Apoſtolus, in prima ad Corinth. 6. *An neſcitis, inquit, quoniam Angelos iudicabimus?* Quod *Iudices* etiam aliqui futuri inde coniectura accipitur, quod non ſint inferioris conditionis à iuſtis, de quibus Sapient. 3. dicitur; *Iuſti iudicabunt nationes & dominabuntur populis*. Quid verò? De iudicandis primum reſpondendum; deinde de iudicibus & iudicaturis.

21. Ad vtrunque verò difficilis eſt reſponſio; propterea; quod etſi vnum quæratur; illi tamen, niſi ad plura reſpondeatur, ſatis reſponſum eſſe non poſsit. Oſtendendum enim eſt, non ſolum hoc; an ali-
qui

qui sint iudicandi, aliqui iudicaturi; verùm etiam, quinam iudicandi, &, qui iudicaturi; quos item iudicaturi, & à quibus iudicandi: denique quo nam modo illud Iudicium peragendum. Sed tamē, quod ratione consequi possumus, quando Scripturæ auth. destituimur, afferimus.

An Angelorum aliqui iudicandi.

In *Iudicandis* igitur, vtrum aliqui Iudicium sint subituri, vltimo die, res habet difficultatem non paruam. Nam omnes *iam* à condito orbe sunt iudicati; & alij ad æterna supplicia; alij ad externam felicitatem. Hæc Catholicorum est confessio. Quid igitur nouo hic opus Iudicio; vbi plana sunt omnia? & sententia executioni data? 22.

Deinde *viuorum atque mortuorum* Dominus dicitur futurus Iudex teste Apostolo Petro, Actuum cap. 10. & confessione cōmuni Christianorum omnium in symbolo. Iam verò ad *mortuos* non pertinēt Angeli: non pertinent ad *viuos*. 23.

Et Apostoli, qui de Resurrectione loquuntur, eorum ferè solorum meminerunt, qui in *corpore*, aut deliquerunt, aut bona egerunt docetque in corpore recipere, quæ in corpore egerunt. At in *corpore* nec deliquerunt Angeli; nec quicquam boni fecerunt: quia corporis prorsus sunt expertes Angeli. 24.

Nec est, quod vrgeatur sentētia D. Pauli; qua *Angelos dicit iudicandos*. Dici potest *Angelorum* nomine, non bonos, sed *malos* intelligi. Nec dicetur malè. Hos enim intelligi docent Tertullianus, de habitu muliebri, cap. 2. Augustinus in Psal. Gregorius in 7. primi Regū: Chrysostomus atque Theodoretus in D. Paulum. Adde, quòd *iudicare* haud rarò, in Scriptura, accipiatur pro condemnare, (vt Psal. 5. Iudica eos Deus. & Ioannis 5. qui verò mala, in Resurrectionem Iudicij) quod in bonos Angelos conuenire non potest. 25.

Sed tamen in Iudicio comparituros Angelos, adeoque *iudicandos* credi non malè potest: & quidem ex dicta D. Pauli sententia. Quāuis enim de *malis* loqui Apostolum credant Authores graues, quos citauimus; non tamen desunt, qui eundem quoque existimēt loqui de *bonis*. Pro quorum sententia produci potest, quæ à quibusdam affertur *Regula*, quod in Scripturis, *quoties nomen Angeli aut absolutè ponitur, aut cum adiectione Dei, vel Domini; bonos, nō malos significet.* 26.

Et si vis argumenti, quo Apostolus vtitur diligentius inspiciatur; forte melius de bonis intelligitur, quod dicitur; quàm malis. A minori enim ad maius argumentari videtur Apostolus: & ostendere omnino decere, vt Christiani iudicent in causis Christianorum, quando etiam eò prouecti sunt, beneficio Christi, vt iudicaturi sint cœlestes Spiritus, omnibus hisce rebus inferioribus superiores. 27.

(potestatem) *habet: tamen per incarnationem & dispensationem accepit, vt homo existens, illam haberet.*

Qualis fuerit Iudiciaria Christi potestas.

13. Et *Primaria* hæc Potestas vocari potest, quatenus illam *vt Deus* habet; *ex commissione* autem, quatenus *vt homo* possidet. Illa enim à nulla potestate pendet superiori: plenamque auctoritatem continet, & in præmijs, & in supplicijs singulorum decernendis: denique naturam ipsam, atque adeo intrinseca principia sequitur: hæc non sequitur naturam. à potestate superiori pendet: & auctoritatem in pœnis supplicijsque quam habet, aliunde habet.

14. Et *Primariam illam* ab æterno Filius habet: quia habet, *qua Deus*: & ab æterno est Deus. alteram ex tempore accepit: quia habet, *qua homo*; & ex tempore incœpit esse homo. Et quia habet, *qua homo*, quàm primùm esse homo cœpit, eandem habuit, quamuis non statim, vt habuit, exercere incœpit.

15. Duplici autem nomine *illam ex commissione*, quam in tempore accepit, habet. primò, quia caput est totius Ecclesię; secundò, quia eãdẽ sibi meruit. Priori modo ipsi debebatur, quasi *naturaliter*; & data cum potestate, quam habuit, *excellentia atque Regia*, cuius etiam actus est Iudicium: *Constitutus est enim Rex super Sion montem sanctum Dei*: posteriori acquisiuit proprijs operationibus, atque sudoribus.

16. Interim tamen, si secundùm se, suamq; substantiam Potestas hęc consideretur; non *ita propriè*, atque bene dixeris, *ob merita sua* illam datam Christo. Naturalis enim illi est, ob vnionem hypostaticam: ipsi debita; meritumque omne natura præcessit. Dixeris melius *ob merita* habere Christum, non tam potestatem; quàm *potestatis perpetuitatem, vsum, actualem possessionem, eiusdemq; manifestationem.*

Quomodo conueniat Christo potestas Iudiciaria.

17. Hinc infertur, quòd Christus, *vt Filius Dei*, habeat Iudiciariam Potestatem, *per appropriationem*, vt in scholis loquuntur: *vt verò Filius hominis*, per. *proprietatem.* Neque enim hoc modo ista Patri tribuitur, & Spiritui sancto: illa non minus tribuitur Patri & Spiritui sancto: quàm Filio, cùm indiuisa sint sanctæ Trinitatis opera, illa, quæ ad *Extra* dicuntur.

18. APpropriatio autem hæc ex attributo Filij proficiscitur, qui *Sapientia Patris* vocatur. Hæc igitur cùm in Iudicio maximè necessaria sit, & Iudicium quoddam ipsius quasi sit opus; quod omnibus alioquin personis commune est, vni rectè tribuitur Filio: quemadmodum vni Patri *potentia*: vni Spiritui sancto *bonitas*: quamuis & hæc tribus personis communia sint.

Qua-

Qua propriè Christus potestate in Iudicio vtetur.

Quamuis verò Filio potestas Iudicandi conueniat; & *qua Deus*, & *qua homo* est; in Iudicio tamen potestate *illa* propriè vtetur, quam *ex commissione* habet: quia vt homo Mundum est iudicaturus. Atque hoc idem Dominus significauit, quando dixit, Ioan. 6. *se accepisse potestatem Iudicium faciendi, quia filius est hominis.* Et de hac quoque potestate loquitur, quando dixit, *Omne Iudicium à Patre datum Filio.* Ita B. Augustinus Tractat. 19. & 22. in Ioannem, quem sequuntur Beda ibidem, & Rupertus libro quinto in Ioannem, & cęteri Latini Expositores. 19.

Ob quas causas, Christo, vt homini, conueniat iudicare.

Competit autem Christo, secundùm humanitatem Iudiciaria potestas, propter *tria*, vt inquit B. Thomas, 3. part. q. 59. art. 2. *Primò quidem, propter conuenientiam & affinitatem ipsius ad homines. Sicut enim Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus, operatur; ita iudicat per hominem Christum homines; vt sit suauius Iudicium hominibus. Vnde Apostolus dicit Hebr. 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia, pro similitudine, absque peccato. Secundò, quia in finali Iudicio, vt habet B. Augustinus, Tract. 23. in Ioan. erit Resurrectio corporum mortuorum, quæ suscitat Deus, per filium hominis, sicut per eundem suscitat animas, in quantum est filius Dei. Tertiò, quia, vt B. Augustinus dicit, lib. de Verbis Domini, Rectum erat, vt iudicandi viderent Iudicem: Iudicandi autem sunt boni & mali; restabat ergo vt in Iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur: forma Dei solis bonis seruaretur.* ita B. Thomas. 20.

Addunt his duas alij, venturum ad Iudicium filium, ad declarãdam in malorum condemnatione ęquitatem; quia, scilicet, sententia non àb alio, quàm ab eo feretur, qui hactenus eosdem, vt patronus, & defensor clientes, est tutatus, deinde facere hoc ad bonorum consolationem, quorum aduocatus & patronus sit futurus Iudex. 21.

Sed nec in Christo quidquam desiderabitur, quod debet *adesse* in *bono Iudice*: nihil reperietur, quod debet *abesse*. Debet abesse à Iudice personarum acceptio. *Personam non accipies*, dicitur Deut. 16. Debent adesse tria: *potestas* in subditos vnde, Eccli. 7. dicitur: *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere* iniquitates: *rectitudo*, ne quid odio vel liuore faciat, secundùm illud Ioan. 7. *Quod iustum est iudicate*: & *sapientia, quam idem* Ecclesiasticus commendat cap. 10. 22.

 inqui-

inquiens: *Iudex sapiens iudicabit populum.* Quid horum in Christo desiderabitur?

23. Nolumus in re certa pluribus agere. Quæ hîc locum habet, adscribimus ex egregio Pontifice Innocentio, sententiam. *Quis*, inquit ille lib. 3. de Contemptu mundi cap. 15. *non timeat Iudicem potentissimum, sapientissimum, & iustissimum? Potentissimum, quem nemo potest effugere. sapientissimum, quem nemo potest latere. iustissimum, quem nemo potest corrumpere. Si fortitudo quæratur, robustissimus est, sapiens corde, & fortis robore. Si æquitas iudicij, nemo audebit pro me testimonium dare. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero, prauũ me comprobabit, etiam si simplex fuero. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Qui vocat stellas, & dicunt, Adsumus. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Cuius voluntati nihil omnino resistit. Cui nullum verbum impossibile. Cui flectitur omne genu cælestium terrestrium & infernorum. Hunc ergo nemo potest fugere, sicut dicit Propheta: Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum ades. Ipse scrutatur renes & corda. cuius oculis omnia sunt nuda & aperta. Qui pluuiæ guttas & arenam maris dinumerat. Deus scientiarum Dominus: præscius omnium, & conscius singulorum: occultus occultorum omnium indagator. Hunc ergo nemo potest latere, sicut dicit Apostolus, Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Ipse est Iudex iustus, fortis & longanimis; qui nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio declinat à semita rectitudinis: sed via regia semper incendens, nullum malum præterit impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquit. Hunc ergo nemo potest corrumpere, iuxta quod dicit Psalmus: Tu reddes singulis secundùm opera sua.* Hactenus Innocentius.

CAPVT VNDECIMVM.

De Persona Patris & Spiritus Sancti respectu Iudicij Generalis, inquiritur.

Vtrum Generale Iudicium, non tantùm per Filium: sed etiam per Patrem & Spiritũ sanctũ sit exercendum. Num. 2.

An Pater singulariori quadam ratione in Iudicio illo sit futurus præsens. Num. 8.

Quid sit Filium in Iudicio sedere ad dextram Patris. Num. 14.

Cur dextram Patris Filius occupet; & quot modis dextra alicui tribuatur. Num. 15.

Esse:

Esse duplex Iudicium, quo Mortalium causæ discutiuntur; 1.
& singulis secundùm propria opera fit retributio, norunt
omnes. Vnum dicimus Particulare; alterum Vniuersale.
Illud statim post cuiusque mortem peragitur: hoc ad finē
mundi differetur. Illud per Patrē, atq; Spiritum sanctum nō minus,
quàm per Filium, esse peractum, saltem ante Christi in mundum
aduentum, nemo potest dubitare, nisi qui nullum ante Christum
velit oppetiuisse mortem, & ob id de eo nulla quæstio. De posteriori
quæstio præsens est.

An Pater & Spiritus sanctus, vnà cum Christo, Generale Iudicium exercebūt.

Et videri potest *Patrem*, atque *Spiritum* sanctum nullas in hoc partes habituros; propterea, quòd *Christo* Iudicium hoc commissum esse Scriptura insinuet, quemadmodum præcedenti Capite est demonstratum: sed tamen de *vtroque*, *Patre*, inquam, & *Spiritu sancto*, si non magna, aliqua tamen est difficultas: & de Patre maior, quàm de Spiritu sancto. Pro *vtroque* est, quòd *Iudicare* opus sit externum: atque idcirco non minus Patri, & Spiritui sancto; quàm Filio tribuendum; iuxta commune Theologorum Axioma, *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.* 2.

Pro *Spiritu sancto* verò illud affertur, quod ipsius officium sit arguere mundum; secundum illud Ioannis *16. Ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Quocirca cùm in extremo illo Iudicio maximè arguendus sit mundus, non videtur hîc Spiritus sanctus defuturus suo officio. 3.

Pro *Patre* autem duo faciunt. primum est, quòd Christus in *illa die* dicatur *sessurus ad dexteram Patris*. Sic .n. ipse loquitur, Matth. *26. Veruntamen amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, venientem in nubibus.* Hîc de extremo Iudicij die sermonem esse, & textus probat, & confirmat concors Patrum sententia. Alterum est, quod eidem Iudicium, aut saltem in Iudicio partem videatur tribuere Daniel, cap. 7. vbi *Antiquum dierum*, id est, Patrem, describit, moxque Iudicij; & *librorum*, qui in Iudicio aperiendi sunt, mentionem facit. 4.

Sed tamen (quemadmodum diximus) res singularem difficultatem non habet. Quamuis enim omnino à Iudicio *Pater*, & *Spiritus* sanctus excludendi non sunt; vt qui cum Filio, causa prima hîc, & principalis sunt, habentes primariam auctoritatem iudicandi: à Patre tamen & Spiritu sancto Iudicium non dicitur exerceri: quia exercendum per hominem, qui videri potest. Itaque Pater & Spiritus sanctus quodam modo, quod suum est in Filium hominem contu- 5.

tulerunt; & ipsorum vices geret Christus homo.

6. *Primaria* ergo potestas communis est Filio, cum Patre & Spiritu sancto. Et Iudicium commune esset Patri, & Spiritui sancto, cum Filio; si à causa primaria, & principali esset exercendum (quemadmodum & particulare Iudicium, ante Verbum incarnatum, tribus personis fuit commune.) Sed quoniam hæc Christo homini commissa est, tanquam per illum exercenda; idcirco quemadmodum nec Pater est homo, nec Spiritus sanctus est homo, Iudicium non per Patrem, non per Spiritum sanctum, sed Filium exercebitur, ideoque Filio, tanquam proprium opus, adscribitur.

7. Quòd Spiritus sanctus dicebatur *arguturus mundum*, certum est. verùm id officij genus non tam præstiturus est extremo Iudicij die, quo meritorum accipiuntur mercedes; quàm quo tempus est merendi. Hinc Dominus, *Cùm venerit Paracletus, arguet mundum de peccato*, &c. An verò non, nisi extremo die, veniet?

An Pater singulari aliqua ratione in Iudicio erit.

8. De *Patre* res, vt diximus, pluſculum habet difficultatis; non tam propter illud Danielis 7. de *Antiquo dierum*; quàm quòd Christus dicitur *sessurus in Iudicio ad dextram Patris*, Matth. 26 Nam Daniel, illo loco, soli Christo videtur fauere, eidemque soli Iudicium relinquere. Postquam enim *Antiquum dierum* descripsisset; docet *Filium hominis* ad ipsum peruenisse, atque regnum (quod potestatem iudicandi includit) ab eodem accepisse. *Dextra Patris* maiorem parit difficultatem. Quomodo enim *ad Dextram Patris* Filius sedet in Iudicio, si in Iudicio præsens non est Pater?

9. Et difficultatem auget, quod non hic in Iudicio tantùm; sed aliàs etiam frequenter Filius dicatur ad *Patris dextram sedere. Assumptus est in cælum*, dicitur Marci vltimo, *& sedet à dextris Dei*. Et ad Heb. 1. *Sedet ad dextram Maiestatis in excelsis*. & cap. 8. *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextra sedis magnitudinis in excelsis*, & cap. 10. *Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextra Dei*. & cap. 12. *Sustinuit Crucem confusione contempta, atque in dextra Dei sedens*. & 1. Petri 3. *Per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextra Dei*. Similia habentur ad Rom. 8. ad Ephes. 1. ad Coloss. 2.

10. Quæritur igitur, An Pater præsens futurus Filio in Iudicio *singulari quadam ratione*; alia, scil., quàm qua omnibus est præsens: Et si præsens, *oculisne* Mortaliũ cõspiciendus, indutus aliquod corpus; vt hac ratione bene Filius *ad dextrã Patris* sedere dici posit: Et si hoc, *quodnã officiũ* in Iudicio sustinebit: an cum Filio *Iudicis*; an Assessoris tantùm. Si verò horum nihil debeat dici; quomodo *ad dextram Patris* sedere

sedere dicitur Filius: cur etiam nō Pater à *dextris* dicitur Filij; quod, vt fieret, postulat & Patris dignitas, & reuerentia Filij. Quid ergo hîc constituendum?

11. Fuerunt, qui Deum docuerunt habere corpus; & humanis membris constare, non secus atque mortales homines. Anthropomorphitæ sunt dicti; & tempore Theodosij Maioris, in Aegypto magnorum tumultuum extiterunt auctores, teste Niceph. lib. 11. cap. 16. Hi facilè hîc se expediunt. Quemadmodum in nobis dextram & sinistram distinguunt, ita in Deo distinguūt, & Christo tribuunt dextram.

12. Sed grauissimus hic error est. Non habet corpus Deus Pater. non potest habere corpus. atque idcirco nec dextra in ipso potest constitui, nec sinistra; vt quæ non sunt, nisi rerum corporearum. Hoc quia docet Liber de Diuinis Vet. Testam. Apparit. hîc repeti non debet.

13. In *proprio* igitur corpore Pater dextram Filio non præbebit. An præbebit in assumpto? Nec in *assumpto* præbebit: quia nunquā in propria persona assumpsit corpus: nunquam in propria persona assumet. Et quodnam in Iudicio illo munus subiret Pater? Iudicis? hoc Christo traditum. Assessoris, vt Angeli? Non conuenit, nec decet. Executoris? minus conuenit: minus decet.

Quid sit Christum sedere ad dextram Patris.

14. Quid igitur est, quòd *ad dextram Patris sedere* Christus dicitur? Dextra hæc non partem corporis Patris significat; nec positionem aut situm Christi, quem habiturus est; sed dignitatem atque gloriam, cum & in qua extremo mundi die appariturus est Iudex viuorum & mortuorum. Fortè nec malè *dextram* dixeris insinuare diuinitatem Christi; quasi Dominus dicere voluerit in extremo Iudicio cognituros Iudæos, se non minus Deum esse, atque omnipotentem; quàm sit Pater cælestis; vt qui *ad dextram Patris* sit sessurus. Vnde bene Athanasius, Orat. 2. contra Arianos. *Quid*, inquit, *est sedere ad dextram Patris, nisi germanitatem Filij atque Deitatem Patris; eandem quoque esse Deitatem Filij?*

Cur dextram Filij non occupat Pater.

15. Sed Cur *dextram Patris* Filius occupat? cùm dextra honoratior sit locus; isque Patri potius, vt *qui Filio maior est*, Ioan. 14. sit tribuendus? Aliqui facilè huic quæstioni respondent, negando *dextram* honorabiliorem locum significare. Pro quibus produci possunt Imagines antiquæ Petri & Pauli, in quibus Petrus, quamuis dignior, *dextram* præbet Paulo, vt obseruauit S. Thomas, lect. 1. in epist. ad Galat.

figi, quod de Imaginibus Petri & Pauli adducebatur. quamuis hoc non sit vniuersim verum, cum in multis quæ Romæ inueniuntur numismatibus Petrus ad dextram Pauli depingatur. Quando igitur ad dexteram Petri depingitur Paulus, vrbanitatis causa, aut hospitij gratia id factum esse potest intelligi. quia, scilicet, Petrus erat Romæ in propria sede & Episcopatu; Paulus verò ad Petrum, quasi iuuandum accesserat: vel etiam in quandam amoris & gratitudinis significationem; quia Paulus doctor fuit gentium, plurimumque Ecclesiæ profuit.

Debebatur ergo hic honor, *id est dextra Patris*, Christo: quod ipsi data administratio, & gubernatio totius regni Ecclesię; iuxta illud, *Pater non iudicat quenquam, sed omne Iudicium dedit Filio*, Ioan. 5. Quia enim Christus suo sanguine & meritis Regnum amissum Patri cõparauit, idcirco *exaltatus est, & consecutus nomen, quod est super omne nomen*, Phil. 2. Ad hanc ergo honoris & dignitatis excellentiam significandam *ad dextram Patris* Dominus cessurus dicitur. 22.

CAPVT DVODECIMVM

De Angelis compariturus in Christi Iudiciaria Apparitione, siue in generali totius mundi Iudicio, Inquiritur verò

An conueniens sit, quod compareant in hominum Iudicio. Num. 2.
An omnes comparituri sint in Iudicio, cuiuscunque etiam sint Ordinis. Num. 5.
An comparituri sint sub specie sensibili in assumptis corporibus. 8.
Vnde prodibunt ad Iudicium. 12.
An certum aliquem in progressu ordinem seruabunt, & quem. 13.
Quæ functiones eorum in Iudicio & an omnium eadem. Num. 15.
An Angelorum quidam Indici assistet & cur hoc. Num. 16.
An quidam ministeria quædam in Iudicio obibunt, & quæ nam illa. Num. 17.
An Angeli etiam sint iudicandi in generali Iudicio. Num. 22.
An Omnes sint iudicandi, quorumcunque sint Ordinum. 33.
A quibus iudicandi sint Angeli. 34.
Quo modo sint iudicandi. 35.
An etiam quidam Angelorum Iudices sint cum Christo, in illa die futuri. Num. 36.
Quorum nam Angeli futuri Iudices; hominum an Angelorum, an vtrorumque; & quo nam modo. 37.

sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Et, *Nonne omnes sunt administratorij Spiritus?* & quidem Christi?

Sed quoniam, *Angelorum* nomine, nunc illi tantum intelliguntur, qui infimi sunt inter nouem choros Angelorum ordinis; nunc omnes omnino cælestes Spiritus; Omnesne Spiritus cælestes dicimus extremo Iudicij die comparituros, an solos illos infimi ordinis, qui hoc nomen proprium habent, vt Angeli dicantur? Omnes dicimus apparituros: Omnes Christo Iudici, in illo die, famulaturos. Hinc Danielis, 7. postquam Throni positi sunt, ad ferendum Iudicium, subiungitur. *Millia millium ministrabant ei: & decies millies centena millia aßistebant ei.* quibus verbis vniuersus cælestis Curiæ exercitus significatus est, vt Dionysius exponit, cap. 14. Cælest. Hierach. Eodem modo exponit B. Hieronymus illud Zachariæ, 14. *Et veniet Dominus meus, omnesq́, Sancti cum eo.* Idem indicat Iudas, in sua Canonica, sic loquens: *Prophetauit autem de ijs septimus ab Adam Enoch. Ecce veniet Dominus cum sanctis millibus suis facere Indicium contra omnes, & arguere omnes impios.* 6.

Quocirca plurimum hic Christi aduentus ab eo, qui in carne fragili & mortali factus est, differt, etiam quantum ad Angelorum obsequia. Quicunque in illo, Christo obsequium præstiterunt, vel ex infimo ordine fuerunt; vel, si ex superiori etiam fuerunt, non omnes fuerunt: in hoc nullius obsequium desiderabitur. 7.

Quo modo in Iudicio comparituri sint Angeli, an sub visibili specie.

An verò ita comparebunt Angeli; vt videri quoque poßint? Visus est, qui incarnationem Christi, Virgini nunciauit, in Nazareth. visi & auditi, qui pastoribus, nocte natalis Christi, prædicarũt gaudium magnum. visi, qui docuerunt Dominum resurrexisse. Illi etiam, qui in gloriosa eiusdem ascensione significarunt reuersurum eodem modo, quo visus est ascendisse. Quidni videndi sunt, qui ad Iudicium venientem comitabuntur? 8.

Piè hoc, atque probabiliter creditur. Et, vt fiat, conuenit prorsus, scilicet, vt in sensibili Iudicio, vbi cõspiciendus Iudex, & sententia ore tenus est proferenda: vbi visibiles mortales iudicãdi; vbi accepturi in corporibus sensibilibus, quæ in corporibus gesserunt: vbi quoque videbuntur Assessores & Coniudices Apostoli; etiam ministri Angeli poßint conspici, atque adeò sensibilia sint omnia. 9.

Aßistentes ad gloriam maieſtatemque Domini præcipue facere 16.
videntur. Id, quamuis etiam aliunde, ex *conditione* ipſorum facilè colligitur. Neque enim parua eorum *dignitas & excellentia*. Quocirca quemadmodum grauis & prudens ſapientum conſeſſus, & aſſeſſus Iudicis Iudicijque ornat & auget dignitatem atque maieſtatem; ita Iudicis Chriſti maieſtatem præſentia aſsiſtentium Angelorum. Quanta verò ipſorum dignitas? Inter omnia quæ hoc amplißimo, pulcherrimo, pleniſsimo & perfectiſsimo mundo continentur, ſine vlla dubitatione *principatum* obtinent. Etenim ſi ſpectes eorum *originem & antiquitatem*; primi omnium, aut cum primis creati ſunt. *Si vitæ & durationis longitudinem*; immortales ſunt & incorruptibiles. *Si naturæ gradum & conditionem*; ſunt plane incorporei, nec mortis neceſsitati ſubiecti; nec frigoris, caloris, famis, ſitis, morborum, vlliuſque laſsitudinis moleſtijs obnoxij, nec rei vllius corporalis indigentes. *Si agilitatem*; nulla eſt ceruorum, pardorum, tigrium, vel aquilarum pernicitas; vel orbium cæleſtium velocitas, quæ Angelorum velocitatem poſsit adæquare. *Si dignitatem intellectus & mentis*; perpetuo intelligunt, & ſine diſcurſu; & omnium quæ naturaliter ſciri poſſunt, ex quo ſunt conditi, plenam & conſummatam habent ſcientiam. *Si vim & conſtantiam voluntatis*; efficaciſsimè volunt, quod volunt; & immobiliter eligunt. *Si firmitatem memoriæ*, nulla ipſis vnquam ſubrepit obliuio; ſed quod ſemel perceperunt, omni æuo conſeruant. *Si potentiam*: eſt incomparabilis; cuius vel vnum illud ſatis manifeſtum eſt argumentum; quod vnus Angelus, nullo labore, maxima facilitate, primum cælum, cuius comparatione vniuerſa terra & aquæ moles vnius fermè puncti inſtar obtinet, tot annorum millia, ſine vlla intermiſsione, tanta vi, & celeritate conuerſat. Sed & hinc dignitatem eorum licet colligere, quod in tanta multitudine, quanta inter ipſos eſt, vnus ſemper altero ſit perfectior; & tamen infimus ſit perfectiſsimus. quantam enim hæc res perfectionem indicat ſuperiorum? Et hæc *naturalia* ſunt in ipſis omnia. Quod ſi conſideres excellentiam *ſupernaturalis gratiæ*, quam illis Deus abundè largitus eſt, comperies in illis omnibus eſſe gratiam innocentiæ; quippe, qui nulla vnquam, vel leuiſsima peccati labe inquinati ſunt: nunquam Dei gratia ſpoliati fuerunt; nunquam Dei gratia caruerunt: in gratia, in quo initio creati, in ea perpetuo ſunt conſeruati. Verùm, quod omni miraculo eſt mirabilius, in tãta donorum naturalium; & cæleſtium abundantia & excellentia, eſt in illis profundiſsima humilitas, & incredibilis aduerſus Deum pietas & reuerentia. *Coram eo* (Deo) *incuruantur*, inquit Iob, 6. & 29. *qui*

qui sint iudicandi, aliqui iudicaturi; verùm etiam, quinam iudicandi, &, qui iudicaturi; quos item iudicaturi, & à quibus iudicandi: denique quo nam modo illud Iudicium peragendum. Sed tamē, quod ratione consequi possumus, quando Scripturæ auth. destituimur, afferimus.

An Angelorum aliqui iudicandi.

In *Iudicandis* igitur, vtrum aliqui Iudicium sint subituri, vltimo die, res habet difficultatem non paruam. Nam omnes *iam* à condito orbe sunt iudicati; & alij ad æterna supplicia; alij ad externam felicitatem. Hæc Catholicorum est confessio. Quid igitur nouo hic opus Iudicio, vbi plana sunt omnia? & sententia executioni data? 22.

Deinde *viuorum atque mortuorum* Dominus dicitur futurus Iudex teste Apostolo Petro, Actuum cap. 10. & confessione cōmuni Christianorum omnium in symbolo. Iam verò ad *mortuos* non pertinēt Angeli: non pertinent ad *viuos*. 23.

Et Apostoli, qui de Resurrectione loquuntur, eorum ferè solorum meminerunt, qui in *corpore*, aut deliquerunt, aut bona egerunt docetque in corpore recipere, quæ in corpore egerunt. At in *corpore* nec deliquerunt Angeli; nec quicquam boni fecerunt: quia corporis prorsus sunt expertes Angeli. 24.

Nec est, quod vrgeatur sententia D. Pauli; qua *Angelos dicit iudicandos*. Dici potest *Angelorum* nomine, non bonos, sed *malos* intelligi. Nec dicetur malè. Hos enim intelligi docent Tertullianus, de habitu muliebri, cap. 2. Augustinus in Psal. Gregorius in 7. primi Regū: Chrysostomus atque Theodoretus in D. Paulum. Adde, quòd *iudicare* haud rarò, in Scriptura, accipiatur pro condemnare, (vt Psal. 5. Iudica eos Deus. & Ioannis 5. qui verò mala, in Resurrectionem Iudicij) quod in bonos Angelos conuenire non potest. 25.

Sed tamen in Iudicio comparituros Angelos, adeoque *iudicandos* credi non malè potest: & quidem ex dicta D. Pauli sententia. Quāuis enim de *malis* loqui Apostolum credant Authores graues, quos citauimus; non tamen desunt, qui eundem quoque existimēt loqui de *bonis*. Pro quorum sententia produci potest, quæ à quibusdam affertur *Regula*, quod in Scripturis, *quoties nomen Angeli aut absolutè ponitur, aut cum adiectione Dei, vel Domini; bonos, nō malos significet.* 26.

Et si vis argumenti, quo Apostolus vtitur diligentius inspiciatur; fortè melius de bonis intelligitur, quod dicitur; quàm malis. A minori enim ad maius argumentari videtur Apostolus: & ostendere omnino decere, vt Christiani iudicent in causis Christianorum, quando etiam eò prouecti sunt, beneficio Christi, vt iudicaturi sint cælestes Spiritus, omnibus hisce rebus inferioribus superiores. 27.

homines sunt de quibus loquitur *Apostolus*, 1. Corinth. 5. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus.*

Quo modo Angeli iudicabuntur.

Et *quo modo* iudicabuntur? Quo modo ab hominibus, dicetur 35.
postea, quando explicabitur. Quinam ex hominum numero sint iudicaturi. A Christo verò iudicandos *duobus modis*, quibus ille in Iudicio est vsurus, non potest esse dubium. Nam & meritorum in ipsorum conscientijs erit discussio; & eorundem iusta Retributio. De tertiò actu, qui sententiæ cōtinet prolationem, forsitan est quęstio, si non de omnibus, certè quibusdam; qui Christi Iudicis, quasi Assessores quidam erunt. Cùm enim verisimile sit sententiam ad subiectam turbam ferendā esse; & illa iubeatur venire ad posidēdum *Regnum ab origine mundi Benedictis paratum* (vt Matth. 25. significatur) non videtur propriè ad illos pertinere, qui iam Iudici præsentes asistunt, & quasi, cum Iudice, sententiam proferunt: qui non tam vocantur, quam alios vocant ad Regnum posidendum. Quod si tamen alia orationis forma esset sententia proferenda (qua scilicet, Omnes Benedicti iubeantur intrare in Regnum) tum quoque sententiæ Prolatio ad omnes pertinere posset. Sed & hic multa dies Domini docebit.

An Angeli etiam Iudices futuri in Iudicio.

Iudices quoque futuri Angeli Docet hoc S. Thomas in 4. dist. 47. 36.
q. 1. Idem videtur significare Daniel, cap. 7. vbi qui in Iudicio dicūtur comparituri Angeli, non omnes sunt ministrantes; sed quidam Asistentes; ad quos, tanquam Coniudices, Iudicium quodam modo pertinere, non suæ probabili ratione, creditur.

Quorum Iudices Angeli futuri, & quonam modo iudicabunt.

Verisimile autem hos Iudices futuros, & malorum Spirituum, 37.
& hominum iudicandorum, siue boni illi futuri, & in cælestis regni ciues inscribendi; siue mali, & perpetuis supplicijs adiudicandi, aut saltem à cælesti regno excludendi. Quoniam enim in hos sententia Iudicis ferenda, & in hoc Christo iudici asistent Angeli, iudicare hos potest credi.

Et alia ratione hic hominum erunt iudices, alia malorum Spiritu- 38.
tuum. Hominum erunt per approbationem, qua iustisimi iudicis sententiam sunt probaturi; secundum illud.

Pacis Angeli astabunt;
Sicut scriptum est plorabunt,
Iustam tamen approbabunt
Iudicis sententiam.

DE Hominibus *duo* inquirimus. Alterum est, Vtrum sint 1.
compariturí in Christi Iudiciaria Apparitione. Alterum, An Iudicium tantum subituri, an etiam iudicaturi. Prius illud generalius est: quia possunt in Iudicio comparere qui non iudicabuntur; vel non iudicabunt. Sed quicunque vel iudicabunt, vel iudicandi sunt, necesse est vt compareant.

An omnes omnino homines sint comparituri in Iudicio.

Magnam autem difficultatem prius non habet. Dubium non 2.
est, quin *quicunque ab orbe condito fuerunt, & erunt ad vltimum vsq; mundi diem, in Iudicio sint comparituri. Congregabuntur?* dicitur Matth. 25. *ante eum omnes gentes.* & 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* & ad Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* & Apocalyp. 20. *Vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni: & iudicati sunt mortui.* & Ioelis 3. *Congregabo omnes gentes, & adducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum ijs.*

Sed in vnis *paruulis quidam* sunt difficiles, ijs scilicet, qui sine gra- 3.
tia hinc discesserunt, & præter peccatum Originale, aliud secum afferunt nullum. Verum quis non credat aliquando futurum, vt in carne sua cuncti mortales videant aliquando suum Creatorem? videant etiam paruuli? Quando verò videbunt; nisi venientem ad iudicium? Et si plurimi alij (quamuis etiam de eorum salute desperatum sit) sunt in Iudicio nihilominus compariturí; quid prohibet compariturós paruulos? Sed diserta est Apostoli oratio, Apocalyp. 1. Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus.

An omnes homines sint iudicandi.

Maior difficultas est, vtrum omnes quoque sint *iudicandi*, illa die 4.
quidam etiam iudicaturi Et vt de iudicandis agatur primo, est difficultas de *quatuor* hominum generibus. primùm de omnibus *impijs*: deinde de *infidelibus*, qui veram fidem non profitentur: tertiò de iam dictis *paruulis*, qui nulla propria habent merita: quartò de *sanctis*. Hos omnes aliqui forsitan existimabunt à Iudicio excipiendos, ob Sacrarum Scripturarum non leuia testimonia.

5. Nam de *Impijs* sic Regius Propheta Dauid, Psal.1.Non resurgent *impij in Iudicio,neq; peccatores in consilio iustorum.*Scio quosdã (Hilariũ & Euthymium) Impios à peccatoribus distinguere dicto loco,quasi *Impij* sint infideles;*peccatores* fideles malæ vitæ:verum nõ tam hi videntur attendisse ad mentem Prophetæ; quam Domini sententiam;qua alicubi dicit *iudicatos,qui non credunt.* Alioquin propheta inter *Impios & peccatores* nullum videtur facere discrimen.
6. De *Infidelibus* Dominus in hunc modum.Ioan.3.*Qui non credit,iam iudicatus est.*Ex quo Infideles non iudicandos colligunt Basilius,Hilarius atque Ambrosius.Lactantius item cuius hæc est oratio, lib.7. Inst.cap.20.*Nec tamen tunc,*inquit,*vniuersi à Deo iudicabuntur;sed ij tantum,qui sunt in Dei religione versati.* Et B. Augustinus,serm. 38. de sanctis, *Ad Iudicium*, inquit, *non veniunt, nec Pagani,nec heretici,nec Iudæi;* quia de illis scriptum est. *Qui non credit, iam iudicatus est.* Hinc quoq; B. Gregorius,lib.26. Moral. 20. duos distinguit ordines *R*eproborum;aliorum,qui iudicantur & pereunt,aliorum,qui non iudicantur & pereunt:& hos posteriores ait esse illos, de quibus Dominus dixit,Ioan.3.*qui non credit, iam iudicatus est.* quam distinctionem etiã amplectuntur Anselmus in Elucidario,& Iulianus,lib.3. pronogst. cap.33.& Isidorus lib.1.de summo bono,cap 30.
7. *Infantes*, siue gratia hinc, cum solo Originali culpa decedentes, videtur à iudicio excludere D.Paulus,qui, de iudicandis loquens, eorum tantũ meminit,qui *in corpore boni aliquid aut mali egerunt. Omnes*,inquit, 2.Corinth.5.*manifestari oportet ante tribunal Christi;vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit,siue bonum siue malum.* Sed & horum solorum quoque meminit Dominus, Matth.25. *At propria corporis* non habent paruuli. Quid quod finis iudicij eosdem excludat.Ille enim est, vt alij vitam ingrediantur æternam, alij æterna supplicia,& ignes inextinguibiles: quorum neutrum locum habet in hisce paruulis.
8. Denique *Sanctos quosdam* facilè quis à Iudicio excluserit:& *varios* quidem primum *omnes* omnino,propterea,quod Ioannis 3.dicatur *Qui credit in eum* (Deum) *non iudicatur.* Deinde,*omnes, qui cum Christo corpore & anima,iam regnant:*in quibus, quia consummatum iam est præmium,non opus erit Iudicio. Tertio, *paruulos* cum solius baptismi gratia hinc decedentes. Quarto, denique *quosdam singulares*, qui cum Christo existimantur futuri Iudices;B.item Virginem,atque Baptistam.
9. Hæc pro dictis quatuor generibus hominum. Et profecto si à Iudicio iam dictæ personæ sunt eximendæ,nescio vtrum Iudicium pos-

posſit inſtitui; cum homines nulli inueniantur, qui non in horum aliquo ſint numero. Et in hanc cogitatione quidam venerunt olim (teſte B. Auguſtino, lib. de Agone Chriſti cap. 27. & Hilario in illud Pſalmi primi, *Non reſurgent impij in Iudicio*) ex male intellectis Domini verbis Ioan. 3. *Qui credit*, inquientis, in eum, Deum, *non iudicatur; qui verò non credit, iam iudicatus eſt*, Dicebant enim, Si credentes non iudicantur, & qui non credunt iam ſunt iudicati, nemo ergo ſupereſt iudicandus. Sed tamen abſit à nobis huiuſmodi ſermo. Nos ergo quemadmodū genera diſtinximus, ita de ſingulis reſpondebimus; docendumque & quod iudicandi & quomodo iudicandi. Initium faciemus ab ijs, quorum miſera futura eſt in Iudicio conditio.

An Impij iudicandi ſint. & quomodo. 10.

Impij ergo Iudicium generale ſubibunt, atque iudicabuntur. Docet id Dominus, Matth. 25 quando impios cum hędis, in iudicio ſuo conſtituit à ſiniſtris, de quibus quod fidem habuerint dubium eſſe nō poteſt, cum illam prodat ipſorū oratio, qua dicunt, *Domine, quando te vidimus*. Docet Matth. cap. 13. in parabola *Zizaniorum*, quæ inimicus homo ſeminauit in agro Eccleſiæ Docet Ioan. 5 quando aſſerit *omnes* aliquam audituros vocem Filij Dei & proceſſuros, alios in Reſurrectionem vitæ, alios in Reſurrectionem Iudicij.

Quid igitur eſt, quod Pſal. 1. *Impij dicuntur non reſurrecturi in iudicio?* 11.
Reſpondetur *Reſurgere* ibidem ſignificare idem quod *ſtare*. Vnde plerique ex hebræo vertunt non ſtabunt, vel ſubſiſtent Impij in iudicio; vt hic ſit ſenſus orationis prophetæ: *Impij in iudicio Dei, aut etiam in Iudicio iuſtorum, qui cum Deo iudicabunt, non poterunt ſe defendere*, ſuamque cauſam & innocentiam probare; ſed cauſa ſua cadent, atque in eo victi condemnabuntur. Hi enim dicuntur latinis *cadere ſua cauſa*, qui cauſam ſuam defendere & probare non valent. Atque hic ſenſus probè quadrat cum eo, quod prius comparauit Impios pulueri, qui ob ſuam leuitatem non poteſt ſubſiſtere. Huic ſententiæ conſenſit illud, Pſal. 109. *Cadent ſuper eos carbone in ignem deijcies eos, in miſerijs non ſubſiſtent*: vbi Hebręis idem verbum eſt, quod hoc loco. Quod ſi autem verbum *reſurgere*, accipiatur propriè, vt ſignificet futuram corporum Reſurrectionem, conſiderandum eſt, quod non neget impios reſurrecturos ad Iudicium; ſed non reſurrecturos *in Iudicio iuſtorum*; id eſt, vt participes ſint eius Iudicij, quo iudicabuntur Iuſti ad vitam æternam. Dictio enim *Iuſtorum* ex ſecundo membro eſt repetenda.

13. Iudicabũtur autem Impij, quoad omnes actus, quos Christo superius, cap. 9. tribuimus. Meritorũ apud eos erit *discussio*. proferetur in eos iudicijs *sententia*, quemadmodum in omnes, qui à dextris stabunt. denique dignam suis meritis acccepturi sunt *Retributionem*.

14. *An Infideles sint iudicandi in extremo Iudicio, & quomodo.*

De *infidelibus* res est difficilior, maximè propter Domini sententiam, inquientis: *Qui non credit iam iudicatus est.* Et doctores Scholastici, quia contrarijs quasi vrgentur Scripturis, *duplex* distinxerunt Iudicium: alterum vocarunt *discussionis*; alterum *Condemnationis* vel *Remunerationis*; & ab illo Infideles absoluunt, propter illud; *Qui non credit, iam iudicatus est*: huic subijciunt, propter illud Marci vltimo; *Qui verò non crediderit, condemnabitur.*

15. Sed tamen & hi, non minus, quam impij atque Peccatores, de quibus iam diximus, Iudici sistentur, Iudiciumque subibunt. *Eos qui foris sunt, iudicabit Dominus*, inquit Apostolus 1. Cor. 6. Foris verò sunt, quicunque extra Ecclesiam sunt, quales sunt Infideles, quicũque Christianam fidem non profitentur.

16. Et de duobus Iudicis actibus difficultas nulla est. Nam & in ipsos cadet hæc Domini sententia; *Ite Maledicti in ignem æternum*: & sententiæ executio siue Remuneratio. De tertio quoque, in quo *Iudicium discussionis* consistit, res non minus videtur certa. Nec enim hi magis, quam quicunque alij impij eximendi sunt. An non æquè certũ, *Omnes* omnino Impios iudicatos & damnatos esse, testimonio cõscientiæ etiam cuiuscunque, quam Infideles? aut minus quæuis impietas, quam infidelitas homini præsentissimam affert damnationem? Et si fortè de aliquo impietatis genere dubitatur; de grauissimis blasphemiæ, odij Dei, desperationis peccatis, &, potest esse dubium? Si igitur Impij fideles à iudicio discussionis liberi non sunt, erunt infideles?

17. An confusionem mortalium non parum faciet hoc iudicium discussionis: non paruam carnificinam consciẽtijs afferet. Quocirca tantum abest, vt ab hoc eximendi sint infideles, quorum grauiora possunt esse, quam impiorum fidelium delicta; vt præ illis hi potius tali iudicio sint subijciendi.

18. Adde quod inter Prophetas duo, Infideles significent hoc iudicium discussionis subituros. Ieremias inquam, & Ioel. Ille sic habet cap. 25. *Iudicium Domini cum gentibus.* Quid *cum gentibus*, & non *de gentibus*, nisi, quod earum conscientias conueniet Dominus, bene acceptorum, & malè expensorum rationes inquirit? Et Ioel, cap. 3. *Cõgregabo omnes gentes, & adducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cũ ijs, super populo meo, & hæreditate mea Israel.* Et

Et quod poteſt eſſe, vel dici iudicium diſcuſsionis, quod ad Infideles non pertineat? vel enim illud conſiſtet in meritorum examine, vel in eorũdem manifeſtatione, qua cognoſcent omnes iuſtam eſſe cuiuſque damnationem. At & meritorum Infidelium examen inſtituetur; atque cuiuſque conſcientiam Dominus conueniet: & præterea cunctis iuſta ipſorum conſtabit damnatio. 18.

Et de examine (quod magis ad diſcuſsionis Iudicium pertinet) res ex eo clarior eſt, quod non vna omnium infidelium damnatio: non omnium æqualia ſupplicia, quemadmodum nec æqualia merita (quidam infidelium minus peccarunt, quidam plus) quapropter, quamuis fortè ratione infidelitatis iudicio diſcuſsionis opus nõ eſſet, inæqualitas tamen aliorum meritorum id poſtulat. Atq; hoc egregiè docet B. Hieronymus, ſuper illud Ieremiæ 25. *Iudicium Domini cum gentibus.* Sic enim loquitur. *Quia gentium merita ſunt diuerſa: & ideo qui non credit, iudicatus quidem eſt in eo, quod non credit: ſed ipſi qui non credunt, inter ſe diuerſis afficientur ſupplicijs. Iudicantur ipſi cum omni carne, vt nullus iniudicatus abeat.* Ita B. Hieronymus. 19.

Nec ſententiæ noſtræ repugnat; aut à Iudicio ſunt liberi idcirco Ifidenles, quod Dominus *iam dicat iudicatos, qui non credunt.* Ioan 3. Primum enim, quid ſi dicatur Dominus locutus more Prophetarum? & verbo *præteriti temporis* vſus ſit, pro *futuri*? dixerit iudicatos, qui ſunt iudicandi? Neque enim ignorat quiſquã Prophetas ad certitudinem rei ſignificandam futura tanquam præterita prædicere. Ita Dominum hoc loco locutum eſſe docet B. Auguſtinus, lib. de Agone Chriſti, cap. 27. 20.

Deinde, vt eò non confugiamus, dici poteſt cum B. Chryſoſtomo non tantum de Infidelibus, ſed etiam fidelibus locutum Dominum, quãdo dixit *iudicatos, qui non credunt*: illis inquam fidelibus, qui quam ore profitentur fidem, rebus & operibus quaſi negant. vt ob id *verbotenus* poſsint dici fideles, *verumtenus* Infideles. Quocirca quemadmodum malæ vitæ Chriſtianos non quis facilè excluſerit à iudicio; ita nec ſine temeritatis nota excluſerit infideles, ſaltem ob hanc Domini ſententiam. Omnino autem Dominum hic loqui de malæ vitæ fidelibus, ex eo fit veriſimile primum, quod non cuiuſcunque actus fidei meminerit; ſed eius, quo *in Deum* creditur: qui fidei formatæ, ſiue per charitatem operantis tribuitur: quaſi Dominus ſignificarit non iudicandos qui fidem formatam non habẽt, quales ſunt & verè infideles, & verè fideles, quamuis malæ ſint vitæ. Deinde veriſimile hoc fit ex antitheſi. Non credentibus enim opponit credentes, at credentes vocat non quoſcunque, ſed qui fidem 21.

dem habent per charitatem operantem. Negat enim damnandos fideles: quales non sunt, nisi credentes charitate instructi. Ergo non credentes intelligit eos, qui fidem charitate destitutam, aut simpliciter fidem non habent. Aut igitur oportebit, secundum Domini sententiam, à Iudicio liberare etiam malæ vitæ Christianos homines: aut certè Domini sententia non possumus excludere Infideles.

22. Denique sit Dominus locutus de prorsus Infidelibus: non tamē illi, quia dicuntur à *Domino iudicati*, à Iudicio excludentur generali. Iudicati enim dicuntur; non quia non iudicandi: sed quia certissimam habent in se suæ damnationis causam. *Nempe*, inquit, *Chrysostomus, sicut qui homicidium committit, iam iudicatus dicitur, quia lege lata, cōtra homicidas, morti est addictus; quamuis nondum sententia iudicis lata sit: ita qui non credit, causam in se damnationis habet, & legi damnationis subiectus est, propter peccatum, quo detinetur; & propterea iudicatus dicitur: sententia tamen non est lata vsq; ad alterius seculi Iudicium*: Iudicabuntur ergo non credentes in vltimo iudicio; quia mortis sententiam à iudice latam sustinebūt, quamuis à diuina lege iam sint iudicati, & morti addicti. Nam duplex iudicium est, nempe *Legis & Iudicis*. Similiter Adamo dictum est Genes. 3. *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris: non quod statim moriturus esset, sed quod statim in se causam mortis habiturus*, vt exponunt Chrysostomus, Theophilactus, Euthymius.

23. Sed & mortis, æternæque damnationis causam in se habent, quicunque lethaliter Deum offenderūt; etiam Christiani, & in fide optimè instituti; qui tamen iudicabuntur: cur igitur & hos *iudicatos* dicimus, vt dicimus Infideles? Respondeo quamuis & illi habeant, non tamen dicuntur *iudicati*; vt iudicati dicuntur infideles, propterea; quod non tam euidens istorum sententia sit, vt infidelium, saltem quoad exclusionem à Regno. quia videlicet hi nō solum iustitia & meritis, sed etiam fundamento iustitiæ & meritorum caruerunt. Hæc de Infidelibus.

An Infantes in extremo iudicio iudicandi, & quomodo.

24. Et quid de Infantibus, qui cum solo Originali hinc discesserunt? Diximus quosdam illos ita à iudicio excludere, vt ne eosdem quidem velint iudicio adesse: quosdam docere affuturos, sed veluti spectatores tantum gloriæ & maiestatis Christi, quemadmodum docet S. Thomas in 4. dist. 47. q. 1. ar. 3. *Pueri*, inquit ibidem, *ante perfectam ætatem decedentes in iudicio comparebunt; non autem vt iudicentur; sed vt videant gloriam iudicis*. Idem significat q. 5. de malo, art. 3. Priorū sententiam non probauimus; quid de secundorum?

Plus

Plus illa, quàm prior, habet probabilitatis: propterea, quòd nullus actus iudicis apud illos locum videatur habere. Non apud ipsos potest esse meritorum discussio: quia nulla apud ipsos merita. Non cadet in eos sententiæ Prolatio: quoniam, vt Matth. 25. significatur, duo hominum genera tantùm illa complectetur; quorum hi Regnum Patris ingredientur; illi cum Dęmonibus igni æterno excruciandi tradentur: in neutro sunt hi paruuli. Non habebit apud eosdem locum Retributio: quia retribui illis nihil potest, qui nihil tribuerunt; vt nihil tribuerunt hi Infantes. Quid enim tribuerunt? Nihil egerunt boni: nihil egerunt mali. 25.

Quidam tamen non in Iudicio solùm comparituros docuerunt hos Infantes; sed quoque iudicandos: iudicio illo *damnationis*, vt vocant, quod sententiæ continet prolationem: non Iudicio discusionis. His fauet illud Apocalyp. 20. *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in cōspectu throni*. mox enim additur de *omnibus* latum esse Iudiciū: & quod B. Augustinus, lib. 5. Hypog. dicit, *paruulos hos ad sinistram constituendos*. Et profectò qui illos pœna sensus, & igne gehennæ volunt cruciandos, (vt volunt Authores non leues) non difficulter admittent, communem illam Domini, Matth. 25. damnationis sententiam ad hos infantes pertinere. 26.

Nos ad Iudicium Domini vniuersale existimamus etiam pertinere hos Paruulos. Existimamus ipsos inter illos contineri, de quibus dictum ab Apostolo, *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*. & de quibus Dominus Ioan. 5 *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei*. Veruntamen cùm Iudicis in illo Iudicio actus distinxerimus *tres*, quinam in hos paruulos quadrabunt? discutienturne ipsorum merita? proferetur in ipsos à Iudice sententia? reportabunt meritorum aliquam retributionem? 27.

Sententiæ dictionem, vt iam diximus, quidam volunt in ipsos casuram. Sed si alia illa nō est, quā quæ à Domino insinuatur, Matth. 25. qua alij ad possidendum Patris Regnum vocantur, alij remittuntur ad ignem æternum, non video quomodo in paruulos hæc possit cadere; si neque ad Regnum Patris illi vocandi sunt, vt est certissimum; neque igne ęterno torquendi, vt iam probabilior habet doctiorum sententia. 28.

Quod si huic similem dicamus proferendam, qua, scilicet, alij ad Patris Regnum admittuntur; alij ab eodem excluduntur, non negarem facilè in hosce paruulos Domini sententiam cadere posse: quoniam certissimum est ipsos non ad Patris Regnum vocandos, certissimum à Patris regno excludendos. Atque ita mediam quandam, 29.

inter extremas paruuli sententiam audirent. Certè hoc docere videtur B. Augustinus, lib. 3, de libero arb. cap. 23. Planè enim ibidem significat paruulos hos iudicandos: & sententiam Iudicis respectu eorum futuram mediam inter præmium, & supplicium ignis & gehennæ, quoad pœnam sensus.

30. Similiter apud eosdem paruulos locum habebit *Remuneratio*, quæ tertium iudicis actum diximus; & qui semper secundum illum sequitur. habebit, inquam. Remuneratio non illa, quæ pœnam sensus cōtinet, aut supplicia miseris affert; sed qua à præmio & cælesti gloria excluduntur. Idem in dicta sententia iudicat B. Augustinus: sed clarius B. Gregorius, lib. 9. Moral. cap. 12. & 16. vbi de Christo in extremo die iudicante agens. *Quosdam*, inquit, *tunc reatu culpa originalis astrictos, etiam sine operibus damnat*. Id latè ibidem persequitur.

31. Quod si verò Dei iudicantis sententia ad duo tantum illa iudicatorum genera feratur; quorum alij vitam æternam, alij ignem inextinguibilem, apud eosdem quoque Remuneratio manebit, quæ sententiam sequitur. Quocirca sententiam quidem audient nostri Infantes, sed quia in neutrorum erunt ordine, nec præmia vitæ æternæ in se obseruabunt cum beatis, neque tormenta ignis infernalis sentient cum damnatis.

32. Verisimilius autem est, quod plus aliquid Domini sententia cōtinebit, quam Matth. 25. significatur. verisimilius ergò, quoq;, quod omnis Remuneratio non Regno Patris, & igne infernali constabit. Neque enim videtur Dominus ibi omnia complexus, quæ in illo iudicio sunt peragenda, sed præcipua tantum quæque magis ad hominum terrorem, & correctionem facere possunt: & proinde præcipuè commemoratur sententia, & pœna atque præmium, quæ ad adultos pertinent: non tamen excluduntur reliquorum: sicut nec reliqui, quemadmodum & ibidem dicitur ferenda sententia propter peccata contra misericordiam; non tamen fit inde, vt non sit ferenda propter alia peccata.

De *actu discussionis* dubitant quidam, habiturusne sit ille in his paruulis locum. Videtur tamen, si res attentius consideretur minus difficultatis ille habere. Nonne paruuli in hoc iudicio comparebūt? Comparebunt non minus, quam alij. Nonne audient, intelligent, cognoscent, quæ beatis præmia, quæ damnatis, deputentur supplicia. Dubitare de hoc vix licet. Nonne se extra vtrorumque sortem esse obseruabunt? Et hoc obseruabunt. Ergo cum de iusti Iudicis æquitate non possint dubitare, non dubium, quin & intelligent non sibi fieri iniuriam, sed fieri aliqua sua culpa, quod à bonorum consortio

sortio separentur: & tamen non tantam suam esse culpam, vt communem cum damnatis conditionem debeant sustinere. An vero hîc discussionis, vt vocamus, deest Iudicium?

Nec est quod dicatur illos culpam suam nullam esse cognituros. 34.
Omnino cognoscent. Si enim *cuncta hominum opera* in illo iudicio omnibus hominibus sunt manifestanda, manifestabitur & Adæ delictum: quod quemadmodum ad alios homines, ita ad se intelliget pertinere. Præterea cum visuri sint plurimos paruulos, sine vllis suis proprijs meritis rapi ad cælum, quomodo ignorare possunt aliqua sua culpa fieri, quod non & ipsi ad cælum rapiantur: quamuis propria merita non habeant? An de æquitate Iudicis fortè poterūt dubitare?

An omnes Boni & Iusti homines in extrema die sint à Iudicio excepti.

Hactenus de malis. de quibus hoc constitutum: *Nullum Domini* 35.
Tribunal atq; Iudicium declinaturum: Omnes à Domino iudicādos. An quoque iudicandi *omnes Boni*? Diximus de *quatuor* generibus esse difficultatem. singula breuiter discutiemus. Primò sunt *Omnes omnino Boni*, quos Dominus eximere videtur duobus locis, Ioan. 3. cum inquit, *Qui credit in eum non iudicatur*. & rursus Ioan. 5. *Qui credit in eū qui misit me, habet vitam æternam, & non venit in iudicium.*

Quid verò? Non omnes Boni à Iudicio exempti sunt. Nimis di- 36.
serta pro ipsis sunt Domini, & Apostoli verba, vterque in Iudicio docet *duo* hominum genera comparare, *bonos & malos*; bonos Dominus ouibus comparat, malos hædis. Matth. 25. vtrosque docet Apostolus recepturos, *quæ in corpore gesserunt*: bonos bona; malos mala 2. Corinth. 5.

Et omnes *tres* Iudicis actus in ipsis locum habebunt. merita ipso- 37.
rum discutientur: sententia in ipsos proferetur: meritorum habebunt speciosissimā mercedem. Certa sunt hæc omnia partim communi Doctiorum sententia, partim ex ijs quæ de *malis* diximus. Solum restat Domini sententiæ respondeamus.

Dominus igitur non eximit *omnes bonos* à Iudicio, quando dicit: 38.
Qui credit in eum non iudicatur. solum significat non condemnandum, qui in Deum credit, verbum enim *iudicare* pro condemnare positum est, Hebræorum idiomate, quemadmodum & alias sæpe, vt 1. Corinth. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino*: & Hebr. decimo tertio, *fornicatores & adulteros iudicabit Dominus*: & Ioan. 5. *qui mala egerunt surgent in Resurrectione iudicij, id est, damnationis*. & eodē cap. *qui credit in eū habet vitam æternam, & non venit in*

 Iudicium,

Iudicium, id eſt, condemnationem. Quocirca Dominicæ orationis hic ſenſus eſt, *Qui credit in eum non iudicatur*, id eſt, non damnatur; ſcilicet, ſecundùm præſentē iuſtitiam, aut ſi in illa perſeueret. quēadmodum inferius inquit, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Hinc Irenæus, lib. 5. cap. 27. *Qui credit in me non iudicatur, id eſt, non ſeparatur à Deo: qui autem non credit, iam iudicatus eſt, id eſt, ſeparauit ſemetipſum à Deo voluntaria ſententia.*

An ad Iudicium venturi & iudicandi, qui iam ſecundùm animam & corpus ſunt beati.

39. Quid de ijs, *qui cum corpore & anima iam cum Chriſto in cælo regnant?* Eſſe aliquos tales non dubitamus. qui ſint ſi de aliquibus, de omnib⁹ definire non poſſumus. Et quia non omnes nouimus, de omnibus, vtrum vna ratio ſeruanda ſit difficulter dixerimus. Quid enim ſi quidam cum Domino iudices ſint futuri, in altiori loco cum eodem Domino conſpicui, & ſententiam in ſubiectam turbam prolaturi, aut externis ſignis approbaturi? Certè, vt in hos Domini iudicantis ſententia proferatur, vix commodè fiet; niſi aliam ſententiam Domino tribuas, quam ille, Matth. 25. inſinuauit. Sed de hoc vide, quæ diximus, Theſi 32. ſuperius.

40. Interim ſi in hos Chriſti coniudices dominicæ ſententiæ prolatio locum non habebit, poterit habere in alios, qui ex ijs cum Domino in Iudicio non ſedebunt, ſi qui inter ipſos tales erunt. Sed quidquid ſit de *ſententiæ prolatione*, reliqui *duo* Chriſti Iudicis actus ipſis iuſtiſſimè conueniunt. merita ſiquidem ipſorum diſcutietur, dignamque retributionem ſortientur ipſorum.

Nec obſtat, quòd corpore & anima illi *iam* ſint beati. quia licet priuatim iudicati ſint, oportet tamen eorum cauſam ad publicum Tribunal deferri. Nam tempore Iudicij omnes omnino Sancti erunt, & corpore & anima glorioſi; & tamen iudicabuntur.

An iudicandi, & quomodo Infantes, qui hinc cum Baptiſmi gratia diſcedunt.

41. De *Infantibus, qui cum baptiſmi gratia hinc diſcedunt*, primū hoc certum eſt, Regno Patris, cum cæteris beandis, ipſos eſſe donandos; quemadmodum certum ab eodem Regno excludendos, qui baptiſmatis ſacramēto non ſunt initiati: Et quamuis propria, *quæ in corpore* geſſerunt, non afferant merita; afferunt tamen ſecum, quæ ipſorum nomine, in *ſuo corpore* comparauit Chriſtus, & ijſdem, interueniente Baptiſmi ſacramento, communicauit. Vel hac igitur ratione partem in Iudicio generali habebunt.

42. Ad eoſdem quoque perueniet Iudicis ſententia: quoad illā partem,

tem, qua benedicti vocantur ad posſidendum Regnum Patris, à cõſtitutione mundi paratum. Quid enim, an non *benedicti*, qui Chriſti ſecum merita, ſine vlla peccati macula afferunt? Et ſi Regnum Patris ingredientur, æternumque illo perfruentur; quid mirum, ſi ad illud poſsidendum Iudicis ſententia euocentur?

Diſcuſsionis Iudicium ad illos non minus pertinebit, quàm ad paruulos illos ſine baptiſmatis gratia diſcedentes. Minor tamen apud vtroſque diſcuſsio erit, quàm apud adultæ & prouectæ ætatis homines: tum, quòd pauciora hic merita; tum etiam, quòd quæ ſunt, ferè vnius generis ſunt omnia. Omnibus ergo modis Infantes hi ad iudicium pertinebunt. 43.

An quidam excellentis ſanctitatis homines à Christo non ſint iudicandi.

44. De *excellentis ſanctitatis hominibus* meritò dubium eſt, vtrum ſint iudicandi: propterea, quòd ipſi futuri Iudices. Quinam illi ſint, explicandum eſt inferius, quaſque partes, cum Iudice Chriſto, habituri communes. Sed *ſuntne & ipſi iudicandi*? Profectò, ſi nihil prohibet, eoſdem vna ratione eſſe Iudices, alia ratione eſſe iudicandos; non video cur non debeant dici iudicandi, cùm Sanctiſsimus Paulus aliquoties, *Omnes* velit ſiſti Iudicio & Tribunali Chriſti 2. Cor. 5. & ad Rom. 14.

45. Et dubium eſſe non poteſt, quin *meritorum reportabunt mercedem*; & quidem admodum inſignem, tam inſignis, vt illi erunt, ſanctitatis homines. ingreſſuri, videlicet, ſunt Regnum à conſtitutione mũdi omnibus benedictis paratum; ipſi inter Patris benedictiſsimi, alioſque benedictos ad Patris Regnum vocaturi. Vel hac igitur ratione ad iudicium pertinebunt.

Nec meritorum ipſorum in illo Iudicio deſiderabitur *diſcuſsio*. 46. Cùm enim hæc maximè locum habeat, vbi bona inueniuntur permixta malis; atque vbi quantitas meritorum cum præmij quantitate eſt conferenda, quidni in hos cadet diſcuſsio? in quibus plurima bona cum malis certant; vt de B. Paulo norunt omnes? vbi etiam ipſi iudicandi, atque totus mundus, adeoque ipſi Impij, diuini Iudicij æquitatem intelligent? *videntes enim*, dicitur Sap. 5. (iuſtos ſtantes in magna conſtantia) *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur dicentes; Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo* (Nota Ergo) *errauimus.*

47. De *sententia dicenda* res aliquem habet difficultatem. Hanc fortè cum sint, simul cum Domino dicturi in alios, r o 1 in ipsos, non sine ratione, quis suspicabitur proferendam: præsertim si alia verborum forma illa proferenda non est, quam quæ à Domino, Matth. 25. describitur. Quod si alia proferetur, poterit illa apud hos locum habere. Quid futurum, dies Domini iudicabit.

An bene distinguantur quatuor hominum genera, qui comparebunt in Iudicio.

48. Ex his quæ de *iudicandis* hactenus sunt dicta, sequitur non admodum necessariam esse *distinctionem Iudicij in Discussionis & Approbationis*. Nec necesse esse distinguere *quatuor genera hominum, quæ in iudicio cōparebunt*; quorum duo sunt *Reproborum*; duo *Saluandorum*: Et Reproborum quosdā dānandos & iudicandos; quosdam dānandos, & non iudicandos: Sic Saluandorum quosdam iudicandos & regnaturos; quosdam non iudicandos & regnaturos. Est quidem hæc distinctio apud Auctores Scholasticos, in 4. distinct. 47. & sumpta ex B. Gregorio, 63. Moral. cap. 20. Sed necessaria non videtur; & (vt Soarez loquitur sect. 7. Disput. 57. super q. 59. 3. p. S. Thomæ) *vix aliud est, quam quidam metaphoricus modus loquendi, ad explicandam maiorem quandam facilitatem, quæ ex parte ipsorum operum, aut respectu nostri, videtur esse maior in ferenda sententia in quosdam, quam alios.* Damnandi enim & iudicandi, sunt mali qui tamen fundamentum fidei habent. Damnandi, non iudicandi, sunt infideles, qui fundamenta fidei carent. Sic iudicandi & regnaturi sunt boni ferè omnes: regnaturi verò, & non iudicandi sunt Apostoli, & qui sedebunt super 12. sedes iudicantes duodecim tribus Israel.

An quidam cum Christo sint alios iudicaturi.

49. Et hæc dicta de hominibus *iudicandis*. de *Iudicaturis* pauca in sequentibus. Inquirendum verò hîc, primùm, Sintne aliqui iudicaturi. 2. Quinam illi sint. 3. Quomodo sint iudicaturi. 4. Qui præ cæteris, singulares cum Christo Iudices futuri. 5. Quos illi iudicaturi, &c.

Esse *quosdam iudicaturos* cum Christo, non vno loco Dominus
50. insinuat. Nam primò, Matthæi 12. sic loquitur: *Viri Niniuitæ surgent in Iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. & Regina Austri surget in Iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis.* Eadem ijsdem propemodum verbis habet S. Lucas, cap. 11.

De

Deinde idem de alio hominum genere docet Dominus, Matth. 19. *Amē dico vobis*, inquit, *quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Idem apud S. Lucam, cap. 22. *Ego dispono vobis regnum, vt sedeatis super Thronos iudicātes duodecim tribus Israel.* & Matth. 12. iisdem Apostolis loquens, *Ipsi*, inquit, *Iudices vestri erunt.*

Apostolus quoque Paulus docet homines futuros esse Iudices in extremo Iudicio, in 1. ad Corinth. 6. *An nescitis*, inquit, *quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam Angelos iudicabimus.* 51.

Idem docet sapientissimus Salomon, Sap. 3 *fulgebunt iusti*, inquit, *& tanquam scintilla in arundineto discurrēt: iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* 52.

Qui nam ex hominibus alios sunt iudicaturi.

Et ex dictis locis, *Qui nam* sint iudicaturi, colligitur. Tria enim hominum genera complexi, videntur Dominus, Paulus, atq; Salomō. Infideles, Iustos, & Apostolos. Infideliū meminit Dominus, Matth. 12. Iustorum D. Paulus 1. Corinth. 6. atque Sapiens Apostolorum itē Dominus, Matth. 19. 53.

Veruntamen quamuis hi omnes dicantur iudicaturi, propriè tamen in illos tertias, id est, *Apostolos* nomen Iudicij conuenit. Quid, quod fortè dici non debeat, quod alij sint iudicaturi? Nam quod de Niniuitis dicitur, atque Regina Austri, quidam ad accusationem referunt non ad iudicium; quasi isti suo facto accusaturi sint obstinatos Iudæos; quando grauiores & maiores habuerunt causas amplectendæ veritatis Iudæi, quam ipsi; veritatem tamen illi respuerint. Atque hoc existimant Domini verbis insinuari, quando dicit *Surrecturos* in Iudicio Niniuitas & Reginam Austri. Neque enim, inquiunt, in Iudicio surgunt Iudices; sed *sedent*; Accusatores *surgunt*, vt accusationis capita proponant. 54.

Sic quod 1. Corrinth. 6. ex Apostolo affertur de *Sanctis* qui *mundum dicuntur iudicaturi*; non propriè de quibusuis sanctis; sed Apostolis intelligi, inde fit verisimile, quod Iudiciū illud, de quo Apostolus loquitur, sententiæ quandam contineat prolationem, inter partes quasi dissidentes. (alias enim ad propositum, parum faceret Apostoli argumentum) at hoc quis dixerit ad *omnes sanctos* pertinere) Fortè idem intelligit Salomon, Sap. 3. Quocirca indefinita erit Apostoli atque Salomonis oratio; significabitque non *omnes Sanctos* mundum iudicaturos; sed ex Sanctis *aliquos*: quod verum esse *Apostoli*, Iudices confirmabunt. 55.

Nec

56. Nec est quòd quis dicat Apostolum quoque ipsos Corinthios in Iudicium adsciscere, dum dicit, *in Ipsis mundum iudicandum(si in vobis mundus iudicabitur.)* In Corinthijs enim mundum eo Iudicio iudicari credendum est, quo in Niniuitis atque Regina Austri Iudæos. Ita exponit dictũ locum Theophilactus: putatque obseruandum quod dicatur *in vobis*; & non *per vos*: *vt intelligatur*, inquit, *per Deum iudicandum mundum; ipsos autem fide sua & vita mundum condemnaturos.*

57. Et profectò *iudicare* propriè dici non debet, aut esse Iudex, qui nõ iudiciariam aliquam actionem in Iudicio exercet. Quam verò Regina Austri, Niniuitæ, & Corinthij; & promiscuè omnes omninò Sancti possunt exercere? Si Iudicij nomen extendas, & cum quibusdam, præter hoc *Proprium*, duplex distinguas, *comparationis* (quod tribuunt illis, quorum vita & probi mores malos damnant) & *Approbationis* (quo veri Iudicis sententia probatur) Iudicis officium alijs licebit tribuere: & Niniuitis illud *comparationis*; Sanctis illud *Approbationis*: sed quis nõ videat hac ratione omnes propemodum Iudices futuros? hoc verò quis dixerit?

58. Constituamus igitur *Iudicij* nomen *propriè* in Apostolos conuenire: *Apostolos propriè cum Christo iudicaturos*: Apostolos in extremo iudicio iudices futuros; non Sanctos omnes: non, quicunque probitate vitæ suæ aliorum scelera arguunt & condemnant. Alij in numero potius habeantur iudicandorum; quàm iudicum.

Quonam modo Apostoli sint futuri iudices in extremo iudicio.

59. *Quomodo* verò iudices futuri Apostoli? Certum est inprimis, iudicandi munus non cum ea proprietate Apostolis tribui, qua Christo attribuitur. *Iudicare* propriè actum dicit *Iurisdictionis & potestatis superioris*. Hæc quoad vltimum Iudicium animarum, soli Christo est communicata. *proprium* ergo *Iudicium* vt actum Iurisdictionis dicit, soli conuenit Christo. Attribuitur igitur Iudicium Apostolis alia quadam ratione.

60. Qua vero? Sunt, qui illis tantùm relinquant iudicium illud *comparationis*, quod diximus: in qua sententia videtur esse Chrysostomus. Ita enim ille homil 65. in Matthęum, *Quid est*, inquit, *iudicantes duodecim tribus Israel? Nihil aliud quàm condemnantes. Non enim in solio iudiciali sedebunt: sed quemadmodum Reginam Austri, & Niniuitas condemnaturos generationem istam asseruit, simili quodam modo discipuli nõ gentes, non vniuersum orbem: sed tribus Israel condemnabunt. Nam quoniam ijsdem & legibus & institutis viuendi, tam Iudæi, quàm Apostoli educati fuerunt; cũ Iudæi idcirco se Christo credere non potuisse dicturi sint, quia mandata legis seruare*

seruare iubebantur, discipulis in medium productis, à quibus & lex suscipiebatur, & fides Christo adhibita est, omnes Iudæos condemnabunt. propterea enim dicebat Ideo ipsi Iudices vestri erunt. Hæc Chrysostomus. Sed, vt diximus, *proprie* hoc non Iudicem agere: & plus aliquid Apostolis, quam Niniuitis tributum est: & meritorum videtur hic rationem habere Dominus, quorum non semper ratio habetur in Iudicio *Cōparationis*, quia in hoc non solum iusti omnes, sed multi etiam peccatores, & iniusti, magis iniustos iudicabunt, sicut Niniuitæ Iudæos.

Sunt ergo alij, qui paulo plus Apostolis tribuunt. Iudicaturos ipsos dicunt, quia *Iudicis Christi sententiam sunt probaturi* In hac sententia dicitur esse B. Ambrosius. Sed qui triplex *Iudicium* distinguunt, hoc *Approbationis*, omnibus Sanctis tribuunt. & de hoc locutum volunt D. Paulum atque Salomonem; dum hic dicit *Sanctos* iudicaturos *nationes*; ille *mundum*. Horum sententiam probamus, quod *Approbationis* Iudicium Apostolis, cum sanctis volunt esse commune: non probamus, quod præ Sanctis nihil singularem concedunt Apostolis. 61.

Singulare aliquid habebunt Apostoli in hoc Iudicio. Id tum ex Domini promissione, tum ex Apostoli verbis colligitur. Dominus de Apostolorum priuilegio, quod in Iudicio sunt habituri loquens, ipsis tribuit, quod alijs, quamuis etiam eximiæ sanctitatis hominibus, non tribuit. Non tribuit his potestatem sedendi in Throno, iudicandi item, quam tamen promittit Apostolis; tribuit tantùm, quod sint *centuplum accepturi, & vitam æternam possessuri. Vos*, inquit Matth. 19. *qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel: Et Omnis, qui reliquerit domū, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* 62.

Idem in sua oratione insinuat Apostolus, dum plus Apostolis tribuit, quam alijs. de Apostolis enim in prima persona loquens. *An nescitis*, inquit, *quoniam Angelos iudicabimus?* de sanctis autem loquens (si per *Sanctos*, non tantum Apostolos intelligamus) non suam personam, id est, omnium Apostolorum complexus, dicit *hos mundum iudicaturos*; iudicio scilicet *Approbationis*: quia si quid est quod Sancti in Iudicio habere possunt, ratione, cuius dicēdi sunt Iudices, id est, quod iustam iudicis sententiam sunt probaturi. 63.

Sed & ipsum verbum, *Sedere* plus Apostolis, quam alijs, significat tribuendum. Diximus superius *surgere* in Iudicio Accusatorum 64.

esse: sic *stare* est iudicandorum: sic *sedere* iudicum. Cùm igitur nō de omnibus Sanctis dicatur, sed de Apostolis, quòd sint *sessuri* (*Sedebitis & vos*) quis dubitabit, quin hi, præ aliis, singulare quid, in Iudicio, sint obtenturi? Atque hoc quoque indicare videtur, ex sententia D. Basilij, Isaias Propheta, cap. 3. sic loquens; *Veniet ad iudicium Dominus cum senioribus populi.*

65. Non ergo Iudices *comparatione* tantùm dicendi sunt Apostoli, cū Niniuitis: non *approbatione* tantum, cum Sanctis: Iudices erunt, *per quādam specialem participationem honoris, vel actionis iudiciariæ*; quam vel soli præ cæteris omnibus habebunt; vel habebunt non cum omnibus: vt in sequentibus discutietur.

Ratione cuius Apostoli futuri Iudices.

Sed vtrius nomine Iudices dicendi? *honorisne* tantùm, quo in Iu-
66. dicio Christi affici possunt; an *actionis iudiciariæ*? an fortè ratione vtriusque?

Quidam hoc solum tribuunt ipsis, quod sedentis in nubibus
67. Christi iudicis, ipsi erunt Assessores: sessuri & ipsi in nubibus; quemadmodum in Iudicij imagine oculis nostris obijciunt Pictores. vt hoc honoris cum Christo in nubibus cum maiestate sedente, sint habituri commune. De hoc dubium esse non potest: iudicanti enim Christo assidebunt in Thronis quidam (qui si non Apostoli?) iuxta illud Danielis 7. *Aspiciebam donec Throni positi sunt*: & illud Ioan. in Apocal. 4. *vidi in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super Thronos viginti quatuor sedentes seniores.*

Sed tamen plus aliquid tribuendum ipsis: propterea, quòd Do-
68. minus doceat eos non super duodecim sedes tantùm *sessuros*; verùm etiam *iudicaturos* duodecim tribus; sessionemque à Iudicio distinguat: & hoc doceat nō vno, sed duobus locis, distinctisque temporibus, Matth. 19. Lucæ 22.

Et omnino distingui, ex *causa*, cur hoc honore Dominus digne-
69. tur Apostolos, colligitur. Quia enim Dominum secuti fuerunt, similesque cùm Domino molestias sustinuerunt, similia etiam docet futura præmia. Ergo cum Dominus *sessurus* sit in sede maiestatis suæ; & præterea *iudicaturus* viuos & mortuos; Apostoli quoque, & in sede maiestatis *sedebunt*; & præterea, viuorum atque mortuorum
70. erunt Iudices.

Quid quòd hîc potius *actum Iudicialem* ipsis Dominus tribuat; quàm *honoris in sedendo gradum*? Forma orationis dominicæ hoc indicat. *Participia* enim atque *supina*, si quando verbis subijciūtur, præcipuè actionem atque officium significant: verba autem præcedē-
tia-

tia quasi perambula quædam siue accessoria. Docent hæ similesque orationis formæ; *vado piscatum: eo docturus lectionem, sedeo cogitabundus, aut compositurus epistolam*, &c. Ergo eodē modo, quādo Dominus dicit, *sedebitis & vos iudicantes* &c. præcipuam Apostolorum actionem significat futuram, non *sedere*; sed *iudicare*. 71.

Idem D. Apostolus indicat 1. Corinth 6. quando docet futurum, vt Apostoli *Angelos iudicent*. Neque enim ibi per *iudicare* potest intelligi, Iudici Christo assistere: sed iudicij aliquem actum exercere. Quoniam ex iudicij actu, quem in extremo iudicio in Angelos exercebunt Apostoli, ostendit Corinthios potuisse & debuisse iudicij actus, in fratres, exercere. Et omnino, nisi de *actu iudicij* loqueretur Apostolus; nullū vel admodum leue ipsius esset aduersus Corinthios argumentum, quos voluit Iudicijs præesse & non iudicari apud Infideles. 72.

Denique vix video, quomodo bene dici posit Apostoli *iudicaturi* duodecim Tribus Israel (vt iudicaturos est certum) si quidquid functionis & muneris in iudicio sunt habituri, id totum sola assistentia absoluatur. Non ergo solum *Assessores* Iudicis Christi erunt Apostoli; *actum etiam aliquem Iudicij* exercebunt, ratione cuius iudices esse & dici debebunt.

Quem actum Iudicij exercebunt Apostoli in iudicio.

Et quis *ille actus*? Richardus de sancto Victore, Tractatu de Iudiciaria potestate, docet illum in duobus consistere: primùm in hoc, quòd conscientiarum occulta, & iudicia diuina, & retributionum qualitates manifestè penetrent, atque cognoscant: deinde quod hāc suam cognitionem alijs, qui iudicādi sunt, aperiant, ac pandant. Vnde concludit, Apostolicos viros iudicandorum quemlibet iudicare, nihil esse aliud, quàm dandæ sententiæ rationem oculis ingerere. 73. 74.

Nolo docti Authoris sententiam discutere. Quid prohibet dicamus, hoc ipso nomine dici Apostolos *Indices*; quia cum Christo iudice *sententiam sunt daturi*? quomodocunq; tandem id fiat? Cùm enim ad iudicem *propriè* pertineat, *sententia in iudicio dictio siue datio*; quicūque iudicis nomen merebitur, aut munus ipsius sunt subituri; ad eos oportet sententiæ datio quodam modo pertineat.

Et hoc poterit fieri, vel iisdem verbis, quibus supremus Iudex vtetur: vel alijs, quibus sententia supremi Iudicis confirmatur: aut certè externis signis indicari, ex quibus iudicandi intelligant, se & 75.

 Christi,

Christi,& Assessorum Iudicum sententia iudicari. Probabiliter hæc dici videntur; quid certè constitui debeat intelligemus, quando cũ senioribus populi sui Dominum de cælis venientem, videbimus, & audiemus in Nubibus tonantem.

76. *Qui verò hi Iudices futuri?* De Apostolis res dubia non est. Pro ipsis certissima est Christi, supremi Iudicis, sententia, *Sedebitis vos*, loquitur Apostolis Matth. 19 *super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* & rursus Lucæ. 22. *sedebitis super Thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Idem in persona Apostolorum loquens confirmat Doctor gentium, 1. Corinth. 6. *Nescitis*, inquit, *quoniam Angelos iudicabimus.*

An præter Apostolos, alij cum Christo futuri iudices.

77. Sed *soline* Apostoli, cum Domino, iudices futuri? an præter Apostolos alij? & qui? Solos Apostolos existimat Richardus Victorinus Tract. de potestate iuridiciaria. Plerique præter Apostolos admittunt alios. Et his alij adijciunt sanctos, Ecclesiæ censura canonizatos: alij perpetuam voluntariam in Religione professos: alij omnes eos, qui in hac vita perfectiorem virtutis gradum sunt assecuti, & ad altiorem gloriæ gradum in futura vita sunt promouendi. Nos quãtum Scriptura, & ratione assequi possumus; iudicamus, saluo cuique suo iudicio.

An Sancti ab Ecclesia canonizati sint futuri Iudices.

78. Non probatur eorum sententia; qui ab Ecclesia *canonizatos*, ad hanc amplissimi muneris partem peruenturos volunt, vt vna cum Christo iudicent. Cùm enim munus hoc propter singularia quædã merita Dominus quibusdam significet conferendum; quomodo tribui potest omnibus Sanctis canonizatis? cum horum quidam esse possint, quorum non ita excellentia merita? vt pro multis sunt Innocentes pro Christo occisi.

79. Sed & multis canonizatis multi non canonizati sunt meliores & feliciores; adeoque ad altiorem gloriæ gradum prouecti. An & hos *omnes* dicemus futuros Iudices? Vt *omnes* dicamus; non permittit ratio: vt tamen illi hac iudiciaria functione præ minus sanctis careant, non permittit æquitas.

An futuri cum Christo Iudices professi voluntariam paupertatem.

80. Qui *voluntariam paupertatem* professis hoc tribuunt priuilegium, plures sunt scholastici Doctores: & pro sua sententia certant ingenti classe patrum & pondere item rationum non leuium.

81. Patres sunt, Nazianzenus in oratione aduersus Iulianum Apostatam, vbi inter cæteras multas Monachorum laudes, hanc etiam inserit;

ferit; quod ipsorum sit *sedere super Thronos*. Augustinus, qui Epistola 89. q. 4. sic habet. *Tales sunt* (qui, scilicet, tam grãdo consilium Domini de rebus suis vendendis acceperunt) *qualibus Dominus dicit: Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel. & de qualibus Apostolus: Nescitis quia Angelos iudicabimus.* Gregorius, qui sępius idem confirmat. Nam lib. 10. Moralium ita habet; *Quisquis stimulo amoris diuini excitatus, hic possessa reliquerit; illic procul dubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit; vt simul tunc Iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicij sese spontanea paupertate castigat.* Libro verò 20. Moral. cap. 16. de sapiente stultitia agens, sic loquitur: *Hanc, inquit, stultitiam, qui perfectè secuti fuerunt; voce Sapientiæ audire meruerunt; Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim. Ecce relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ sunt consecuti.* Beda, qui illud Domini promissum, *Sedebitis* &c. tractans, inter alia sic habet: *Sciendum omnes, qui ad exemplum Apostolorum omnia sua reliquerunt, & secuti sunt Christum, Iudices cum eo venturos, sicut etiam omne mortalium genus ab eo est iudicandum.* Anselmus, qui in Epistola 10. sic scribit: *Dominus consulit ad perfectionẽ nitentibus vt omnia relinquant, & se sequatur: Ipse omnia relinquentibus & se sequentibus promittit; quia sedebunt cum illo, in iudicio iudicantes duodecim tribus Israel.* Bernardus, cuius hæc est sententia. *Felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequentium te, Domine Iesu; quia paratos sibi sedes: tota libertate spiritus, sine vlla cunctatione conscendent.* Omitto Scholasticos.

Videntur autem omnes optima ratione niti. Nam, vt ipsa Domini Saluatoris promissio indicat, causa, cur hæc gloria & hæc potestas Apostolis tribueretur, ea fuit; quod omnia reliquissent, & secuti fuissent eum. Igitur quicunque idem fecerint; vt omnibus diuitijs, & diuitiarum spe, ac cupiditate relicta, Christi scholæ sese dediderint, ijs idem præmium eademque merces debebitur. Nam quod illi *præsentem*; hi verò *absentem* Christum secuti sint; id non modo nihil imminuit de fidei præstantia; sed addit potius. Multa enim illi habuere incitamenta, quibus nos caremus; vt præsentia miracula visci ipso percepta: vt consuetudinem & familiaritatem; vt etiam doctrinæ dulcedinem: de qua omnium nomine dixit Petrus, Ioan. 5. *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes.* 82.

Neque etiam de merito quicquã adimit, quod illi *Christo* se subiecerint; nos *alteri homini*, Christi loco: quoniam tunc quoque qui hoc facit, Christo se subijcit, quem in hominis persona agnoscit, & veneratur. Atque hoc ipsum fortassè, si fidem spectemus, maius est, non modo principi per se aliquid imperanti obedire; sed eius etiã 83.

ministris & præconibus,& quidem infimis,eius nomine iubẽtibus.
84. Quare etiamsi sine dubio,hoc,quodcunque est, maiore ab illis virtute,& charitate peractum est,quibus primitiæ spiritus sunt tributæ; tamen si factum respiciamus, idem est, quod nos facimus,ac quod illi fecerunt:idem finis; idem vtriusque propositum: vt sanè D. Bernardus non dubitarit, illa de se ac nobis omnibus magnificè prædicare: *Apostolicam nos*, inquit, *vitam professi sumus, Apostolicæ professioni nomina dedimus vniuersi.*
85. Meritò verò hoc præmij genus *paupertatem* professis tribuitur. Cùm enim in paupertate duo sint incommoda; primum humilitas & abiectio: deinde etiam multorum malorum perpesio; optimè à Domino est institutum, vt pro laboribus *sessio*, pro contemptu *celsitudo* tantæ potestatis redderetur. Hanc rationem habet Bernardus, serm. *Ecce nos reliquimus.*
86. Multùm hæc pro voluntariam paupertatem professis faciunt. Sed tamen si *solius paupertatis* professæ ratio esset habenda; dubitauerit quis, non immeritò, vtrum *Omnes* hi pauperes ad hoc honoris fastigium sint admittẽdi. Quid enim si quidam illorum sint imperfectiores? quid si quidam ipsorum in beatitudine gradum infimum obtineant? An Apostolis in Iudiciaria erunt dignitate æquãdi?
87. Huius igitur sententiæ studiosi, non quosuis ad hoc Iudicij Tribunal admittunt, qui paupertatem vltrò susceperunt, diuitijs omnibus propter Christum abdicatis; sed perfectos tantùm: qui, scilicet, post rerum temporalium abdicationem, ad eam viuendi peruenerunt rationem, vt Christi vestigijs videantur insistere; illúque quantum per humanam fragilitatem fieri potest, exactius sequi. quæ *duo* etiam Dominus in his Iudicibus videtur requirere, quãdo dixit. *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis.* & S. Bernardus, serm. *Ecce nos reliqui Perfectorum*, inquit, *est gloria singularis, inter ipsos etiam eminere fideles, & cæteris quoq; saluandis præeminere authoritate Iudiciariæ potestatis.*

An perfecti cum Christo iudices sint futuri.

88. Horum secundorum sententiam, si ita interpreteris, non multum illa videtur distare à tertiorum, qui Christo Iudices adiungunt eos, *qui in hac vita perfectiorem gradum virtutis sunt consecuti*, & ad altiorem gloriæ gradũ in futura sunt promouendi. Quæ sententia fortè nõ minus quàm præcedens probabilis. Certè pro hac videtur esse B. Hieronymus Epist. 28. vbi omnibus viris perfectis dicit hanc esse factam

factam promissionem. Idem hoc Martyribus promittit, *quia*, inquit, vno *actu perfectionem sunt assecuti.*

Videtur & hanc probare S. Gregorius, 26. Moral. cap. 20. *Qui*, inquit, *precepta legis perfectione virtutum transcendunt: qui nequaquam hoc solum, quod diuina lex præcipit, implere contenti sunt; sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quàm præceptis generalibus audire potuerunt; hi in extremo Iudicio non iudicantur, sed regnant: quia cum auctore suo etiam Iudices veniunt.* 89.

Probat quoque Anselmus. Sic enim loquitur in Elucidario. *Vnus est ordo Perfectorum cum Deo iudicantium.* In quo ordine postea enumerat, *Apostolos, Martyres, Confessores, Monachos, Virgines*, sentiens ex omni statu posse esse Iudices; si in eo perfectionem assequantur. 90.

Hęc sententia, quamuis probabilis sit, vt prior illa; & à priore vix differre videatur, differt tamen hoc; quòd non necesse est hos omnes voluntariam paupertatem esse professos, quamuis animum diuitijs non debent adiecisse, & perfectionis studio illas anteposuisse. 91.

Quantam autem horum perfectionem esse oportet? Nouit id Retributor omnium Deus; atque viuorum mortuorumque Iudex supremus. Hoc nos dicere posse videmur, requiri magnam ac diuturnam vitæ puritatem: perfectam sui abnegationem; ác Christi sequelam siue imitationem excellentiorem. Richardus Victorinus (Tract. de Iudiciaria potest.) requirit, vt hi futuri Iudices, *corda in omnem veritatem edocta* habeant, ac *diuina contemplatione singulariter illustrata.* Addit Abulensis, præter hęc requiri, *vt iustitiam alios docuerint.* 92.

Probabiliter hæc omnia dicuntur, nec possunt aut debent facilè contemni, propter grauissimorum hominum authoritatem. Si tamen non tam Authorum; quàm solarum Scripturarum sacrarum ratio esset habenda; non ita absurda videri posset Richardi Victorini opinio; qui *solis Apostolis* priuilegium hoc, vt cum Christo sint Iudices, putat tribuendum. 93.

Neque enim Dominus vnquam, aut voluntariam paupertatem professis, aut quibuscunque alijs perfectis hoc tribuit. Quocirca nec ijs tribuendum: pręsertim cùm in hac re definienda, non nisi *sola Domini voluntate* niti possimus; vt qui hic non *simpliciter* meritorum rationem habuisse credi debeat. 94.

Quid

95. Quid, quod voluntariam paupertatem professos exclusisse videtur? Apostolis enim interrogantibus, quid mercedis essent expectaturi; qui *omnia reliquissent, & ipsum essent secuti*; ipsis quidem Apostolis hanc spem fecit, *quod sint iudicaturi duodecim tribus Israel*: at qui ipsorum exemplo omnia reliquissent, promittit quidem *centuplum & vitam aternam*; sed non, quod *in Thronis sessuri, & iudicaturi*
96. *Tribus Israel.*

Dices *centuplum* promitti ijs, qui *omnia reliquerunt*: ac non quod sint futuri Iudices: hoc posterius tum ijs tribuendum, si Dominum *sequatur*, postquam *reliquerunt omnia*. Sed, quis ignorat etiam *Dominum sequi* eos, qui propter Dominum omnia relinquunt? De Domino enim illud intelligitur, *Reliqui domum meam: di m si hareditatem me-*
97. *am*. Ierem. 12.

Præterea, possunt mali esse (non dubito omnium sententia) qui & *omnia reliquerint*, propter Christum, & *Domini vestigia sint ingressi*; quibus tamen non omnes hoc priuilegium Iudiciariæ potestatis velint concedere. Variæ enim sunt *viæ Domini*; quemadmodum & variæ ad cælestia regna. An quicunque *quascunq;* ingrediuntur, erunt iudices? Et in vijs Domini etiam difficilioribus, quidam currunt, quidam ambulant, quidam vix repunt, quidam ex necessitate persistendi in via, faciunt virtutem: & hi omnes æqualiter iudicabunt.

98. *Apostolos solos* Domini oratione esse comprehensos, multis modis videtur esse certum. Primum enim ad *solos Apostolos* est sermo, & Matth. 19 & Lucæ 13. Sic qui dicebat, 1. Corinth. 6. *An ignoratis, quia Angelos iudicabimus*; & Apostolus erat, & de solis loquebatur Apostolis.

99. Idem iudicat dictiones *Vobis & vos. Amen*, inquit Dominus, *dico vobis, vos qui reliquistis omnia* (Si enim omnes qui relinquētes omnia Christum sequuntur; complecti Dominus voluisset; non illa, sed alia quæ & Apostolos includeret, & alios non excluderet, oratione fuisset vsus: dixisset *Amen dico vobis, Quod quicunq; reliquerint omnia, & secuti me fuerint, sedebunt super sedes, iudicaturi duodecim tribus Israel.*

100. *Duodecim* etiam *sedes* arguunt de Apostolis tantum fieri mentionem. Nempe, quia ad duodecim (quod erant præsentes Apostoli) sermonem dirigebat Dominus, & quia eos significare voluit futuros Iudices, non nisi duodecim sedium mentionem fecisse videtur. quanquam nec omnes illi essent iudicaturi (non enim iudicaturus Iudas) nec iudicaturi soli; (quia cum illis & Paulus & Matthias & Barnabas) &c.

Dein-

Deinde, quid si Domino tum temporis non Apostolos solùm, verum etiam discipulos (si non omnes saltem aliquos) adfuisse dicamus? Admodum hoc est verisimile. & verisimile illud, quod à Domino ad promissionem Apostolis factã (Et omnis &c.) additur ad discipulos pertinere. Quamuis enim eorum *multi abierunt retrò, & non iam cum Christo ambulabant*, vt dicitur Ioan. 6. non tamen omnes. Ergo si non solos Apostolos Dominus designauit Iudices, profectò plures, quam duodecim, pro 12. Apostolis constituere sedes debuit: præsertim cuiusque pro iudicibus Apostolis ratio affertur, in discipulis etiam locum habeat. Ad discipulos enim pertinet illud Christi, Matth. 16. *Abneget semetipsum, tollat Crucem, & sequatur me.* & illud Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* 101.

Accedit illa quoq; pro Apostolis ratio, quod vt humani generis redēptio propriũ fuit Christi opus, propriusque labor: (quippe qui *Pater* vocetur *futuri seculi*) sic etiã eius proprium fuit iudicandi munus ac dignitas (*quia Pater non iudicat quemquã, sed omne iudiciũ dedit Filio.*) Sed tamen quoniam ita visum est Domino, in tantis muneris societatem Apostolos quoq; adsciscere, idq; non *quocunq; modo*; sed eadem paupertate, eadem humilitate, & aduersarum rerum tolerantia, quam Christus ipse, dum viueret, tenuit: nimirum diuinę illius tum bonitatis fuit, tum etiam cuiusdam æquitatis; vt quibuscum Apostolis laborem, cum ijsdem quoque communicaret honorem. 102.

Præterea & hoc nomine potestas Iudiciaria *Apostolis* tributa videtur; quod *illi* missi sint diuini verbi pręcones; singuli in *vniuersum orbem*; non in orbis partem aliquam; ideoque in *omnes* potestatem quandam accepisse videantur. Quocirca & in iudicio, dum Iudices assumuntur, in sibi quodam modo subiectos potestate vtuntur. quod quia præter Apostolos de alijs dici non potest; de illis solis dicendum, quod extrema die Iudices futuri. 103.

Sequela igitur illa, cui hoc priuilegium *Iudiciariæ potestatis*, ex parte, tributum est; non *qualiscunq;* est; sed qua *primi* Dominum vocantem sunt secuti; socij futuri *omnium molestiarum atq; laborum*, quaque *cæteris omnibus* exemplo erant præituri. Hoc enim, quemadmodum *singularis virtutis* fuit opus; ita singulari priuilegio fuit compēsandum. Atque hoc modo esset responsum rationi, quæ pro alijs cōtra Richardum afferebatur. 104.

Iniuriam fortè quibusdam videbitur facere Richardi sententia, quorum aut paria, aut etiam maiora sunt, quam Apostolorum, 105.

lorum, merita. Quæri poteſt præterea beatiſsimo Paulo; an nullus in Iudicio illo locus? qui ex numero duodecim non fuit, & *tamen ſe Angelos dixit iudicaturum*? Et nullus Barnabæ, qui & ipſe in Apoſtolorum videtur aſſumptus coloniam? Act. 11. Nullus B. Virgini? ſanctiſſimis Patriarchis? Ioanni Baptiſtæ? &c.

106\. Non negandum, quin quorundam merita Apoſtolorum æquent, aut etiam excedant. De Virgine Matre res eſt certa, quæ *ſuper omnes Angelorum choros exaltata* dicitur: Sed tamen nulla his fiet iniuria; quia ſuperabundantem retributionem accepturi ſunt omnium ſuorum meritorum, quicũque Deo piè fideliterque ſeruierunt, quãuis ad hanc Iudiciariam dignitatem non admittantur. Acceſſorium eſt hoc iudiciale prȩmium; pro voluntate Dei, abſque vllius iniuria confertur, cuicunque Deus voluerit collatum. *eſſentiale*, quod ſingulorum meritis redditur, iuſtitiæ æquitatiſque legibus reſpondebit.

107\. B. Paulum non excluderent, quemadmodum nec Barnabam aut Matthiam ab hac Iudiciaria dignitate, qui Richardi ſententiam ſuſciperent defendendam: quoniam nec excluduntur à conſortio, & claſſe Apoſtolorum; quamuis in *duodecim numero* nõ fuerint; cùm Apoſtolis illos *duodecim ſedes*, Iudiciariamque poteſtatem promitteret Dominus.

An quidam homines ſedes cum Chriſto ſint habituri in Iudicio, non tamen cum Chriſto iudicaturi.

108\. Quid verò de alijs, quibuſdam excellẽtis ſanctitatis hominibus? Virgine Matre? Ioanne Baptiſta? *Sedes* quidem illi in iudicio ſunt habituri; veruntamen non quemadmodũ Apoſtoli, iudicaturi (quãuis iudicis ſententiam probaturi.) Omnino enim *duo* hominum ordines in iudicio illo, cum Chriſto iudice, videntur in Thronis cæleſtibus conſtituendi: quorum alij iudici aſsidebunt tantum; alij, præter hoc, etiam iudicabunt. Et iudicabunt quidam cum Domino, vt diximus, Apoſtoli; aſsidebunt B. Virgo, alijque eximiæ ſanctitatis homines, ſiue veteris Teſtamenti illi fuerint, ſiue noui.

109\. Non omnino hȩc ſine ſcripturȩ, & rationis fundamento dicitur. Etenim Scriptura *plures ſedes* in iudicio conſtituit, quã *Iudices*. Iudices plures non ſignificat futuros, quam Apoſtolos: ſedes plures, quã qui ſint pro duodecim Apoſtolis, tradit fore Ioannes, in ſua Apocalypſi, vbi viginti quatuor enumerat, cap. 4. pro viginti quatuor ſenioribus, cum quibus Dominus ad iudicium creditur venturus, ſecundum illud Iſaiæ, 7. *veniet ad iudicium Dominus cum ſenioribus populi.*

110\. Nec eſt, quod quis *duodecim illas*, Matth. 19. *ſedes* his viginti quatuor

tuor opponat. Duodecim ibi nominãtur; non quia nõ futuri plures, (Nam & Paulus habiturus sedem) sed quia *duodecim* Apostolis Dominus loquebatur, quibus quia Dominum *secuti fuerant*, & propter Dominum *omnia reliquerant*, cùm sedes in Iudicio essent assignandæ; non plures; quàm *duodecim* erant tribuendæ; quasi etiam Iudas sessurus esset: non quod putaret sessurum; sed quod si in officio perstitisset, sicut alij, sessurus fuisset. Loquitur enim Christus *secundùm præsentem iustitiam*, vt Theologi loquuntur: & non tam de personis, quàm de personarum statu: quasi dicat, *Apostolorum officium* hoc habere propositum præmium; vt qui eo bene functus fuerit, super *sedem in Iudicio sessurus sit, & cæteros iudicaturus.*

Et ratio pro his *Assessoribus* quoq; (qui tamen Iudices non erunt) militat. Quis dubitabit, quin *sedem suam*, in tanta filij maiestate habitura sit Regina cælorum, Domini mater? quin habiturus, quo nõ maior inter natos mulierum, Christi præcursor & Baptista? Moyses, qui Iudæos, in illa die, dicitur accusaturus? Ioan. 5. Sanctissimi Veteris Testamenti Patriarchæ? alij etiam, quos propter perfectioris vitæ studium, quidam voluerunt esse Iudices? plerique, qui cum Christo in suis corporibus de cælo ad Iudicium descendent? 111.

Hæc, vt videtur, pro Richardi sententia probabiliter dicuntur: sicut & priora, pro aliorum sententia probabiliter. Certa intelligemus, quando Iudices, in illa die, intuebimur. De Apostolis nullum dubium. vnde & de illis Ecclesia, 112.

Vos secli iusti Iudices,
Et vera mundi lumina:
Votis precamur cordium,
Audite preces supplicum.

Sed quorum erunt Iudices Apostoli? Et hoc est definiendum antequam Capiti finem imponamus.

Quorum nam Iudices Apostoli sunt futuri, an tantum duodecim Tribuum Filiorum Israel.

Quorum ergo futuri Iudices Apostoli? Christus illorum iudicio videtur tantù subijcere *duodecim Tribus Israel. Sedebitis*, inquit Matth. 19. *super duodecim sedes iudicantes duodecim tribus Israel.* Et Lucæ 22. *Dispono vobis Regnum, vt sedeatis super Thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* 113.

§ Sed hic duplex oritur difficultas. Prior, An decima tertia Tribus, Leui inquam, non sit iudicanda; hæc enim in numero duodecim Tribuum non numeratur. Altera, An tribus Iudæ tantum iudicabuntur ab Apostolis, non verò gentes, non Christiani, non Angeli? 114

115. Pro prioris difficultatis solutione obseruandum est, quod à duodecim Tribuum Israel numero Tribus Leui quandoque excluditur; quandoque in earum numero illa continetur. Excluditur; quando duo Filij Ioseph duas Tribus constituunt; & nihilominus duodecim Tribus dicuntur continetur; quando Ioseph per se (quemadmodum sui fratres) vnam Tribum constituit; tum enim pro numero duodecim fratrum Patriarcharum, duodecim constituuntur Tribus: atque his duodecim Tribubus, duodecim lapides in pectorali summi Sacerdotis respondent. Dum igitur Apostoli dicuntur *iudicaturi duodecim Tribus Israel*; aut vnam Tribum constituit Ioseph, atque ita Leui non excluditur; aut si duas constituit, in duobus filijs, Ephraim & Manasse, Leui quidem per se Tribum non constituit; sed tamen Apostolorum Iudicium non euadet; quod *duodecim Tribuum* nomine omnes omnino Iudæi intelligantur, phrasi in Scripturis receptissima.

116. *Tribus* autem *has duodecim*, id est, Iudæorum gentem, non solùm iudicabunt Apostoli; quia nec has solum iudicabit Dominus, cum quo iudicaturi sunt Apostoli. Omnes manifestari oportet ante Tribunal Domini, diximus superius. Et quia pro Tribunali, cum Christo, sedebunt Apostoli, *omnes* Apostolorum iudicium subibunt. Sed & Apostolus apertè significat per Apostolos & *mundum*, & *Angelos* iudicandos, 1. Corinth. 6. Quocirca nō probatur sententia Theophilacti & Euthymij; qui existimant Apostolos solos esse Iudæos iudicaturos.

117. Quid igitur est, quod *duodecim Tribus* tantum dicuntur iudicandę ab Apostolis; si non duodecim tantum Tribus, sed vniuersus mūdus per ipsos est iudicandus? Quæro ego vicissim; Quid est, quod duodecim tantùm dicūtur iudicaturi, & *super duodecim sedes sessuri*; cū tamē plures, quā duodecim, sint iudicaturi? Dico ergo, quia duodecim præsentib⁹ loquebatur Apostolis; docet duodecim iudicaturos. Sic quia in Iudæa inter Israelitas illi versabantur, Tribus duodecim Israel dicuntur iudicaturi. Sicut igitur per hoc non excluduntur alij iudices, quia *duodecim* dicuntur futuri iudices Apostoli; ita non excluduntur alij iudicandi; quamuis *duodecim* Tribus dicantur iudicandæ.

118. Alia etiam est ratio, cur *duodecim Tribus* nominauerit. quia, scilicet, gentes, quæ Euangelio crediderunt, quasi in populum Iudaicū insertæ sunt, & veluti ciuitate donatæ; vt non iam gentes, sed Iudæi, id est, confitētes, credentesque appellarentur, in duodecim Tribus cooptatæ,

cooptatæ; ſicut diſputat D. Paulus ad Roma. 11. *Cùm oleaſter*, inquit, *eſſes, id eſt, gentilis; inſertus es in illis, id eſt, in populum Iudaicum*. & rurſus, *fracti ſunt rami, vt ego inſerior*, id eſt, Iudæi, nó credentes gentiles reputati ſunt; ego gentilis cùm eſſem, credendo Iudæus factus ſum. Hæc eadem eſt cauſa, cur D. Iohannes in Apocalypſi omnium prædeſtinatorum numerum ad *duodecim Tribus Iſrael* reuocarit. *Ex Tribu*, inquit, *Iuda, duodecim millia ſignati*, cap. 7. & in portis cæleſtis Hieruſalé, quam cap. 21. deſcribit, *nomina duodecim Tribuum Iſrael ſcripta ſe vidiſſe dixerit*.

Dici & illud poteſt gentium nullam, ſed *Tribuum Iuda* tantum factam mentionem, quod túm temporis exiſtimare potuerunt Apoſtoli, nihil ad ſe Gentes pertinere: vt quibus dictum à Domino, *ne in viam gentium irent*; quemadmodum nec ad gentes declinabat Dominus, ſed apud oues domus Iſrael, quæ perierant, ſe continebat; quibus & ſe miſſum aiebat. Itaque potuiſſent, neſcio, quæ cogitationes in Apoſtolorum cordibus aſcendere, ſi *gentium* quoque, & non tantum *Tribuum Iſrael* ipſos iudices eſſe futuros dixiſſet. 119.

Quod ſi etiam de *Iudicio comparationis* Dominum locutum eſſe, cum B. Chryſoſtomo, dicamus (quamuis præter hoc aliud etiam Apoſtolis conuenit) profectò Gentium mentionem non debuit feciſſe. cùm Apoſtolorum in ſequendo Chriſto ſtudium, & rerum omnium pro Chriſto abdicatio, non Gentes, ſed Iudæos debeat confundere; vt qui, quamuis eadem argumenta cum Apoſtolis in Chriſto viderint, & obſeruarint, tantum tamen abeſt, vt Chriſto cum Apoſtolis adhęſerint; vt etiam grauiſsimè oppugnarint, & perſecuti ſunt. Iudicaturi ergo dicētur duodecim Tribus, quia has ſpeciali quadam ratione iudicabunt, eo, quem iam diximus, modo. 120.



pluris: vbi bestia & pseudopropheta cruciabitur die & nocte in secula seculorum.

Et cum in iudicio illo comparituri sint, Omnes cælestis curiæ incolæ; omnes item mortales, quicunque fuerunt à mundo condito; quidni comparebunt & Spiritus nequam? vt ita totus mundus suo sistatur creatori? vt sic verum fiat, quod dicitur, Rom. 14. *Mihi curuabitur omne genu?* 5.

Scimus potissimum propter humanum genus hoc iudicium esse institutum: sed quia ad huius salutē cooperati sunt Angeli boni, & ipsi in Iudicio erunt præsentes: vt fructum suorū laborum etiam hinc aliquem consequantur. Comparebunt ergo & *mali*, qui salutē hominum, quantum potuerunt, conati sunt impedire: vt, scilicet, quemadmodum illi ob virtutis studium voluptatem capiunt, ita hi ob voluntatem, quam habuerunt, hominibus nocendi, confundantur. 6.

Ad ipsos quoque hoc Iudicium pertinebit: ipsorum ibi agetur causa: quamuis ab orbe condito, & sententiam condemnationis acceperint, & pœnas ferant. Non hoc obstat: quemadmodum nec bonis Angelis, atque hominibus illud, quod sua istis sententia constet, & quæ iam experiuntur, tormenta vel præmia. 7.

Nec ipsi Dæmones ignorarunt hoc in Iudicio se comparituros: 8.
nō ignorarunt secundò iudicis sententiā se subituros. Produnt hoc illi, de quibus Marci 1. quorum hæc est oratio, *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos.* Perditionem enim, de qua loquuntur, Iudicium intelligunt; vt non male exponit Glossa: cuius tempus nondum aduenisse docere volebant, quando à Christo ex humanis corporibus eijciebantur.

Qui nam Dæmones in iudicio sint comparituri.

Qui verò comparebunt? De *supremo* dubium non est. De illo loquitur S. Ioannes. 20. cap. suæ Apocalyp. quando dicit *Diabolum mittendum in stagnum ignis & sulphuris.* Notarunt enim plerique *Diaboli* nomine principem Dæmonum significari: vnde & in *plurali numero* nunquam in Scripturis sacris inuenitur. Hinc & illum per quem seducti primi sunt parentes, & tentatus in deserto Christus, principem Dæmonum intelligunt. Pro his videtur facere Christi oratio, quando docet maledictos mittendos in ignem æternum, *qui paratus sit Diabolo* (principi Dæmonum) *& Angelis ipsius.* 9.

Sic nec dubium de *multis alijs*. Quia plurium meminerunt Apostoli Petrus, Paulus atque Iudas. Petrus eorum, qui *rudentibus inferni sunt detracti*: Paulus eorum, quos ab *Apostolis dixit iudicandos*: 10.

Iudas

bus comparantur? de quorum vno Iob, *quod sternutatio eius splendor ignis: oculi eius, vt palpebræ diluculi: de ore cuius lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ: de cuius naribus procedit fumus, sicut ollæ succensæ atq; feruentis. cuius halitus prunas facit ardere.*

In hac vita, sub varijs figuris leguntur apparuisse in assumptis 15.
corporibus. Sub brutorum animantium; equorum, murium, serpẽtum, leonum, luporum, scorpionũ, pardorum, boum, auium, arietum: Monstrorum, item variorum; quemadmodum pluribus exemplis docet liber noster de locis Infestis: vtrum sub talibus in Iudicio sint apparituri non facilè quis dixerit. hoc vere dici posse videtur apparituros ea forma, quæ & ipsis confusionem, & alijs horrorem, atque detestationem sit allatura.

Quod munus & officium Dæmonum in Iudicio.

Dæmonum etiam in iudicio *munus atq; officium* explicemus. Ergo 16.
quod illud? A'ij ipsis imponunt, quod hominum damnatorum reliquias & cineres sint collecturi; quemadmodum hoc officij genus tribuunt bonis Angelis in bonorum, & beandorum cineribus colligendis. Verùm superius docuimus, quod quemadmodum totum iudicium est Christi Domini, ita quæcunque ad mortuorum (qui in iudicio comparebunt) pertinent Resurrectionem, per suos *administratorios Spiritus*, id est, bonos Angelos, non Spiritus nequam perfecturus sit.

17.
Sunt qui volunt ipsis tribui, vt iam ad vitam excitatos damnatos ad Iudicis Tribunal vel cogant, vel vehant, vel trahant: quod officij genus plerique Pictores exprimunt in extremi Iudicij imagine. Sed vel ibi vectoribus atque impulsoribus portatoribusque opus non erit (si eo, quod iudicium exercebitur, loco, mortui corporibus restituantur) vel si disitis restituantur, non video, cur quẽadmodum bonorum Angelorum opera corpora recipiunt, nó possint iam incorporati ad locum Iudicij cogi.

Quidam volunt in Iudicio comparituros; vt malè factorum pœ- 18.
nas accipiant. Existimant enim Dæmones nondum Infernalem ignem experiri; quemadmodum nec ante Christi in terras primum aduentum, sciuisse etiam se perpetuos ignes æternamque damnationem manere: & hoc cognouisse Christi oratione; pœnas verò subituras primum illo Iudicij die. Sentit ita Iustinus in Dialogo cum Triphone: quem refert & sequitur Irenæus, lib. 5. contra Hæreses, cap. 33. & vtriusque sententiam refert & approbat Eusebius, lib. 4. Histo. cap. 17. & Nicephorus, lib. 4. cap. 6. Verùm nullo modo hoc nunc sentiendum. Mox à peccato perpetrato sua ipsos sunt conse-

res, Aduocati. An hi quoque in extremo illo, quod legitimum, iustissimumque erit, inuenientur.

2. Futuros enim *Accusatores* videtur docere Dominus, Ioan. 5. vbi dicit Moysen accusaturum Iudæos. *Nolite putare*, inquit, *quia ego accusaturus sum vos, apud Patrem. Est qui accusat vos Moyses, in quo speratis.* Et Maldonatus noster in 19. cap. Matth. hoc modo dicit iudicaturos Apostolos, id est, *accusaturos*, si eos, qui Euangelium prædicantibus non crediderunt, in nouo Testamento; quemadmodum Moyses accusaturus Iudæos veteris Testamenti, quod legem non seruarint. Plures Accusatores producit S. Bernardus, in libro de interiori domo, cap. 38. vel Hugo de S. Victore, lib. 3. de anima, cap. 23. *Ipse*, inquit, *Iudex erit districtus Accusator tuus. Omnes etiam Spiritus boni & mali coram Deo te accusabunt. Boni, quia Deo debent æquitatem. Mali, quia tuam seruant iniquitatem. Tot arguentibus confunderis, quot tibi præbuerunt bene viuendi exemplum. Tot conuinceris Testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus, & iustis actionibus.* Et paulo post. *Tu ipse eris Accusator & Iudex tuus.*

Pro *Testibus* sunt iidem Accusatores Apostoli, secundum Maldonatum, vnde & vocat *Testes accusantes*. Sed & Dominus ipse hic Testem aget, *Ego sum*, inquit Dominus, Ierem. 29. *Iudex & Testis.* & Malach. 3. *Et accedam*, inquit, *ad vos in Iudicio, & ero Testis velox maleficis, & adulteris, & periuris.* Plures producit iam dictus Bernardus. *Tot*, inquit, conuinceris *Testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus, & iustis actionibus.* & paulo post. *Iudex tuus eris, conuictus Teste propria consciẽtia, & Testibus oculis ipsius Iudicis.* 3.

Aduocatos, & qui miserorum causam agãt, videntur Pictores polliceri, in Christo iudici appingunt, à dextris Virginem Matrem; à sinistris S. Baptistam: vtrumque supplicem, & delicti quasi veniam, leuiusque Iudicium precantem, miseris iudicandis. 4.

An in Iudicio extremo Aduocati miserorum dabuntur.

Sed tamen (de *Aduocatis* primum dicamus) nullos *aduocatos*, aut patronos habituri sunt iudicandi. Nullus est futurus, qui miserorũ in se causam suscipiat. Scripsit quidam 5.

Quis orabit pro delicto?
Quis spondebit pro conuicto?
Quis in iudicio tam stricto
fiet in præsidium?

Et alius.

Quid sum miser tunc dicturus,
Quem Patronum rogaturus,
Dum vix iustus est securus?

Tantum abest, vt vllius miserorum miseria aliquis, etiam ex beatis sit commotionen ius; vt gauisuri sint cùm videbunt vindictam, secundum illud, Psal. 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam*, Imo *lauabit manus in sanguine peccatoris.*

 Itaque

tamen sua nihil obtinent. quemadmodum sua intercessione apud Deum pro Iudæorum gente,nihil obtinuissent Noe, Daniel & Iob. Ezech 14 quamuis etiam plurimum Deo supplicassent.

10. Dant quidam picturæ huius aliam causam. Volunt hac, summas illius diei angustias iudicari; vt in quo etiam qui Sanctissimi habẽtur,timore & trepidatione sint occupandi. Vtrum hoc olim huius picturæ auctoribus propositum fuerit, dubito : certum est, illius diei magnas futuras angustias.

Dies iræ,dies illa,
Soluet seclum in fauilla
Teste Dauid cum Sibylla.
Mors stupebit & natura,
Cùm resurget creatura,
Iudicanti responsura.

An,qui,& quomodo Accusatores in extremo Iudicio inuenientur.

11. Hoc de Aduocatis. *Erunt Accusatores*? Erunt & multi, & graues. Maldonatus prout duodecim Apostolos;Bernardus Christum,omnes Angelos, omnes Dæmones, omnes denique homines, qui vel verbo,vel exemplo benè agendi occasionem damnatis præbuerũt. Verùm in hisce vnum atque alterum notandum.

12. Primum est, *Accusatoris* nomen non ita *propriè* Christo conuenire.Cùm enim Accusator in Iudicio *surgat* contra Reum,& à Iudice, contra Reum petat sententiam;oportet aliam personam ipse gerat à Iudice.At in Iudicio hoc Iudex Christus est.Ergo *accusare* dicetur Christus,hoc forsitan nomine;quia Reos ipse de rebus pessimè gestis est arguturus.

13. Secundum est;quod quamuis omnes reliqui, qui in Accusatorũ numero recẽsentur,possint quodam modo Accusatores dici,in aliquos tamen *magis propriè* hoc nomen conueniat : illos, scilicet, qui miseris verbo & exemplo melioris vitæ authores esse voluerunt,& tamen nihil profecerunt.Hinc est, quod Dominus, non quoscunq; Accusatores proferat contra Iudæos,*sed Moysen*;cuius illi libros habebant;& in quo spem ponebant , & qui ipsis singularis à Deo dux esset datus,& doctor.

14. Tertium est;Accusationem hanc non *verbotenus* esse peragendã, forensi more.Quando enim Iudicij esset futurus finis? vbi tot iudicandi?tot accusatores?tot causæ discutiendæ? Peragetur *silentio*, tacita singulorum conscientia,& accusare videtur. Accusatores; quia quasi suggerent Iudici & quasi vrgebũt iustissimam , quam daturus est in maledictos sententiam; illam,qua perpetuis ignibus excruciandi addicuntur.

 Quod

15. Quod de Accusatoribus dictum, idem de *Testibus* sentiendum. Et hi multi erunt & graues: & præ alijs alij magis hoc nomen merebûtur: & præterea tacita conscientia testimonium dabunt. Hoc hic addendum; quod testimonium etiam præbere possit propria cuiusque conscientia, atque adeò Iudex ipse. Hinc de se Dominus ipse, Malach. 3. *Et accedam ad vos in Iudicio, & ero Testis velox maleficis, & adulteris, & periuris.* quasi dicat: *Ipse ego & Iudex ero & Testis: quia nihil horum, quæ homines faciunt, me latet, & ideo sicut per Testes solent iudicare homines, ita ego ex ijs, quæ per meipsum noui, iudicabo.* Ita ferè B. Hieronymus: & apertius Theodoretus & Augustinus, lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 26. Vbi etiam notat Christum dici *Testem velocem*, quia sine prolixitate sermonis, conscientias conuincet: reuocans sine mora in memoriam, vnde illos conuincat & puniat.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

De Iudicij materia & Causis, quas Christus in Iudiciaria Apparitione est discussurus: Inquiritur,

Iudices,

IVdices, Assessores, Accusatores, Reos, Testes, in Christi 1.
Iudiciaria Apparitione dedimus, & cognouimus: *Causas* oportet etiam examinemus, quæ in Iudicium venient. Necesse omnino est sint *graues*; vt pro quibus *tanti* constituuntur Iudices; *tot* producuntur Accusatores: *tot* Testes: & quæ grauissima atque *nunquam reuocandam* sententia definientur; & compẽsabuntur vel *æternis supplicijs*, vel *perpetua felicitate*.

An bona fortunæ, an hominum Actiones ad Christi Tribunal pertineant.

Iudicium ergo non erit de agrorum terminis: de possessioni- 2.
bus; de focis & aris; de Regnis & prouincijs; in quibus *Meum* & *Tuum*, omnium controuersiarum sunt causa. Vt in similibus rebus Dominus aliquando rogatus, sententiam ferret, *Quis me*, respondit, *constituit Iudicem?* Et qui in terra constitutus de rebus terrenis noluit iudicare, constitutus in cęlo, hisce reculis sese occupabit? De *Actionibus* hominum instituetur Iudicium. Illæ propria huius Iudicij sunt materia. hæ causæ huius fori.

Quo modo Actiones ad extremum Tribunal pertineant.

Actiones verò hominum *multis modis* sub iudicium venire pos- 3.
sunt. Vnus est; vt si malæ sint, diuinoque vel Ecclesiæ præcepto cõtrariæ, veniam obtineant. Ita transferuntur ad forum conscientiæ in sacramento Pœnitentiæ. An hoc in generali Iudicio exspectari potest? Non potest. *Oportet nos ante Tribunal Christi manifestari*, inquit Apostolus, 1. Corinth. 6. *vt recipiat vnusquisq; prout gessit, siue bonũ, siue malum.*

Alter est; vt dicantur in Iudicium venire eædem illæ malæ, Acti- 4.
ones, vt, de *ipsis* vindicta sumatur: & pœnitentia imponatur, qua deinde peracta, in grati homines redeant cum Deo. quomodo apud nos Causæ definiuntur in publicis consistorijs. An forsitan hæc non seruabitur? Nec hæc seruabitur. Iudicium hoc Christus Ecclesiæ commisit. Præterea neque ad hoc Iudicium, malæ tantum causæ actionesque deferentur: transferentur quoque bonæ: Neque malę, quæ transferentur vlla vindicta poterunt satis expiari; ita, vt tandẽ ad cælestia regna transmigrent Rei.

Quam multa & varia Causæ ad Christi Tribunal transferenda.

Magna hic admodum rerum series. *Multæ hic causæ*. Quia dupli- 5.
cis generis hominũ; bonorum, malorum: & vtrorumq; non vnius speciei causæ sed plurium. Nam & *cogitationum* causę huc pertinent, & *Verborum*, & *Operum*, & *Omissionum*. Quocirca cum genera hominũ *duo* sint; & vtrique *quatuor* causarum species afficiant; *octo* rerum genera

Ego, inquit, Psal. 74. *cùm accepero tempus Iustitias iudicabo. Vias Iustorū,* inquit, Bernardus, serm 55. in Cantica, *& actus ipsorum se discussurum, & examinaturum dicit.* Sed officiorum genera percurramus.

An ad Iudicium pertineant Cogitationes Iustorum.

Ergo pro *Cogitationibus* est, vel ipse *fidei actus*; Neque enim malè definitur à B. Augustino lib. de prædest. Sanctorum, cap. 2. *Credere est cum assensu cogitare.* Cuius magnam rationem in Iudicio habendam eorum exemplo est manifestum, quos enumerat ad Heb. 11. Apostolus, *Hi enim,* inquit, *testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem* (accepturi in Iudicio) *Deo pro nobis melius aliquid prouidente; vt non sine nobis consummarentur.* 12.

An pertineant verba Iustorum.

Pro *verbis* est illud Danielis, 12. cap. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et Apostolus, quando ad Timotheum 2. capit. 4. dicit sibi *repositam coronam iustitiæ, quam ipsi redditurus sit iustus Iudex,* fortè *verborum* atque orationis, qua totum mundum compleuit, rationem non habuit. 13.

An Opera omnia Iustorum pertineant.

Pro Operibus est diserta Christi sententia in Iudicio. *Esuriui,* inquit, Matth. 25. *& dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me, &c.* & illa Matth. 19 *Omnis qui reliquerit domū, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* 14.

An etiam Omissiones malorum ad Iudicium pertineant.

Denique quod mala omiserint Sancti; quod rebus terrenis & sibi non tantùm indulserint, quantum etiam saluis diuinis legibus potuerint, in illo Iudicio commemorabitur, coronabitur. Commendabitur, *quod potuerint transgredi, & non sint transgressi.* Eccl. 31. 15.

An Omnia omnino ad Iudicium Christi pertineant.

Quid multis? *Cuncta, quæ fiunt,* inquit, Sapientissimus Salomon, Eccles. 12. *adducet Deus in Iudicium.* Vnde idem ad Adolescentem, cap. 11. *Lætare,* inquit, *iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ; & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in Iudicium.* 16

Hæc cuncta complexus est Apost. Paulus 2. Corinth. 5. quando docuit *omnes manifestari oportere, vt recipiant propria corporis, prout quisque gessit, siue bonum, siue malum. Propria corporis* enim vocat, quæ in corpore gerimus, siue illa sint opera, siue verba, siue cogitata. Hinc Chrysostomus, homil. 47. ad populum Antiochenum. *Omnium,* in- 17.

quit, *erit aëris examinatio.* Et Ephrem Syrus, lib. de Iudicio extremo, cap. 1. *futurum est*, inquit, *vt vnusquisq; nostrum & actus suos & cogitationes ante Tribunal tremendi Iudicis deferat.*

18. Adde, quod nec quicquam tam possit esse leue, aut in Verbis, aut in Actibus, aut in Cogitatione, quod non in Iudicium veniat. *Ego*, inquit Dominus, Sophoniæ, 1. *in illo tempore scrutabor Ierusalem in lucernis*; quæ verba eleganter tractat B. Bernardus, Serm. 55. in Cantica. Vbi *Ierusalem* nomine dicit Prophetam illos designasse, qui in hoc seculo dicunt vitam religiosam, mores supernę illius Ierusalem cōuersatione honesta & ordinata, pro viribus imitantes, quod ergo *in lucernis* dicuntur scrutandi; significat etiam minimarum recularum habendam rationem rerum; quæ non nisi adhibita lucerna possunt deprehendi. Idem docet *haustus aquæ frigidæ*; quem Dominus mercedem suam habiturum dicit Matth. Idem *omne verbum otiosum*, de quo Matth. duodecimo, quod de eodem reddenda ratio in Iudicio.

19. Nec malè *Cuncta* in Iudicium venient. *Iustus* est iudex Dominus: an igitur in *aliquo* eius iustitia desiderabitur? *Retributor est bonorum omnium*; an igitur bonum aliquod poterit relinquere irremuneratum? *Vindex est malorum*; an igitur malum vllum non vidicabit?

20. Huius meminisse identidem, valde expedit. Nihil enim ad vitā sobriè, & iustè, & piè transigendam potentius hac cogitatione assidua. Quem ob rem Sapientissimus Ecclesiastes cap. 12. hanc voluit esse vltimam suæ concionis periodum: finem, inquit, *loquendi pariter omnes audiamus; Deum time, & mandata eius custodi. Hoc est omnis homo. Cunctas res adducet Deus in Iudicium pro omni absconduto, siue bonum siue malum fuerit.*

An etiam quæ post hanc vitam fiunt, veniant in Iudicium.

21. Cuncta ergo in Iudicium illo die adducentur; sed Cuncta, quæ *in Corpore* vt Apostolus loquitur, 2. Corinth. 5. ab hominibus sunt præstita, ideoque in hac vita, qua peregrinamur à Domino. Quæ post hanc vitam, vel à Sanctis in cęlo, vel à damnatis in inferno sunt peracta, quamuis moreantur aut laudem, aut vituperationem; quia tamen meritorum atque demeritorum ratianem non habent, in Iudicium, vt vel mercede compensentur, vel supplicijs vindicentur, non venient. *Præsens tempus est sementis*, qualis qualis.

An simpliciter omnia quæ in corpore fiunt pertineant ad Iudicium.

Adde-

Addendum & hoc, quod nec simpliciter *cuncta*, quæ in *corporibus* hic peracta, in Iudicium sint adducenda. Illa adducenda; quæ vel æternis supplicijs sunt vindicanda, vel perpetua felicitate compensanda. In hunc enim finem opera ad examen vocabuntur. Ob hunc Iudicium est institutum, Ita omnes sentiunt.

Quocirca actiones illæ, quæ *Naturales* dicuntur; & absque vllo li- 22.
bertatis arbitrio ab hominibus perunt, hîc locũ non habent. Hæ cum nec laudem mereantur, nec vituperationem; præmijs afficerentur, aut supplicijs vindicarẽtur? In harum genere sunt *motus primo primi*, vt à Theologis appellantur; atque illæ, quæ ex his proficiscuntur; sunt, quæ in somnientibus & dormientibus aliquando obseruantur, atque obsessis; & quos in nobis natura potius, quam nos efficimus. 23.

Sed nec omnes etiam Actiones, quæ cum libero voluntatis imperio fiunt, & laudem quoque merentur, ad hoc Iudicium pertinent. Nam & harum quædam esse possunt; quæ quamuis præmio sint dignæ atque laude; non tamen illo quod in illa die Retributor bonorum Deus retributurus est. Tales sunt, quas rationis dictamen secuti Impij atque infideles quandoque præstant; dum nunc parentibus, nunc patriæ, nunc Magistratui, nunc vicinis præstant; quod leges naturæ postulant. Præmio hæ dignæ & laudæ: sed alia, quam quæ *Benedictis Patris* in illa die tribuenda.

Porrò, quamuis non omnes quæ à libero himinis imperio sunt, 24.
laudemque merentur, ad Iudiciũ pertineant: pertinent tamen omnes, quæ à libera voluntate proficiscũtur, & *verè vituperio sunt digna:* quorum etiam illæ sint. Quoniã & hæ sine peccato non sunt, & Dei offensam secum afferunt; ideoque quemadmodum peccata omnia; ita hæ quoque ad Tribunal Iudicis nostri deferuntur.

An Iustorum mala opera erunt, manifestanda in Iudicio; & Impiorum opera bona.

Constitutum ergo sit Impiorum omnia facta, dicta, cogitata ad 25.
Iudicium pertinere. Similiter pertinere proborum omnia. Sed an Impiorum dicta, facta, cogitata, *ea tantum*, quæ mala fuerunt; an etiam *bona*? Similiter Proborum non bona tantum facta, dicta, cogitata, sed etiam praua & peruersa? Neque enim Imperiorum omnia opera mala, siue praua. Neque proborum opera omnia bona. Non dubito, quin dies Domini omnia sit manifestaturus, quemadmodũ aperiendi libri docebunt.

Sed tamen Iudex in ferenda sententia in Impios *solorum malorum*, 26.
videtur habiturus rationem; & ferẽda in probos, solorum bonorũ.

Non remittet quicquam de Impiorum pœna, ob bona, quæ in vita constituti præstiterunt. Non detrahet quidquam de bonorum præmio, ob peccata; quæ aliquando in carne commiserunt.

28. Ipse Dominus, quod dicimus videtur docere, Ezechielis 18. vbi negat *se recordaturum iniquitatum Impij si discesierit à vijs suis malis : & recordaturum iustitiæ iusti, si ille à iustitia sua declinauerit. Si impius*, inquit, *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est , & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam; vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius non recordabor. in iustitia sua, quam operatus est, viuet. Et si auerterit se iustus à iustitia sua , & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius; nũquid viuet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, morietur.*

29. Et alio loco, Matth. 7. vbi improbi in Iudicio sua bona quasi producent, & allegabunt; tantùm abest, vt horum aliquantulam mercedem aut remunerationem accipiant, aut etiam ipsa probari audiant; vt nec ipsi quidem à Deo sint agnoscendi. *Multi*, inquit, *dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo Dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.*

30. Idem probat illud Apoc. 18. *Quantum in delitijs fuit , tantum date tormentorum, & luctum.* Quid si cum delitijs huius seculi difficultates huius seculi sustinuit? nihil illæ de tormentis detrahent? Nihil pro quantitate deliciarum præsentis vitæ , quantitas erit tormentorum futuræ.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

De Libris in Christi Apparitione Iudiciaria proferendis, ex quibus Mundus erit iudicandus: Inquiritur,

An Libri in Christi Iudiciaria Apparitione producendi.

ETiam *Libri* in Iudicio, siue Iudiciaria Christi Apparitione inuenientur Meminerunt horum disertis verbis duo Prophetæ; Daniel veteris Testamenti, & Sanctissimus Ioannes noui Testamenti. *Aspiciebam,* inquit Daniel, *donec Throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit, vestimenta eius candida q. nix &c. millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* In Apocalypsi Ioannes, vt sequitur, cap. 20. *Et vidi Thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cælum, & locus nõ est inuentus eis. Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu Throni, & libri aperti sunt, & alius Liber, qui apert⁹ est, qui est vitæ; & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris secundum opera eorum, & qui non inuentus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* 1.

2. Meminit & vnius horum Iob; & quanti faciat, quamquam sibi familiarem exoptet, egregiè demonstrat, dum clamat, cap. 31. *Quis mihi tribuat auditorem; vt desiderium meum audiat omnipotens; & librum scribat ipse, qui iudicat? vt in humero meo portem illum, & circundem illum, quasi coronam mihi. Per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi Principi offeram illum.*

Quales sint Libri producendi ex aliorum sententia.

Variæ de his Libris sunt Auctorum sententiæ. B. Augustinus, 20. de Ciuit. Dei cap. 14. per *libros apertos,* intelligit *Sanctos,* qui cũ Christo sunt vẽturi ad Iudicium. quos idcirco existimat appellari *libros;* quia in illis expressa cognoscetur Dei voluntas, & diuinæ legis obseruantia. quocirca Impij in eos intuentes, liquidò cognoscent, quæ bona ipsi facere debuerint; quæque facere neglexerint. Ille autem alter *Liber vitæ,* secundùm eundem Augustinum, non est, nisi notitia clara & indubitata omnium & singulorum, quæ in hac vita quisq; egit: quam notitiam tunc Deus omnipotens sua vi, ante oculos mẽ- 3.

-tis cuiusque ponet, vt quæcunque benè vel malè gesſit, incredibili celeritate cognoſcat.

4. Beda *Libros* in die Iudicij aperiendos interpretatur *Sacras Scripturas.* Tunc enim patebit veriſsima fuiſſe, quæ nos Sacræ Scripturę de illo extremo Iudicio docuerunt, videlicet, futurum generale Iudicium, in quo exigenda omnium, etiam verborum otioſorum ſubtilis & exacta ratio: ibique nullum fore locum interceſsioni, aut perfugium miſericordiæ: denique ſententiam tunc à Iudice proferendam irreuocabilem eſſe.

5. D. Hieronymus putat ſignificari *duos libros*: vnum bonorum operum, qui dicitur in diuina Scriptura *Liber vitæ*, ſiue viuentium; atque hic liber eſt apud Deum & ſanctos Angelos: alterum malorũ operum, qui eſt penes Diabolum, quem ipſe tunc proferet ad homines accuſandos & condemnandos. Et hic liber rectè nominatur *Liber mortis*, vt in quo ſcripti ſunt æterna morte damnandi.

Quotuplices Libri in Iudicio producendi, & an etiam aliquis Liber Mortis.

6. Nolumus horum magnorum virorum ſentẽtias damnare, quod nobis dicendum occurrit adſcribimus. *Duplices* igitur *libros* in Iudicio producendos exiſtimamus. Res hæc omnium opinione & Prophetarum voce eſt certa. vnus *nominum* erit, alij *rationum.* Quemadmodum enim apud homines, cùm laborum accipitur merces, *duplices* ſolent ſeruire libri: alij, qui *nomina* continent operariorũ: alij qui *rationes* operandi, dati item & accepti, ita qui in Iudicio generali, (vbi laborum omnium erit retributio) proferentur, duplices erunt; alter *nominum*, alij *rationum*, &c.

7. *Rationum Libri* erunt plures. hos Prophetæ iam dicti intelligunt, quando *plurium librorũ* mentioné faciunt. *Nominũ* erit vnus tantum; quem Ioannes vocat *librum vitæ*; in quo, qui non inueniuntur, ſunt miſeri; & mittuntur in *ſtagnum ignis.* Poſſet huic alius opponi, *Mortis*, videlicet, in quo, qui ſcripti, in *ſtagnum ignis* mittuntur. Verùm, quoniam qui repudiantur, & reijciũtur, ſcribi non ſolent; nullus *mortis* datur *Liber*; ſed vnus tantùm *vitæ.* ita B. Auguſtinus. At Hieronymus ſenſit etiam dari *librum mortis*; nõ quidem in mente Dei; ſed Dæmonis: quia licet Deus ſcientiam habeat omnium Reproborum; tamẽ non *per ſe*, & quaſi *ex voluntate, & intentione ſua* illos deſcripſit in mẽte ſua, ſed ſolum, quia ipſi futuri erant tales, ideo eos præſciuit. Rurſus, quia per illum librum non iudicabit; ſed per ſingulorum conſcientias, ideo illius libri in Scriptura non meminit.

Plu-

Plures autem *Rationum Libri* dicuntur; non quia varias, & plures viuendi leges continent: nec quia varia opera actionesque, de quibus Iudicium instituetur; sed quia *plurium* sunt hominum, & iudicandorum. Vnusquisque suum habebit librum, quocirca & pro numero iudicandorum, numerus erit librorum: & eorum alij magni alij parui, pro quantitate & numero meritorum & demeritorum. 8.

Quis dicatur Liber Vitæ.

Ille Vitæ est mens diuina: in qua omnes ad vitam prædestinati sunt conscripti. de quo sæpius Scriptura; & præsertim apud S. Ioannem, Apoc. 13. *Adorauerunt eam omnes, qui habitant terram, quorum non sunt scripta nomina in Libro Vitæ.* & cap. 20. *Qui non inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Idem ferè habetur, capite vigesimo primo & vigesimo secundo. 9.

Qui vocentur Libri Rationum & quibus rebus constent.

Illi Rationum sunt conscientiæ singulorum iudicandorum. Et *tribus* hic constare videtur; legibus viuendi: rebus gestis: & beneficijs acceptis: Pulchre quia ex his libris iudicandi sunt, qui ante Christi Tribunal comparebunt, teste Ioanne: & ex tribus illis Iudicium feretur, legibus scilicet viuendi seruatis, vel violatis; rebus malè vel benè gestis; beneficijs malè vel benè expensis. 10.

Tria hæc in *libris Rationum* contineri clarum est. Scriptura hoc partim disertè indicat, partim occultè insinuat. Pro *legibus* est illud Isaiæ, *51. Lex mea in corde eorum;* & illud, Psal. *36. Lex Dei eius in corde ipsius. Pro rebus gestis* illud, Iere. *17. Peccatum Iuda scriptum est stilo ferreo, in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Pro vtrisque illud, ad Roma. *2. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimoniū illis reddente conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium.* Porrò pro *tertio*, ipsorum conscientia, qua, nolint, velint, aliquando hæc agnoscent. Ostendit verò id Ephrem vno exemplo, cap. 5. lib. de vera pœnitentia his verbis. *Tunc requiretur, à quolibet regium signum, ex qua die Catholicam & orthodoxā Ecclesiam ac fidem nostram per baptismum accepit: exigeturq; à singulis fides in pace illibata, sigillumq; infractum, & tunica incoinquinata.* 11.

Quomodo dicantur hi Libri clausi.

Clausi modo sunt hi libri. Vitæ quidē, quia qui in prædestinatorū modo sint numero, ignoramus. Alij autem *Rationum*, quoad duas partes, rerum, scilicet, gestarum, atque beneficiorum (non legū, nā eædē in omnibus) quia quamuis forsitan nobis constet de nostris rebus gestis, de nostris beneficijs acceptis, non tamen de aliorum, 12.

Vnde-

Vnde & Apostolus vetat, ne antequam aperiantur libri, de hominibus Iudicium feramus. *Nolite*, inquit, *ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum; & manifestabit consilia* cordium 1.Corinth.4.

Quid sit dictos Libros aperiri.

13. *Aperiendi* hi libri sunt ipso Iudicij die. quia quæcunque in his, id est, in conscientijs nostris sunt scripta, in memoriam redibunt, ante oculos ponentur, non bona tantùm; verùm etiam mala; & quidquid tandem ad Iudicium ex parte nostra pertinere potest. *Vnusquisq;*, inquit, Ephrem Syrus, lib. de vera pœnit. cap. 4. *cernet ante faciem suam expositã opera sua, siue bona siue mala illa præmisit.* Idem docet B. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 14. & B. Gregorius in Psal. 88. & Lactant. lib. 7. cap. 22.

14. Et si in particulari Iudicio hæc futura sunt; quidni fierent in generali? In particulari autem fieri nemo debet dubitare; quia nemo erit, qui non iustissimam Indicis sententiam sit approbaturus; Iudicis, inquam, reddentis vnicuique secundum opera sua.

An aliorum conscientias alij cognoscent ex his libris.

15. Sed & quilibet *alterius Librum*, id est *conscientiã* intuebitur; & ex cuiusque Libro, etiam tacente Iudice, Iudicij sententium facilè cognoscet. Atq; hoc vt fiat, omnino conuenit. Si enim sua tantum vnicuique causa esset discutienda; sua vnicuique tantùm merita atque demerita proponenda; quid opus foret Iudicio illo *vniuersali*, in totius mundi theatro? Particulare illud hic sufficeret Ergo cùm vniuersale aliud propter alios etiam, institutum sit, & ipsi quoque iustam Iudicis sententiam, *in omnibus* debeant cognoscere, aliorum quoque merita atque demerita oportet ex his libris intelligant Omnes.

An Sanctorum peccata, quæ aliquando commiserunt, in die Iudicij cognoscentur.

16. An verò in Beatorum Libris ipsa quoque peccata, quę aliquando commiserunt, & dignis pœnitentiæ fructibus expiarunt obseruabuntur? an bona tantùm, propter quæ vitam æternam heræditabũt? Bona tantùm obseruanda existimant quidam cum Magistro sententiarum, in 4. dist. 43. propterea, quod peccato semel remissa, *tegi occultari, deleri, obliuioni tradi* dicuntur, secundum illa, Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta peccata.* & 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* & Isa. 43. *Ego sum, qui operio iniquitates tuas.* & cap. 65. *Obliuioni tradita sunt angustiæ priores, & abscondita sunt ab oculis nostris. Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* & Psal. 50. *Dele iniquitatem meam.* in quæ verba Chryso-

ſoſtomus homil.2. *Si tu memor ſis, Deus non erit memor Si tu eius oblitus fueris, Deus eius memorabitur. Fecisti malum, memor eſto, vt Dominus tuus illud obliuiſcatur, iuxta illud Ezechielis, Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Similia habet Bernard. Serm. 66. in Cantica.

17. Ad hæc accedit, quod Sancti Dei in illo die Iudicij honorandi ſint; & nullatenus confundendi. At ad honorem Sanctorum, an hæc peccatorum manifeſtatio facere poteſt? præſertim, cum ipſorum quidā in grauiſsimis, ſordidiſsimiſque peccatis, ad plures annos ſint verſati.

18. Sed placet magis ſententia Anſelmi, in Elucidario. quæ etiam eſt Hugonis Victorini, lib. 3. de Anim. cap. 23 vt alios taceam, qui iuſtorum quoque peccata omnia putant manifeſtanda. Certè pro his eſt inſignis B. Auguſtini oratio, lib. Meditat. cap. 4. Vbi ſic loquitur. *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ: tot millibus Angelorum patebunt vniuerſa ſcelera mea; non ſolùm actuum; ſed etiam cogitationum, ſimulq; locutionum.*

19. Et omnino pertinet ad perfectionem & integritatem illius Iudicij & iuſtitiæ diuinæ manifeſtationem. Nam vt conſtet Chriſti iudicantis, & reddentis Sanctis præmium iuſtam eſſe ſententiam, non ſufficit, quòd illi habuerint merita: ſed oportet, vt conſtet illa permanſiſſe viua, & omnia impedimenta fuiſſe ſublata, atque adeò omnia mala etiam in iuſtis fuiſſe vel miſericorditer propter Chriſtum remiſſa, vel condignè vindicata & purgata. Quocirca ad oſtenſionem quoque diuinę gratiæ, & ad gloriam Chriſti hic iudicandi modus pertinet.

20. Quid ſi hoc dicere velit Sophonias, cap. 1. dum ſic loquitur, *Et erit in die illa ſcrutator Ieruſalem in lucernis?* Quid ſi hoc ſit, quod Daniel inſinuat, *appendendum vnumquemq; in ſtatera?* cap. 6. *Hoc eſt* (refero verba Damaſceni, in ſermo. de defunctis) *quod viri diuinitus illuſtrati aiunt, quod cùm exhalamus ſpiritum, quaſi in libra humana opera probantur.* Confirmat id exemplo Petri Telonarij; qui durus aliquando in pauperes fuit, & tandem ad egregiam ſanctitatem peruenit. Nam (vt eſt in vita S. Ioānis Eleemoſyn.) dicitur, quòd factus in ecſtaſi, viderit opera ſua ponderari, & inter cætera ſiligineum panem, quem pro lapide aliquando in faciem pauperis iracundus miſerit, in dextra libræ lance: eaque viſione commonitus, tam pius poſtea euaſerit.

21 Nec contrarium debent suadere, quæ pro *obliuione* peccatorum producta sunt testimonia. Non ijs promittitur vera, & propria obliuio peccatorum. Quid enim? An diuinam quoque memoriam illa effugient? qui & ipse omnium obliuisci dicitur. An effugient & memoriam eorum, qui eadem perpetrarunt? In memoria igitur non erunt, *ad vindictam*; si dignis pœnitentiæ, operibus ipsa fuerint vindicata.

22. Neque afferent Sanctis vllo pacto aut tristitiam, aut pudorem, quæcunque illa, & quocunque numero crimina fuerint. Nullius doloris, pudoris aut tristitiæ sunt capaces, illi à quorum oculis Deus iam *abstersit omnem lachrymam*. Etiam, quis Catholicorum dubitat cognoscere S. Petrum atque Magdalenam quotidie, in Ecclesia, sua peccata publicè prædicari? an ergo in cælo pudore suffunduntur? aut tristitia consumuntur?

23. Tanta erit Sanctorum gloria, & lætitia de pœnitentia pro peccatis acta; de remissione obtenta, deque admirabili ratione diuinæ prouidentiæ, qua factum est, vt mala illis cooperentur in bonum; vt propter has etiam causas gaudeat, quod eadem peccata omnibus manifestentur. Quomodo enim diuina in ijs gratia & benignitas posit agnosci; nisi eorum lapsus cognoscerentur? aut quomodo possent, omnia eorum merita, quæ per pœnitentiam & satisfactionem, pro peccatis consecuti sunt, omnibus nota fieri; nisi peccata, quæ fuerunt occasio, & materia illorum meritorum, cunctis quoque innotescerent?

24. Neque alijs quidquam aut aspernationis aut fastidij hæc iustorũ peccata parient. Sed ne ipsis quidem *Impijs* similia, aut interdum minora operatis, subeþit murmuratio aut ira; quod se ob talia plecti videant; quæ sunt illis à Deo remissa. Ostendet Deus iustitiam suam, & se suorum Dominum declarabit. Denique apparebunt illa omnia Iustorum, tanquam *agni sanguine* tincta, nihil habere fœditatis. Agnoscentur ergo Sanctorum defectus, errata atque peccata in illo Iudicio ex proprijs ipsorum libris.

An Impiorum siue Damnatorum bona opera, quæ aliquando fecerunt, cognoscentur.

25. An quoque in *Reproborum* & Damnatorum libris, bona, quæ aliquando peregerunt, conspicientur? Et hoc admodum est verisimile, quemadmodum & illud, quod Proborum delicta, vt iam ostendimus. Absolutè enim & simpliciter Scriptura significat *omniũ actiones* ad iudicium deferendas. *Cuncta quæ fiunt*, inquit Ecclesiastes, vltimo, *adducet Deus in Iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum sit.*

&c.

& 1. Cornith. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus; qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Denique illud Sibyllinum; quo breuius dici nihil potest, tunc fiet. *Cunctaq; cunctorum cunctis arcana patebunt.* Sunt qui idem illis Euangelij verbis volunt probari, Matth. 10. *Nihil opertum, quod non reueletur, neque occultum quod non sciatur.*

Patres pro hac re multi sunt. Sufficient sequentes. Prosper, libro 3. de Vita Contemplatiua. *Tunc,* inquit, *incipient omnium secreta reuelari, & non solùm actus & verba, sed etiam ipsa cogitationes ostendi.* B. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 2. *Cùm,* inquit, *ad Iudicium Dei venerimus, cuius tempus iam propriè dies Iudicij, & aliquando dies Domini dicitur, non solùm tum quacunq; iudicabuntur, verùm etiam quacunq; ab initio iudicata, & quacunq; ad illud tempus adhuc iudicanda sunt, apparebunt iustissima.* B. Chrysostomus putat hoc nomine *horrendum esse & timendum illud Iudicium. Illud pensa,* inquit, homil. 48. ad Populum, *quod si cuius ex nobis factum occultum in medium hodie coram sola produceretur Ecclesia, quomodo non perire & sibi terram hiscere precaretur, potius; quàm tot malitiæ testes habere? Quid tum ergo patiemur, cùm in medium coram mundo cuncta promentur; in theatro tam claro & illustri, & nobis notis & incognitis cuncta spectantibus.* Ephrem Syrus hinc summum concipit terrorem. Ita enim in libro de Iudicio extremo, cap. 1. *Contremiscit,* inquit, *cor meum, & renes mei resoluuntur, quotiescunq; cogito, quòd reuelandæ sint cogitationes & sermones atq; actus nostri in die Iudicij. Arbores fructifera tempore suo primùm intrinsecus concipiunt fructum, postea verò diuino nutu extrinsecus proferunt secundum suam naturam & fructum & folia. Sic in die illa terribili, omnes homines, quicunq; in hoc seculo, quasi in tempore suo, occultè intrinsecus siue bona, siue mala gesserint, ibi quasi fructus proprios ante Tribunal Domini proferent.* Ita Patres. 26.

Veruntamen vt ob mala à se perpetrata non confunduntur boni; ita mali ex bonis quæ gesserunt aliquando non capient consolationem. Quemadmodum in bonos nullus cadit pudor, nulla tristitia; ita in malos nullum gaudium, nulla consolatio. Mali & dolebunt ob mala, quæ perpetrarunt; quoniam tantarum miseriarum illis sunt causa: & non gaudebunt ob bona, quæ fecerunt; quoniam horum nullum sentient aut experientur fructum. 27.

An omnes omnium conscientias intuebuntur.

Quibus verò hos libros peruoluere licebit? qui quorum conscientias intuebuntur? Omnes omnium, & singulorum, an quidam horum, quidam aliorum? Omnes omnium & singulorum intuebuntur. Angeli hominum & Angelorum; Homines hominum & Angelorum. Mali 28.

malorum,& bonorum;boni bonorum & malorum.*Coram tot millibus populorum*,inquit B.August. lib.Medit.cap. 4.*nudabuntur iniquitates meæ:tot millibus Angelorum patebunt vniuersa scelera mea.* Et Bernardus lib.de Interiori domo,cap 38. *Omnibus populis*,inquit, *nudabuntur iniquitates tuæ,& cunctis agminibus patebunt vniuersa scelera tua,non solùm actuum,verùm etiam cogitationum & locutionum.*Et merito hoc. Omnes enim iusti Iudicis sententiam in *omnibus*, & *erga omnes* æquitaté debent agnoscere:agnoscere iusta esse,quæ pro meritis *singuli* reportant præmia:oportet ergo *singulorum* cognoscant causas, actus,opera,verba,cogitationes.

Quanto tempore opus habebunt iudicandi,vt omnium conscientias cognoscant.

29. Atque hæc omnia, quæ multorum annorum spacia postulare viderentur,tanta diuinitus celeritate fient, vt non solùm *diem*, sed etiam *horam Iudicij* Sacræ literę appellent.Imo verò,quoniam æternæ potentiæ legibus & maiestate,non humanarum actionum dilationibus res tanta peragetur, longa temporis mora illa tot & tam mirabilia non indigebunt. Vt enim illuminatur hoc totum hemisphærium,in quo tot,eaque inter se adeò diuersa continentur,Solis istius exorientis luce perfusa,eaque simul oculorum acies percipit *vno puncto* propinquam domum, & longisimè dissitum sidus aspectans;sic etiam Sole isto iustitiæ purisimo, ac fulgentisimo, cælitus apparente,*abscondita tenebrarum nostrarum*,vt dixit Apostolus, *illuminabuntur*,atque omnium oculorum obtutibus fient exposita,& peruia.

30. Breui igitur tempore multa cognoscentur:imò eodem tempore infinita propemodum cognoscentur ab omnibus. Et quamuis mirum hoc videatur, non tamen credi debent imposibile. Quanta Deus Opt.Max. vno quasi,vt ita dicã oculi intuitu videt?imo quid non videt omnium rerum quæ sunt, fuerunt, erunt,atque posibiles erunt? *Omnium habet scientiam; omnia nuda & aperta sunt oculis eius.* Omnia ipsi sunt præsentia.

31. Quod si quis aliam Dei,aliam hominum dixerit rationem esse; scire is debet,Christum,suo,quem habet, *intellectu creato*, simílique nostro, plurima vno eodemque tempore intelligere: intelligere *scientia beata*, in verbo simul atque *in actu secundo*, quemadmodum in scholis loquimur,quæcunque Deus videt *scientia visionis*: intelligere *scientia infusa* omnes omnino etiam cogitationes hominum omnium,quæ sunt,fuerunt,& futuræ sunt. quot verò næ? De hoc multa Doctores ad quæst.9.S.Thomæ in 3.part.

Et si Christo etiam quis plus aliquid existimet tribuendum ratione vnionis hypostaticæ aut supernalis scientiæ, ad Angelorum aliquem se conuertat; quot & quanta vnus aliquis ex ipsis vno eodemque momento, in his inferioribus, superioribusque clarè atque perspicuè intuetur? idque non diuina, suæque naturæ supperaddita virtute, sed naturali prorsus? De hoc multa in prima eiusdē S. Thomæ parte ad quæstionem. 32.

Quocirca quamuis mirum videatur, quòd omnium actus, verba, cogitationes in illo die cognoscantur, non tamen, vt diximus, credi debet impossibile. de eoque dubitare non possumus, tot tantisque Sanctorum Patrum auctoritatibus atque sacratissimis Diuinæ legis Scripturis instituti. Quæri fortè illud potest, *quonam ratione & modo* manifestatio hæc fieri posset. 33.

Qua ratione alij aliorum conscientias cognoscent.

Duorum necessarium est altero fiat, oportet, hæc manifestatio: aut externis signis, seu voce quam vel Christus dabit, vel singuli iudicandi, vel tertius aliquis: aut aliquo alio, qua vox externa, externumque signum nullum percipitur; quo verò? 34.

Certè non viua voce, cuius cuius etiā. Nō permittit hoc tempus breuissimum, quo Iudicium peragendum. quod si pluriūm voces simul permisceas, multa continget audire, parum distinctè intelligere. 35.

Externis igitur signis nō fiet, fiet internis. Quibus autē? An singulorum *voluntate*, qua volunt alijs suarum conscientiarum latebras & libros esse apertos? at quis credet hanc voluntatem fore damnatorum. An virtute Iudicis fiet? Ita credendum. Quo verò id ipse sit perfecturus, vt alia multa, ita hoc, illo die intelligemus. Rectè dixit Magister Sententiarum in 4. dist. 47. *hic nihil certò posse affirmari, cum per Scripturam, aut Ecclesiam hic nihil sit reuelatum.* 36.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

De Circumstantijs præcipuis Apparitionis Iudiciariæ, quæ sunt

Locus. *Tempus.* *Finis.*

& primo omnium de loco ipsius vbi Inquiritur.

1. ANtecedentia, atque Concomitantia Iudiciariam, in gloria, Christi Apparitionem exposuimus, antequam discutiamus Consequentia, quæ restant; *Circumstantiæ* eiusdem, quæ cum eadem magis coniunguntur, prius sunt expediendæ. *Tres* illæ sunt præcipuæ; Locus, Tempus, & Finis. Dicendum ergo, *quo loco* appariturus sit Dominus; *quo Tempore*, & quæ Apparitionis Iudiciariæ *causa siue Finis* De loco hoc Capite.

2 Idem autem *locus* Christo Iudici hîc assignandus, qui hominum iudicandorum erit. Cùm enim venturus sit Iudex viuorum & mortuorum; eo loci videndum se exhibebit, in quem congregandi sunt, qui Iudicium illud sunt subituri viui & mortui. *Corpus*, scilicet, *erit, vbi congregabuntur aquilæ*, Matth. 25. Age ergo *locum* aquilarum, id est, iudicandorum primum inquiramus.

An certus aliquis locus, vbi Iudicium sit futurum, & Christus appariturus.

3. *Locum his aliquem* esse oportere nemo potest dubitare. nec facilè ab vllo mortalium negabitur, qui quale illud Christi Iudicium sit futurum, bene expenderit. Iudex oculis corporeis conspicietur alicubi, & qui conspicient corpora induti conspicient; an hîc *locus* potest

teſt deſiderari? Origenis ſententia non probatur, qua Tract. 34. in Matthæum, negat corporalem futurum hunc ſecúdum Chriſti aduentum, docetque fieri per ſolam manifeſtationem ſpiritualem, & interiori mentis diſcuſsione abſolui.

An in cælo peragendum Iudicium.

Certum deinde eſt, *Cælum* non futurum huius Iudicij locum, nec in cælo Iudicium hoc peragendum. Nam *de cælo*, dicitur, Dominus venturus, vt Iudicium adminiſtret: quemadmodum *viſus eſt conſcédere cælum*, vt Angeli teſtantur, Act. 1. Et quis in cælo locum tribuat omnibus iudicandis, etiam ijs, qui cum diabolo & Angelis eius mittentur in ignem æternum? 4.

An infra terram peragendum Iudicium.

Et certum futurum, non *infra terram*. Nam neque Iudex infra terram eſt deſcenſurus. Videndus eſt in *nubibus*, cum poteſtate magna, & maieſtate. Et quemadmodum nemo malos facilè admittet ad cælos; vt ibi ſententiam Iudicis accipiant; ita nemo facilè bonos mittet ſub terram, vt ibi iudicentur, inde ad cęlum euocentur. 5.

An terra locus Iudicij.

Terra ergo locus erit iudicij, in quo iudicandi comparebunt, Chriſti iudicis ſententiam audituri. Cæterum, cùm terræ partes variæ admodum ſint, & multiplices; an fortè ex omnibus *certa aliqua* aſsignabitur, quò omnes ſunt congregandi? an potius *ſuo* vnuſquiſq; *loco*, vbi ad vitam reuocabitur? Non hoc; ſed illud dici debet. *Certus aliquis locus* Iudicio dabitur. Inſinuat hoc Dominus; quando à *quatuor ventis, & mundi partibus* ſignificat congregandos homines ab Angelis: ad vnum ſcilicet aliquem locum, vbi ſingulorum cauſæ erunt diſcutiendæ. Matth. 13. 6.

An in Palæſtina congregandi ſint omnes iudicandi.

Et *quis* certus ille locus? Admodùm veriſimile, quod aliquis in Palęſtina aut Iudæa. Quia Chriſtus futurus Iudex: quocirca conuenit, vt ille extremum ibidem cum hominum genere opus compleat; vbi pro hominum genere æterno Patri reconciliando, vitam duxit, & duxit difficilimam, vt ibi quaſi triumphet glorioſus; vbi certauit laborioſus. 7.

In qua Palæſtinæ ſiue Iudeæ parte congregandi iudicandi.

Sed *totane* Palęſtina aut Iudæa iudicij erit locus? an hic aliquis angulus, aut pars? Hoc poſterius. Et *quæ* illa? Vallem Ioſaphat nominant viri docti, S. Thomas, in 4. diſt. 48. q. 1 ar. 4. Et Opuſculo 60. cap. vltimo. Albertus eadem diſtinctione 48. ar. 8. Petrus paluda. diſt. 47. q. 1. ar. 1. Antonius 4. part. Titul, 14. cap. 11. §. Sotus, Carthu- 8.

lanus,

stianus, & recentiores plerique & ante eos Aretas Episcopus Cæsariens. in 11. Apocalyp. Nec sine ratione Ioelis, vt videtur, nititur nō leui auctoritate. ita ille cap. 3. *Ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ierusalem. Congregabo*, inquit, *omnes gentes, & educam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum ijs.* & infra, *Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat; quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.*

9. Hic, quod de Extremo Iudicio Propheta loquatur, sequentia satis indicant, *Mittite*, dicitur ibidem. *falces, quoniam maturauit messis. Venite & descendite, quia plenum est torcular: exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum, populi populi in valle concisionis, quia prope est dies Domini in valle concisionis. Sol & luna obtenebrati sunt. stellæ retraxerunt splendorem suum, & Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suā, & mouebūtur cœli & terra, & Dominus spes populi sui.* &c. An non hæc ad nouissimum diem pertinent? Nam & *messem*, & *falces*, & *torcularia* sanguine perditorum redundantia, tum Euangelium nobis, Matth. 13. tum Apocalyp. cap. 4. nobis exponunt; ibi Matth. 13. legimus in die Iudicij *Angelos messores, falces suos missuros in segetem*, iussuque Domini *improbos, tanquam spinas & zizania, igni daturos*; hic, Apocalyp. 14. legimus ab *Angelo missam falcem acutam in botros, calcatas vuas in lacu iræ Dei copiosissimo sanguine defluxisse.* Iam quis sit *dies Domini*: qui *sol & luna, & stellarum ille defectus*: qui *populi concisionis*, quæ *vox & rugitus leonis, quem nemo timere non possit*, cæteraque diei vltimi apparatum iudicantia, vsus ipse sanctarum Scripturarum vel negligentes & oscitantes ignorare non patitur. Ergo si de die Iudicij prophetia hæc tota accipienda est, profectò in *valle Iosaphat* Iudicium futurum, negari non debet.

An Iudicium futurum siue iudicandi sint congregandi in vallem Iosaphat, & quæ illa vallis: quo loco.

10. Leue tamen quidam hoc argumentum existimant propterea, quod *vallis Iosaphat*, cuius propheta meminit, non aliquis *certus* sit locus; sed indefinitè locum significet Iudicij, vbicunque etiam ille, & qualiscunque sit. Vocem enim *Iosaphat*, non propriam, sed appellatiuam volunt; atque idem significare, quod *Iudicium.* vnde & Chaldæus non vertit, in *vallem Iosaphat*; sed in *vallem diuisionis* Iudicij. quocirca quocunque loco Iudicium peragatur, rectè semper dixeris futurum in *valle Iosaphat.* Addunt præterea, non inueniri *talem vallem*; & si constituatur aliqua prope Ierosolymam; non fore illam tantam, quæ tam numerosæ hominum multitudini possit sufficere.

Hic

Hic principio non dubium esse debet *dari vallem Iosaphat*. Qui 11.
Theatrum Terræ sanctæ accuratissimè peragrarunt & descripserunt, eius meminerunt, docentque hanc eandem esse, cum illa, quæ *vallis Cedron*, & *vallis montium* aliquando dicitur, & inter Ierusalem, atque montem olivueti interiecta totam ab oriente cingat vrbem. in hac olim pios ac religiosos Reges Iuda, Azam, Ezechiam, atque Iosiam Templi combussisse idola, eorumque cineres in prætereuntem torrentem Cedron proiecisse. hanc olim etiam Iudæorum fuisse, nunc Turcarum esse cæmiterium. 12.

De eadem sic Beda, libello de Locis Sanctis, cap. 6. *Iuxta murum Templi, vel Ierusalem Gehennum occurrit, quæ est vallis Iosaphat à Septentrionali plaga in Austrum porrecta, per quam torrens Cedron, si quando pluuiarum aquas recipit, decurrit. Hæc vallis & parua campi planities irrigua & nemorosa, plenaque delitijs, locum in se quondam Bahali sacrum habuit. In hac turris Regis Iosaphat, sepulchrum eius continens*, &c. Ex quibus Bedæ verbis, & vallem Iosaphat esse, & causam nominis discimus. quãuis causam nominis non omnes probent, propterea; quod, 2. Paral. *21.* Iosaphat dicatur *sepultus in ciuitate Dauid*. sed quod si inde in dictã turrim translatus? aut si non hoc, quid si eidem loco nomen dederit re aliqua præclarè gesta?

Nec ob id vallis hæc locus Iudicij esse nequit, quod minor sit quam quæ tot myriadas hominum possit complecti. Neque enim omnes huic loco includimus, cum valle vicina loca coniungimus. Vallem tamen Iudicij locum dicimus, quod ibidem (altiori licet loco) Iudex sedere conspiciendus sit, & ipsa hominum multitudine replenda. 13.

Et quamuis *Iosaphat* Iudicium significet, ideoque vallis Iosaphat, 14.
vallis Iudicij dici possit, & nullum certum locum significare; quid tamen prohibet cur minùs hic certa illa, quæ Iosaphat dicitur, intelligatur? Esto Chaldeus pro *Iosaphat* transtulerit *diuisionis Iudicij*: B. Hieronymus certè, atque LXX. Interpretes, proprium nomen *Iosaphat* reliquerunt; & quod alium, quã proprium locum, intellexerint, vix credi potest.

Quod si interpretata significatione nominum, per allegoricos 15.
sensus, historicum nobis illudendi licentia sit; iam neque in prophetia Micheæ cap. 5. *Bethleem* certò erit designata ortui Saluatoris; qui *vbicunque* nasceretur, cùm verè sit *panis viuus, qui de cælo descendit*, certè ibi Bethleem esset, hoc est domus panis. Eadem arte Oseas, ca. *11.* etiam si Christus non isset in Ægyptum, tamen ex *Ægypto vocatum filium* dicere potuit, quia ex angustia, & tribulatione, quod

Ægyptus siue *Mezraim* interpretatur, vocatus sit. Denique isto more Origenistico nihil ferè firmum & constans; nihil historicum in Scripturis relinquemus, vbi primum proprius atq; historicus sermo minùs arriserit.

16. Neque tamen cum Millenarijs, & Iudaizantibus, *omnia* per proprietatem accipienda decernimus; sed tropicas & figuratas prędictiones libenter audimus; dummodo ijs, quę possunt rectè, per proprietatem intelligi, suus præcipuus sit locus. Quod certè in designatione loci, in quo fidei nostræ summa, per nouissimum Iudicium complenda est, æquissimum est putare, vt diuinitus iudicatus, prænotatusque sit per Ioelem.

17. In hac igitur valle congregandi sunt Mortales in illa die, hic locus erit Aquilarum, qui ad Iudicium venient. Hinc iam facilis est ad præcipuam quæstionem responsio, quo videlicet loco Apparitio Christi Iudiciaria sit futura. Ibi futura, vbi vallis Iosaphat. Neq; enim alio loco erit Iudex, alio iudicandi, cum ille propter iudicandos cælum sit relicturus.

18. Pro eodem loco est illustre vaticinium Zachariæ Prophetæ, secundum quosdam. Ita ille, cap. 14. *Et egredietur Dominus & præliabitur contra gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis. Et stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientē, & scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valde: & separabitur medium montis ad Aquilonem & medium ad meridiem. Et veniet Dominus Deus meus, omnesq; sancti cum eo. Et in die illa, non erit lux, sed gelu & frigus. Et erit dies vna, quæ nota est Domino non dies neq; nox, & in tempore vesperi erit lux. Et erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Hierusalem.* De die Iudicij loqui Prophetam admodum est verisimile. *Egredietur ergo tum Dominus præliaturus contra gentes*, quia pugnabit pro ipso vniuersus terrarum orbis contra insensatos, Sap. 5. & ipse sumet scutum inexpugnabile æquitatem. *venient tum omnes Sancti eius, cum eo:* quia cum maiestate magna & virtute veniet, & vt loquitur Iudas, in sanctis millibus. In die illa *non erit lux*; cum sit dies caliginis & tenebrarum, dies irę, & angustię, atque ideò miseri mortales pauebūt; ac veluti *gelu* immēso correpti obrigescent. Huic verò diei iudicij succedet alia apud iustos, dies æternitatis, quæ sane dies *nota est Domino*, quia nemo de illa scit, neq; Angeli cælorum Marc. 14. cap. *Vicissitudinem lucis & tenebrarum non habebit*, neque timendum est, vt vespertino tempore vergat ad occasum, erit enim lux perpetua, in qua *largissima æternæ voluptatis aquæ* ex cælesti illa Ierusalem, quæ est pacis visio prodibunt, & sanctos

omnes

omnes circumfluẽt. En vt omnia cum die Iudicij conuenient. Quo verò loco constituendus Iudex; *Stabunt*, inquit Propheta, *pedes eius super montem Oliuarum*, vnde scilicet ascẽdit in cælum: ibi videndus, quando de cælo viuorum atque mortuorum veniet Iudex. Et quoniam veniente Domino ad Iudicium, omnium ante eum gentium congregatio futura est, mons ipse gloriæ veniẽtis Iudicis *cedet, & in quatuor partes dissectus longissimè diffugiet*, vt Tribunali Iudicis Theatrum totius orbis assistat.

Quomodo locus Iudicij & vallis Iosaphat & mons Oliuarum & Hierusalem.

Nec hîc Zacharias contrarius est Ioeli, aut alium à Ioele locum assignat. dum hîc *montem Oliuarum*; ille *vallem Iosaphat* locum Iudicij constituit, sicut nec contrarius Ioel, qui vocem Iudicis *ex Sion atque ex Ierusalem* dicit audiendam. Quoniam enim loca hæc coniunctissima sunt, perinde est, siue *montem Oliuarum*, siue *vallem Iosaphat*, siue *Sion atq; Ierusalem* locum Iudicis dixeris, cum in aere ipse conspiciendus ad omnia hæc lucis suæ radios sit diffusurus. 19.

Quis Locus Iudicis futurus in valle Iosaphat.

Dum verò Iudicis locum *vallem Iosaphat*, aut *Ierusalem*, aut *montem Oliuarum* asserimus, non volumus ad terras descensurum, atque his locis sedem Iudicij collocaturum; ibi iudicaturum. Sublimis in aere sedebit Iudex, candida nube, vt dictum, solium præbente. Illis tamen locis futurus dicitur, quia circa illa nubes ipsa, Domini sedes, hærebit. 20.

Omnino autem hîc Iudici Christo tribuendus erat locus. Quẽadmodum enim idcirco nomen accepit, quod est super omne nomen, quia humiliauit seipsum, *formam serui accipiẽs*; ita conueniebat, vt ibi in gloria atque maiestate viuorum atque mortuorum ageret Iudicem, vbi cum grauissimo dolore, ignominiosissimã mortem pati cæpit. *Digne*, inquit Hilarius in Matth. can. 25. *illic claritatis aduentus exspectabitur, vbi nobis gloriam æternitatis, passione corporeæ humilitatis est operatus.* 21.

Aa 2 CAP-

CAPVT DECIMVM NONVM.

De altera Circumstantia Apparitionis Christi Iudiciariæ in Nubibus, quæ est Tempus, Inquiritur,

De altera Circumstantia Iudiciaria Apparitionis Christi in gloria, Tempore scilicet, quo & quanto ipsa futura & duratura.

1. DVo hoc Capite sunt excutienda. vnum est, *quo tempore* Christus in maiestate & gloria sit apparíturus. alterum quanto tempore se conspiciendum in illa maiestate exhibiturus. In priori *indefinitum* tempus facilè assignabitur, *definitum & certum* non item: in posteriori simplicior faciliorq; est responsio; De priori prius.

An omnino incertum Tempus Apparitionis Christi Iudiciariæ, siue quo in Iudicio conspicietur.

2. *Indefinitum* ergo *tempus* Apparitionis Christi Iudiciariȩ, est; quod inter signa, quæ Apparitionem præcurrunt; & illa, quȩ eandem subsequuntur, intercurrit. Quia fieri nequit, vt appareat ante communem omnium hominum Resurrectionem: & necesse est, præcedat meritorum omnium postremam Retributionem; illam, qua Reprobis ignis ȩterni supplicia, Bonis verò & electis cælestis patriæ gaudia cedent. De hoc dubitare non debet, qui saluam velit Sacrarum Scripturarum auctoritatem.

Verùm,

Verùm, quoniam & incertum est, quando omnium mortuorum Resurrectio futura; & incertum, quando singulis pro meritis retribuetur iusta merces; idcirco necesse est, vt incertum & indefinitum sit Tempus, quo Dominus cum maiestate est venturus, atque gloriosam suam mundo præsentiam exhibiturus. 3

Hoc quoque egregijs Sacrarum Scripturarum elogijs confirmatum est. *De die autem illa*, vel hora cælorum, inquit Dominus, apud Matth. 24. *nemo scit, neq; Angeli nisi solus Pater*. apud Marcum verò, 14. *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neq; Angeli in cælo, neq; filius, nisi Pater.* Apud S. Lucam in eadem concione sic legitur, cap. 21. *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula:* &c. *& superueniat in vos repentina dies illa.* Est & optimum testimonium illud, Malach. 3. *Ecce venit, dicit Dominus, & quis poterit cogitare diem aduentus eius;* si verum est sermonem hic esse de secundo Domini aduentu, vt vult B. August. 18. de Ciuit. cap. 35. & lib. 20. cap. 25. & 26. Aptior locus est Zach. 14. *Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus & gelu: & erit dies vna, quæ nota est Domino.* 4.

Neque satis est, si quis dicat *diem & horam*, posse esse incertam: *annum* verò posse esse determinatum & certum. Nam, vt rectè annotauit B. Augustinus, *dies & hora*, in huiusmodi Scripturæ locis, absolutè pro *temporis duratione* ponitur. Quocirca Actuum 1. etiam Dominus interrogatus *de tempore illo* respondit: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta; quæ Pater posuit in sua potestate.* quo testimonio Augustinus putat optimè redargui omnes, quicunque *annos durationis mundi, aut tempus aduentus Domini* definire conantur. 5.

Ratio verò huius alia non est; nisi quia Aduentus Domini pendet ex diuina ipsius voluntate, quæ nobis reuelata non est; nec ratione potest inuestigari. Quocirca quemadmodum alia, quæ à diuina voluntate pendent nequaquam cognoscimus; quamdiu nobis non reuelantur; ita neque hoc mysterium Aduentus Domini. 6.

An liceat curiosius diem Aduentus Domini inquirere.

Et omnino voluit nos Dominus diem Aduentus sui ignorare, nec eius curiosos esse inquisitores. Ab Apostolis enim de hoc ipso interrogatus Act. 1. eam curiositatem compescendam putauit, & dixit. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater in sua potestate posuit. hic*, inquit B. Augustinus, *omnium calculantium digitos resoluit & quiescere fecit.* Hinc de ea re agens Cyrillus Ierosolymitanus, Catech. 15. optimè, inquit, *Tempus nemo curiosè inquirat. Non est enim nostrum scire tempora, quæ Deus posuit in potestate sua, neq; audeas determina-* 7.

vbi se delusos cognouerunt, saniora capiunt consilia. Refert hoc Aurifab. in Sympos. Luther. Fuerunt & Hutitæ quidam, à quodam Huto sic dicti, qui quod diem Domini iam præsentem crederent, genialiter cœperunt viuere; donec inopia eos cogente, ad labores priores redierunt. Ita Lindanus in Dubitantio: qui simili, vt ita dicam, mania dicit laborasse quosdam Anabaptistas, (ipse vocat Euthusiastas) qui à cælesti Patre se credebant huius reuelationem habuisse; vnde etiam quasi furibundi cursitabant hinc inde, sæpius repetentes hanc orationem *Dies Domini; Dies Domini*.

An possit dici & definiri Diem Domini iam instare.

Atque vt temerarium est certum *tempus* futuræ Apparitionis, & Aduentus Domini definire; ita non caret nota leuitatis asserere certò, illud *iam instare*; præ foribus esse; ita vt omnino expectari debeat. Quam ob rem Thessalonicenses, venturum sua ætate, Christum opinantes Paulus Apostolus vehementer ab ea sententia reuocat, in posteriori Epistola, cap. 2. ita scribens: *Regamus autem vos, fratres, per aduentum Domini Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, vt non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo. Quoniam nisi venerit discessio primum, &c.* Quanto hic verborum pódere præproperam de *die Domini* futuro sententiam Apostolus corrigit? Nulla ratione patitur quemquam, ea de re, certò aliquid polliceri. 11.

Quid ergo, inquit aliquis, *temeritatis arguendi* sunt Patres; *qui diem Domini dixerunt instare*? & tot Patres? Neque enim sunt pauci, qui ita & docuerunt & scripserunt. Referimus aliquos. B. Gregorius; cùm sui seculi calamitates, quæ plurimæ erant, expenderet; pestilentias, inquam, fames, seditiones, bella cruenta, Romani imperij ruinas, magnos terræ motus, non dubitauit sæpenumero pronunciare, *non tam impendere proximè, quam planè adesse diem Domini*. homil. 1. in En. & li. 8. epi. 41. &. homil. 4. in Euang. Quid Ambrosius? ille sic loquitur, li. 10. in Lucã. *Verborũ cælestiũ*, inquit, *nulli magis, quã nos testes sum⁹, quos mũdi finis inuenit. Quanta enim prælia, & quas accepimus opiniones præliorum?* Idem oratione ad Satyrũ fratrem. *Raptus est*, inquit, *ne totius orbis excidia, finem mundi videret*. His superior Hilarius in Constantium, quod Arianorum, sub Constantio rabiem videret & experiretur, *tribulationem eam esse dixit, de qua prædictum, quod nulla esset maior, ideoq; sine dubio diem vltimum aduentus Domini proximum esse.* Qui etiam Sanctissimus Cyprianus, lib. 4. Epi. 6. & lib. 3. epist. 1. ad hunc modum de hoc scripsit. *Scire*, inquit, *debetis & pro certo credere ac tenere præs-* 12.

putamus, & *cito* nostrum, & *sero* nostrum, inter has angustias metimur; instar formicarum repentium; quibus longum est iter, quod vno spacio tuo consumas. Alius est longè diuinitatis omnia prospicientis incessus: & breue est illi; quod nobis longissimum; cuius sunt iuxta Prophetam Abacuc 3. *itinera æternitatis*. Quoniam *mille anni*, ait Psal.89. *ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriȷt, & custodia in nocte, qua pro nihilo habentur, eorum anni erunt*. Iam si millæ anni Deo dies vna eaque iam præterita; quomodo non *citò* fit, quod ante vnam talem hebdomadam fit? Non igitur fallit Deus, sed nos potius non intelligimus assuefacti humanis angustijs; & diuinam magnitudinem minimè cogitantes.

Eadem breuitatis significatio etiam in priore Domini aduentu data est à Prophetis. Et Isaias quidem, cap.14. *Propè est*, inquit, *vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur*. Aggeus verò, 2.cap *Adhuc vnum modicum est; & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam; & veniet desideratus cunctis gentibus*. Huius *Modicum* annos plusquam quadringentos complectitur; illius *Prope*, fermè septingentos: quæ summa si ad mortalem hanc ætatem conferatur, quæ ad summum octoginta annorum curriculo clauditur, prolixa videbitur: sin ad æternum illum summi Dei diem, breuissimum punctum. Neque id tacuit Scriptura diuina, quæ cum alias sæpè *propinquum* diceret Domini aduentum; tamen in Abacuc, cap.2. magis ad sensum nostrũ accommodatè loquitur. *Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, Si moram fecerit, exspecta illum, quia veniens veniet & nõ ta rdabit*. 16.

Sed quidquid sit de *tempore* Aduẽtus Domini, nos prudenter cogitabimus; si *Nobis* iam iam illum immunere, atque adeò incumbere Iudicij vltimum diem nos arbitremur. Nam quod ad nos attinet, *tunc Nobis mundus iste finitur, cum vita finitur*. Signa quoque mundi occumbentis in ipsa nostra morte non desunt. Neque enim frustra adhortatur Sapiens Eccli.12. *Memẽto Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ. antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent, antequam tenebrescat sol, & luna, & lumen, & stellæ, & reuertantur nubes post pluuiam: quando commouebuntur custodes domus, & mutabunt viri fortissimi*. Quæ quidem de interitu cuiusque dici possunt, & tamen ad mundi interitum, vt animaduertit B. Hieronymus; spectare videntur. Nam quemadmodum *sol* rationis humanæ obscuretur, *stellæ* sensuum decidant, *luna* cogitationis obueletur, cerebri *imber* viuificus vacuis veluti nubibus non stillet, *ipsa ossa*, quæ domum hanc mortalem custodiunt, tanquam firma prҫsidia, com- 17.

 mota

Domini præsentem esse.

Et tamen contrarium docent, quæ fallere nequeunt, sacræ Scripturæ. De Angelis ita Dominus, Matth. 24. *De die illa nemo scit. Neque Angeli* cælorum. De se Christo ipse, Marci 13. *De die illa nemo scit. Neq; Filius Dei.* Et quamuis hic Angelorum, qui extra cælum sunt, id est, Dæmonum non fiat mentio; illos tamen excludi, eadem Domini oratio probat, qua significat *soli Patri* diem illam notam esse. Sed nec verisimile est Dæmones scire, quod ignorant Angeli. Spiritus verò sanctus per hoc cóuincitur illam diem ignorare; quod & *solus Pater* dicatur nosse; & *Filius* ignorare. 22.

Quid igitur hîc constituendum? aut quomodo hîc sua potest cũ dictis salua esse Scripturæ auctoritas? De Christo primùm definiendum est; tum de Spiritu sancto; deinde de bonis Angelis: postremò de malis, siue Dæmonibus. 23.

An & qua ratione Christus diem Iudicij ignorauerit.

De *Christo* igitur quidam docuerunt, nulla ratione ipsi diem illã notam fuisse, & cælestem Patrem, quemadmodum alios homines, ita Christum voluisse latere ipsam; propterea, quòd Christum non Patri æqualem, sed Patre inferiorem, creaturam crederent. *Ariani* hi fuerunt: & hoc, si non vt præcipuè, certè non vt infimo argumento vtebantur; quod illius diei ignorantiam haberet. Verùm horum error iam olim damnatus est, & constans est Catholicorum omnium confessio, non minus Christum, quàm Patrem, verum Deũ esse. 24.

Quocirca fuerunt, qui dubitarunt, Vtrum ad Euangelicæ veritatis textum pertineat, quod non habet Matthæus, Marcus autem habet in Domini oratione, *Neque Filius*. putaruntque malitiosè ab Arianis adiectum, ad Christi diuinitatem tollendam. Ita sentire videtur B. Ambrosius, lib. 5. de fide, cap. 7. Et certè B. Hieronymus, in Matth. 24. dicit in quibusdam exemplaribus desiderari. Verùm ne necesse est huc confugiamus; quando quibus vtimur, & quæ Ecclesia approbauit, Biblia, & *Angelos cælorum*, & *Filium Dei* expressè docét hunc diem ignorare. 25.

Habiti sunt Themistiani, cognomento Agnoetæ, pro hæreticis; quòd docuerint Christum illam diem ignorasse; vt auctor est Damascenus, lib. de hæreticis. Verùm illi, vt ex eodem Damasceno colligitur, simpliciter, & sine vlla distinctione diuinæ humanæque naturę ignorantiam illam Christo tribuebant: quia credebant diuinitaté in humanitaté conuersam: quæ & ipsa grauissima est hęresis. 26.

Quid ergo? *Ignorauitne Filius Dei* diem illam? Certè non ignorauit, qua *Deus est*. Qua enim Deus est, vt est verissimus, 27.

vniuscuiusque cum æterno Patre Deus; ita, vt Pater, illam diem nouit; nec fieri potest, vt minus nouerit; vtpote cum sicut vna Patris filijque essentia; ita vna operatio, vna cognitio, vna scientia.

29. Sunt tamē, qui etiam *vt Deum*, putauerunt dici posse filium diem illam nesciuisse, hac, scilicet, ratione; quia non nouit, *vt eandem alijs reuelaret*: quomodo Pater illam scire dicitur, quia scientiam illam filio, per æternam generationem cōmunicauit. Sed hac ratione Spiritus sanctus debuisset potius excludi, quam filius. Nam, filius etiam ita scit, vt eam scientiam Spiritui sancto communicet, per communem cum Patre spirationem. Imo cum omnes tres Personæ, communicent eam scientiam Christo homini, nulla earum dici potest, *eo sensu* diem illam ignorare.

30. *Si* igitur *diem illum ignorauit filius*; ignorauit *qua homo*: cum *qua Deus* ignorare non potuerit. Atque hoc docet insignis Doctorum chorus: Cyrillus lib. 9. Thesauri ca. 4. & li. 2. de fide ad Reginas, & in defensione 4. anathematismi. Athanasius itē serm. 4. contra Arianos. Origenes, homil. 30. in Mathæum: Nazianzenus, Orat. 36. num. 60. & orat. 35. num. 77. Basilius, Epist. 1. ad Amphilochium.

31. Sed tamen hic modus loquendi difficultatem habet. Nam quomodo etiam Christus *homo* illam diem potuit ignorar, cum in ipso essent *thesauri sapientiæ & scientiæ Dei* ad Col. 2. Et si hoc quis ad diuinitatem retulerit, non ignorant docti *varios esse sciendi modos*; quibus Christi anima excelluit: & hanc diem ignorasse dici non debet. Habuit *scientiam Beatam*, ab ipso suæ conceptionis instanti; qua in Verbo cognouit omnia, præterita, præsentia, futura; quæcūque, scilicet, Deus *scientia visionis* cognoscit. Habuit ab eadem instanti cōceptionis *scientiam diuinitus infusam*, qua vix pauciora cognouit. Quomodo igitur diem illam ignorasse dici debet? Certè nec *qua Deus* ignorauit, nec *qua homo*.

32. Varij igitur à varijs excogitantur modi; quibus *ignorasse illam diē* dicitur; sed, qui non probantur omnes, fuerunt, qui putant dici, ignorasse Dominum diem illum, *eo tempore*, qua dixit *filium de illo nihil scire*; cognouisse tamen post resurrectionem; quando à Patre Rex & Iudex mundi est constitutus. At iam diximus, à primo suæ conceptionis instanti ipsum diem illam ignorare non potuisse. Et qui prædixit omnia signa Aduentus secundi; & quæ ante, & quæ post futura sunt; illam diem ignorare potuit? Rursus (vt cum B. Hilario loquar lib. 9. de Trinit. sub finem) qui sciuit, quid alij essent facturi; & qui credituri in ipsum, quisque ipsum traditurus, Ioannis 13. ignorauit, scilicet, quid ipse facturus?

Placet,

Placet, quod Theophilactus, apud S. Thomam, in cap. 13. Marci habet. Christum, videlicet, vt curiosam & superuacaneam discipulorum quæstionem de die Iudicij prohiberet; velut *amphibologia* quadam orationis vsum fuisse; ita vt aliquem sensum verum significarit, diuersum ab eo, quem verba præ se ferebant (scilicet ipsum plane nescire illum diem) & quem potuerunt disciquli concipere. Quæ interpretatio, & respõsione illa Christi, Actuum 1. (*non est vestrum nosse tempora*) & exemplo quoque quotidianæ conuersationis fulciri potest. Nam cùm ab aliquo importunius de re, quam aperire non expedit, interrogamur; respondere solemus *amphibologicè*, nos nescire, etiamsi sciamus: intelligentes nimirum aliquid aliud, quam verba prima facie sonant.

Porrò *quis ille alius* fuerit verus sensus, quem *amphibologicè* significarit, variè exponitur à Doctoribus. Primo enim aliqui dixerunt, Christũ non se, sed filium alium, quemuis *Dei adoptiuum*, eo loco intellexisse. Quam interpretationem Basilius apud D. Thomam in 24. Matth. dicit se in cuiusdam libro legisse, qui eo argumento mouebatur, quod Christus proposuerit, in ea oratione *Angelos* dicens, *Neque Angeli in cælo, neque filius*, vt iudicium hoc sic de puro homine, qui Angelis inferior est, Christum esse locutum. Verùm leue hoc argumentum, & per *filium* intelligi Christum, omnes propemodum exponunt. Etsi in Christi oratione quadam est gradatio, optimè Angelis Christum postposuit, vt hic sit orationis Christi sensus. Nec homines illum diem scire, nec ipsos etiam Angelos, addo, quod nec filius sciat. 33.

Epiphanius hęres. 68. & 69. putat Dominum significare potuisse, *non amare* filium hominis seueritatem diei Iudicij, id est, non suapte sponte propendere in illam; sed potiùs in misericordiam. quemadmodum eius quod dicturus est, ad Impios, *Nescio vos*, Matth. 25. sensus est, non diligo. Sed an Pater, misericordiarum Deus, & cui *propriũ est misereri & parcere*, seueritatem illius diei diligit, non misericordiam? 34.

Alij volunt, *vt hominem*, dici ignorasse diem illum; non quia in humanitate, aut humano intellectu nesciuit; sed quia non ex humanitate, & scientia humana atq; naturali, verùm diuina & supernaturali, vt sit sensus. nõ scire ipsum hanc, quia homo est, sed quia Deus. Nam si homo tantum fuisset, quantumuis perfectus, quantumuis Deo gratus; non sciuisset illam; quemadmodum nec Angeli sciunt, qui & perfectissimi, & amicissimi Deo sunt. Itaque non negaret Christus se etiam hominem diem Iudicij scire; sed scire eo titulo, 35.

Spiritũ ſanctũ. Iam ante diximus, quòd notitia, qua Pater diem illã cognoſcit, eadem omnino ſit, cũ illa, quã & Filius habet, & habet Spiritus ſanctus.

Cur igitur *ſoli Patri* diem illam notam eſſe Dominus aſſeruit? Aſſcendo *Patri eſſe notam*; non excluſit Dominus aut ſe, aut Spiritum ſanctum: Quemadmodum nec Pater, nec Spiritus ſanctus excluditur, aut negantur Dominus, quando Iudas in ſua Canonica *Chriſtum ſolum* vocat *Dominum & dominatorem terræ*. Nec per Patrem & Spiritum ſanctum negantur *omnia*; quando, 1. Corinth. 8 *vnus dicitur Ieſus Chriſtus, per quem ſunt omnia.* Nec Pater & Spiritus ſanctus negatur eſſe Deus, quando de Chriſto ſic loquitur Baruc, 3. *Hic eſt Deus noſter, & non eſt æſtimabilis alius aduerſus eum: in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus.* 41.

Regula eſt in Theologorum ſcholis, quòd *Quotieſcunq; excluſiuæ dictiones adduntur Trinitatis ſanctiſſimæ perſonis reſpectu prædicatorum eſſentialium; non excludatur perſonarum, ſed naturarum creatarum pluralitas.* Hoc ſenſu igitur *ſolus Pater eſt Deus*; quia nulla creatura Deus: *ſolus Pater diem illam nouit*; quia nulla creatura nouit. ſed tamen cum Patre Deus eſt Filius & Spiritus ſanctus; & cum Patre diem illam nouit Filius, & Spiritus ſanctus. 42.

An ex inſtaurandis ruinis in cælo, Angeli diem poſtremum poßint ſcire, aut alia ratione aliqua.

Quid verò de *Angelis*? An ſi non ex diuinitus ſibi facta reuelatione, ſaltem ex *ruina in cælo inſtauranda* diem illam poſſunt conijcere? Poſſent quodam modo aſſequi; ſi pro numero Spirituum malorũ, qui ceciderunt, numerus hominum, qui ruinas reſtaurarent, eſſet aſſumendus. Quid enim an poſſunt ignorare mentes illæ ſuos conciues? qui ad ipſorum ſocietatem quotidie accedunt? cum ipſis quotidie conuerſantur? 43.

Verùm non pro numero Spirituum, qui ceciderunt, numerus eſt hominum, qui miſerorum ruinas reſtaurabunt. Quemadmodum ſi Spiritus illi nunquam cecidiſſent; homines nihilominus clementiſsimus Deus ad cæleſtis vitæ gaudia aſſumpſiſſet: ita volet eſſe, nõ tot tantum, quot loca vacant, ex ijs, quæ degeneres Spiritus occuparunt; ſed quot ipſe ad cæleſtia gaudia prædeſtinauit. 44.

Sunt qui exiſtimant B. Auguſt. illius ſententiæ fuiſſe; quaſi tot ex mortalium hominum genere ſint aſſumendi ad cælos; quot ceciderunt ex immortalium Angelorum genere. At eius ſententiæ non fuit Auguſtinus. Docet quidẽ per homines cæleſtes ruinas inſtaurãdas: verùm non docet tot ſolùm pro reſtauratione aſſumendos, quot ex Spiritibus ceciderunt. Verba B. Patris hæc ſunt, cap. 61. Enchyridij. 45.

Ex ipsa, inquit, *hominum redemptione ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur*. Statimq; subdit, cap. 62. *Et vtiq; nouerint sancti Angeli, docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti sunt, quanti numeri supplementum ex genere humano integritas illius ciuitatis exspectet.*

64. Cæterùm, vt ex numero hominum, qui pro cælestibus ruinis restaurandis assumuntur, dies Domini constitui non potest apud Angelos: ita neque potest constitui, ex illorum Spirituum numero qui constanter, cum Michaele Archangelo Deo, adhæserunt, quia neque vtrum tot homines, quot perstiterunt Angeli, sint assumendi, ipsis Angelis manifestum est.

65. Sic neque potest constare ex numero tam eorum qui ceciderũt, quam qui perstiterunt. Licet enim horum numerum perfectè norint; ignorant tamen vtrum tot, an plures, aut pauciores ad cælestia regna sint prædestinati. *Solus Dominus nouit, qui sint eius*. 2. Timoth. 2. Ille nouit quos præsciuit, quos elegit, quos prædestinauit. Optimè ergo Dominus, *de die illa nemo scit, neq; Angeli cælorum*.

66. *An Dæmones sciuerint diem Domini.*

Sequitur Dæmonũ examen: *An diem Domini illi norint?* Quod norint inde, vt diximus, aliqua accipitur coniectura. quod Christo, Matth. 8. obijciãt, quasi tempus cruciatuum ipsorũ ipse anteuertat, cùm illud longius putarent differendum. *Quid nobis*, inquiũt, *& tibi, Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos*.

67. Sunt, qui hinc nihil de die illa putant colligi propter duo; Primum est, quod illud, *ante tempus*, non cum *torquere*; sed *venisti*, coniũgendum sit: vt Dæmones significare voluerint Dominum anteuertisse tempus aduentus; quod Messię fuit præstitutum. Alterum est, quod voluerint significare, *tum primum* pœnas suas initium habituras; quas, ante illum diem, nullas sustinuissent. Verum neutrum bene dicitur.

68. Nam quod attinet ad illud prius; Non potuerunt ignorare nequam Spiritus tempus aduentus Messię definitum, iam transactum esse, cum etiam homines mediocriter docti id cognouerint. Quocirca illud *ante tempus* cum sequentibus coniungendum est, vt dicere voluerint Spiritus, Quid venisti torquere nos, antequam tempus est, vt torqueamur.

69. Sic dici non debet; quod per Christum primum timuerint se torquendos. A quo tempore, à Deo se auerterunt; ab initio inquam mundi conditi, *mox* sua ipsos iusta secuta sunt tormẽta: &, vt loquitur Strabus, in 3. Epist. ad Philip. *sua secum semper circumtulerunt supplicia*.

cia. Hoc ergo, torturæ potuerunt timere per Christum sibi addendum; quod & libertas per mundum vagandi ipsis esset adimenda, & miseri in abyssum essent mittendi.

Quamuis hac ita sint, necdum tamen necesse est dicamus hinc colligi; quod diem Domini Aduentus norint Dæmones. Quoniam rectè dicere potuerunt, quod *ante tempus* Dominus eos torquere venerit; quamuis etiam nullam cogitationem illius diei habuerint. Quid enim, si dicere voluerunt Dominum nimis citò contra ipsos bellum incipere? Quid, si dicere, hominem quem affligebant meritum esse; vt maiores siue diuturniores ipsorum infestationes sustineat; & nō quando ipsos Dominꝰ aggrediebatur, sit liber? Certè in vtroque potuit esse nulla diei Dominicæ cogitatio. 52.

Adde, quod & si illius diei etiam cogitationem habuissent; necdum hinc colligatur, quod diem cognouissent. tum quia dicentibus credi non debet; filijs scilicet, *Patris mendacij*: tum etiam, quod scire potuerint nondum diem Domini adesse, & simul ignorare, quando sit futura. quemadmodum & homines scire possunt nondum esse præsentem; propterea quod signa quæ illum sunt præcessura, nondum obseruarint; & simul ignorare, quando nam sit ventura. Ignorarint igitur etiam Dæmones diem Domini. 53.

An ex hominibus qui ad cælum sunt assumpti, aliquis iam norit, quando Domini dies ventura.

Vera ergo fuerit Christi oratio, quod *de die illa præter Deum, nemo sciuerit, neque hominum aliquis neque aliquis Angelorum siue bonus ille sit, siue malus.* An quoque *iam nullus mortalium sit*, qui norit, difficilius dicitur, *iam*, inquam; postquam plures ad cælestem patriam sunt assumpti, fęlicemque cum Deo vitam agunt. Neque enim quæ olim, quando in terris, cum hominibus adhuc conuersabatur Dominus, hominum fuit, nunc est conditio. Quamuis enim quidam vita functi non essent tunc miseri; nulli tamen beata illa visione erant felices, quocirca plurima ignorarunt, quæ iam, postquam cum Christo in cælum sunt assumpti, cognoscunt. Quid ergo? *An iam* in cælo, qui videntem, & cognoscentem omnia speculantur, atque intuentur, in illo illam diem cognoscunt? Difficulter hîc quidquam definiueris. Verisimile admodum est aut *nullos* esse: aut esse *paucissimos.* propterea; quod quando Dominus de cælorum Angelis vniuersum definiuit quod illam diem ignorint, illi nō minus tum felices fuerint, quam sint modo, vt ob id quis cōcluserit non temere felicitatem illius patriæ, notitiā diei Domini secumnon afferre. 54.

Quanto Tempore Christus in Iudicio est sessurus.

55. Constitutum igitur sit incertum esse. *Quando Dominus in gloria Iudex est appariturus.* An quoque incertum; *Quanto tempore?* Hoc alterũ, quod in Temporis circumstantia quærebatur. Et longiori tempore mortalibus præsentiam Domini suam exhibendam fortasse quis suspicabitur ex dictis, quod dicatur sessurus in *sede maiestatis*, Matth. 19. *disceptaturus cum omnibus gentibus.* Ioel. 3 *scrutaturus Ierusalē in lucernis*, Soph. 1 *de cogitationibus interrogationes instituturus*, Sap. 7. exacturus rationem *verborum otiosorum*, Matth. 12. commendaturus *opera misericordiæ in benedictis*, Matth. 25. reprehensurus *crudelia viscera in maledictis.* Ibidem. Sed tamen quamuis *Quanto tempore* conspiciendus sit, certè definiri non possit; certò tamen dici potest, *breui admodum tēpore* conspiciendum esse.

56. Docet hoc *repētina*, vt vocatur, Lucæ 21. *dies illa.* Ita, scilicet dicitur; non solum quia inopinatos obruet; verùm etiam, quia vt inuoluens & rapidus imber, velocissimè est transitura. Docet aduentus Domini *furi* comparatus, ab Apost. 1. Thess. 5. fur enim, quam potest velocissimè rapta præda discedit. Sed optimè explicat Dominus similitudine *fulguris*, Matth. 24. *Sicut enim fulgur vno momento ab Oriente vsq; in Occidentem elucet, ita*, inquit, *erit aduentus filij hominis.*

57. Nec hic opus est longiori mora. Nullam sic iniuriam facit Dominus benedictis & iustis. quia presentiam suam ipsis non subtrahit, quin in ò eosdem secum ad cælum assumit, æternum se ipsis manifestaturus. Mali verò nec illo conspectu sunt digni; quo Iudicem intuebuntur. quid quod vellent non videre, à quo miseri ad perpetuos relegandi sunt carceres infernales? Quæcunque verò in illa Domini Apparitione sunt perficienda; examina, videlicet, disceptationes, interrogationes, rationum positiones, sententiarum prolationes, omnia, *minimum*, vt diximus, *tempus requirunt.*

CAPVT VIGESIMVM.

De tertia Circumstantia Iudiciariæ Christi Apparitionis in Nubibus, fine videlicet, Inquiritur.

Ob quas causas Christus in fine mundi se in Maiestate est omnibus exhibiturus. Num. 2.

An futurum aliquod Vniuersale Iudicium in fine seculorum. 6.

An in fine vitæ cuiusq; sit Iudicium Particulare cum singulis hominibus. 8.

Ob quas causas sit instituendum Vniuersale Iudicium. 12.

Glorio-


Loriosæ Christi in fine seculorum Aduentus, & Apparitionis, *causa variæ* assignantur, quemadmodum & primi in carne Aduentus: sed præcipuæ videntur esse *quatuor*. & aliæ omnibus mortalibus seruiunt; aliæ certo hominum generi; aliæ alijs rebus. quæcunque sunt, hoc Capite nobis sunt explicandæ. 1.

Ob quas causas Christus in fine mundi cum maiestate se est omnibus exhibiturus.

Prima igitur illa sit; quod voluerit Deus vniuersum genus mortalium oculis *coram intueri Saluatorem suum*; à quo, & per quem, eximia illa, ad quod creatum est, beneficia vel obtinuisset, vel si voluisset, obtinere potuisset. Causam hanc Iob, vir iustus & rectus insinuat, dum inquit, cap. 19. *In carne mea videbo Saluatorē meum.* Et profectò hoc vltimum humano generi erat tribuendum ab illo: qui se totum in humanum genus impendisset. 2.

Altera est *confusio hostium Christi* Appariturus, scilicet, aliquando erat *ingloria*, quem quasi opprobrium hominum & despectionem plebis habuissent in gratissimi mortales. Hanc Dominus indicat, apud Matth. 26 quando, quasi per cōtemptum, interrogatus à Principe Sacerdotum, Num sit Christus Filius Dei; non tam confessus est hoc, quam quod *amodò visuri Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cæli.* quasi dicat, Veniet dies, quem cælestis Pater ad gloriam meam, vestramque confusionem volet illuxisse: in illa cognoscetis, cum vestra omnium plena cōfusione, Num sim Christus Filius Dei. 3.

Tertiam suspicor esse *summam consolationem Iustorum.* quamuis enim hanc iusti etiam in cælorum Regno essent habituri; conueniebat tamen, vt quemadmodum ante possessionem illius Regni, Impij erant, coram iustis confundendi, ita recrearentur in ipsorū præsentia, intuitu atq; contemplatione sui Saluatoris Iusti. Hinc quoque eosdem vult Dominus, in illa die *sua leuare capita, & exultare quòd iam præ foribus ipsorum sit redemptio.* Lucæ 22. 4.

Quarta, eaque forsitan præcipua est; *vt Mundum, præsente omni creatura, humana, cælesti, inferna, iudicet.* Hanc Symbolū Apostolorum tradit: *Inde enim,* è cælo, *venturus est iudicare viuos & mortuos.* & Domin⁹ apud Ioelem, cap. 3. *In tempore isto,* inquit, *congregabo omnes gentes in vallem Iosaphat, vt iudicem eas.* & Isaias, cap. 66. *Ecce,* inquit, *Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius, reddere in indignatione furorem suum.* Atque ab hac causa Apparitio hæc nomen, quod *Iudiciaria* vocetur, accepit. 5.

An futurum aliquod vniuersale Iudicium.

Priores illæ causæ singularem difficultatem non habent. habet non paruam *quarta*. Quid enim opus, vt *rursus* Iudex Dominus adueniat? Nonne omnium causæ sunt terminatæ? *Angelorum* atque *Dæmonum*? horum vbi ceciderunt; illorum vbi perstiterunt? De Dæmonibus hoc superius probauimus: de Angelis, quia nullus dubitat probatione nulla opus.

7. De *hominibus* forte quis ambigit, cum Lactantio, qui, 7. Diuinarũ Institutionum, cap. 21. existimat defunctorum hominum animas, postquam corpora sunt egressæ, vsque ad vltimum Iudicij diem, sententiam suam ignorare, ideoque ante illam, in alia vita, nec pœna affici, nec percipere vllum suorum laborum fructum. Verùm Catholico homini iam dubitare non licet. Constantissimè credendum singularum causas, *mox*, cum corpora fuerint egressæ, discuti & terminari: & iustas beneque purgatas *mox* sua sequi præmia: impias *mox* sua supplicia.

An in fine vitæ cuiusq; sit particulare Iudicium.

8. De Iustis hoc docet Apostolus, 2. Corinth. 5. *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cælis.* Pro impijs est vnus diues epulo, qui *mox à morte sepultus est in inferno, ibidemq; grauissima supplicia sustinuit*, quemadmodum probat hæc eius oratio, *Crucior in hac flamma.* Lucæ 16.

9. Sed & disertis verbis id docet Ecclesiastes, cap. 11. *Facilè est*, inquit ille, *coram Deo in die obitus retribuere vnicuiq; iuxta vias suas.* disertis idẽ docet Apostolus, ad Heb. 9. *Statutum est*, inquit, *hominibus semel mori, post hoc Iudicium.* quod exponens B. Ambrosius, *post mortem*, inquit, *iudicabitur vnusquisq; iuxta merita sua.*

10. Hinc bene B. Chrysostomus, homil. 37. in Matth. *Postquam diem tuum obieris Iudicium & pœna consequetur.* Bene Damascenus, oratione de defunctis, *Aiunt*, inquit, *viri diuinitus illustrati, quod cum exhalamus spiritum, quasi in libra humana opera probantur.* Bene B. Augustinus, 20. de Ciuit. cap. 1. & lib. 2. de Anima & eius origine, cap. 4. *Illud rectissimè, & valde salubriter creditur, iudicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud Iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari.* Et infra. *Quis aduersus Euangelium tanta obstinatione mentis obsurduit; vt in illo paupere, qui post mortem oblatus est in sinu Abrahæ; & in illo diuite, cuius infernalis cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita nõ credat?*

11 Idem confirmat Cyprianus Martyr, lib. de Mortalitate; quando docet *Iustis gaudendum esse* de morte corporis, propterea, quod per

eam *iusta bonorum operum præmia cum Christo & per Christum obtineant.*

Ergo cum hoc certum sit atque indubitatum, omnium, videlicet, causas in fine vitæ terminari; singulos prout in corpore gesserunt mercedem reportare; quid *nouo* opus est, *vniuersaliq;* Iudicio? Quanquam diuina iudicia timere potius, quam scrutari iubeamur; vtile tamen valde, paucis, quid diuinæ literæ de hoc insinuant, considerare. 11.

Ob quas causas instituendum vniuersale Iudicium.

Primum igitur expedit, *ex parte Dei,* vniuersale institui Iudiciũ, vt hac ratione *omnes* cognoscant iustissimum esse Deum Opt. Maximum, non solum erga se, quod in cuiusque particulari fit Iudicio; verum etiam erga quãcunque creaturam; humanam, cælestem, infernam. Quocirca tum fiet, quod Regius Propheta prædixit, Psal. 9. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Hanc Domini iustitiam prædicaturos Sanctos, docet Sanctissimus Ioannes in suo Apocalyp. cap. 15. *Omnes,* inquit, *gentes venient, & adorabunt in conspectu eius, quoniam iudicia tua manifesta sunt.* 12.

Expedit deinde ex *parte Sanctorum.* Neque enim parua gloria illis accedet per hoc, quod in totius mundi theatro eorum præclara cõmendabuntur facta; dignamque mercedis sint accepturi retributionem. Eam gloriam ex Dei commendatione egregiè persequitur Cyprianus, lib. de Mortalitate; insinuat verò Apostolus, 1. Corinth. 4. quando sic loquitur, *Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum; & manifestabit consilia cordium. Et tunc Laus erit vnicuiq; à Deo.* 13.

Atque vt hinc Sanctis accedet gloria; ita Improbis atque damnatis summa confusio. quocirca etiam ex *Reproborum parte* conuenit generale Iudicium institui. Significat hanc Confusionem futuram Sapiens, cap. 4. & 5. Sapient. *venient Impij,* inquit, *in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso. Stabunt Iusti in magna cõstantia aduersus eos.* &c. *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis; dicentes intra se, præ angustia gementes: Hi sunt quos habuimus aliquãdo in derisum. Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei.* 14.

Postremo; quoniam *natura hominis è corpore constat atque animo*: ac animus inuisibilis est, corpus visibile conueniebat Iudicium quidẽ animarum, cum è corpore exeunt, veluti secretum & inuisibile habere: sed cum redditæ corporibus fuerint, & totus homo resurrexerit, qui totum hominem redemit, totum iudicare debet; idque se- 15.

cundum hominis naturam visibiliter & corporaliter. Idcirco Christus manifestus aduenict, sicut fulgur, toti mundo conspicuus.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De ijs generatim quæ Iudiciariam Christi in Nubibus Apparitionem sequentur; quæ sunt,

Sententiæ Iudicantis Christi executio:
Mundi huius renouatio:
Traditio Regni quam Patri facturus Filius:
Euacuatio omnis principatus & potestatis;
Mortis inimicæ Destructio.

1. VNum restat ex ijs, quæ de Iudiciaria Christi in Nubibus Apparitione sunt dicenda. Hoc Consequentia ipsam complectitur. Nam vt quædam cum ipsa sunt coniuncta: quædam præcedunt: ita quædam sunt, quæ consequuntur. Absolutus ergo noster Tractatus erit, si hæc quoque explicata fuerint:

2. Varia autem hæc sunt; sed præcipua quinque, quæ sic nominare possumus, vt 1. sit Sententiæ Iudicantis Christi executio. 2. Traditio Regni, quam filius Patri est facturus. 3. Euacuatio omnis Principatis, potestatis & Virtutis. 4. Mundi huius Renouatio. 5. Mortis destructio.

3. Meminerunt horum partim Dominus ipse, partim Apostoli, partim Prophetæ, partim etiam Sibyllæ, quemadmodum docebimus cum de singulis agemus. Et quia difficultatem singula habent non paruam, ita non sine fructu discutiuntur & inuestigantur.

4. Quis inter ipsa Ordo futurus sit difficulter dixeris. Quædam simul videntur euentura: quædam alia præcedere. Quidquid sit, si Ordo futurus est, breuissimi temporis erit.

5. Iudicij siue Sententiæ Iudicis executio primum locum videtur habitura. Id Dominus insinuat cùm post latam sententiam dicit reprobos ituros in supplicium æternum, & iustos in vitam æternam: Sed tamen à Mundi Renouatione nos initium faciemus, & in Sententiæ excutione Disputationem concludemus.

CAPUT

CAPVT VIGESIMVM Secundum.

De Mundi renouatione, quæ post extremum Iudicium futura est: Inquiritur,

An renouandus hic Mundus.

Mundum esse renouandum, nullus negauerit, qui Sacræ Scripturæ fidem adhibere voluerit. Diserta sunt pro hoc, & 1.
noui & veteris Testamenti oracula. Isaiæ 65. est illud, *Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora: & non ascendent super cor.* & cap. 66. *Sicut cæli noui, & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit*

bit semen vestrum, & nomen vestrum. Ex Nouo Testamento est illud Apocalypsis, 21. *vidi cælum nouum: & terram nouam. primum enim cælum, & prima terra abijt.* Idem docet S. Petrus, 2. cap. 3 *Nouos*, inquit, *cælos, & nouam terram, secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat.*

2. Consentit cum his Scripturæ locis ratio. Quia enim Mundus propter homines, & electos maximè, factus est (iuxta illud 1. Corinth. 3. *Omnia vestra sunt*) conueniens est, vt quemadmodum status hominum electorum est innouandus; ita statum nouum Mundi status accipiat. Insinuat hanc rationem D. Paulus ad Rom. 8. *Exspectatio creaturæ*, inquit, *reuelationem filiorum Dei exspectat.*

An renouandus Mundus ante, vel post Iudicium extremum.

3. Quod verò Innouatio hæc *post Iudicium* futura sit, non omnium est sententia. Nobis tamen hæc probatur maximè, ob illud Pauli, 1. Corinth. 15. *Deinde finis; cum tradiderit Regnum Deo & Patri: cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos eius, sub pedibus eius.* Hoc enim significatur *finem*, id est, *consummationem & omnimodam rerum omnium perfectionem* ad Mundi perfectionem pertinentium, futuram, quando *positi fuerint inimici eius scabellum pedum eius*: quod vtique fiet post Iudicium, quando Regnum Patri tradiderit.

4. Hinc optimè B. Augustinus, 20. de Ciuit. Dei, cap. 4. *Peracto*, inquit, *Iudicio, tunc esse desinet hoc cælum, & hæc terra: quando incipiet esse Cælum nouum & noua terra.* Et in hunc modum exponit illud Apocalyp. *Vidi Thronum magnum, candidum, & sedẽtem super eum, à cuius conspectu fugit cælum & terra.* Et notat, non dixisse Apostolum, *& ab eius facie fugit cælum & terra*: quoniam nondum factum est, antiquam esset de viuis & mortuis iudicatum: sed dixit, *à cuius facie fugit*, vt iudicaret, quod postea futurum est Augustini sententiam sequitur Iulianus, lib. 3. Prognost. cap. 47. & 48. & Anselmus in Elucidario.

5. Et profectò innouatio hęc fieri non debuit, nisi post Reproborum de Mundo subtractionem, propterea, quod per illorum præsentiam, & olim Mundus sit contaminatus, & tunc posit contaminari. Quid quod ijdem indigni sint, qui vel ad modicum tempus, luce atque pulchritudine, quæ Mundo accedet, perfruantur?

Quis mundus innouandus.

6. Verum *Quis hic Mundus*, qui renouandus dicitur? Neque enim vna est *Mundi* significatio: quemadmodum vel vnus, apud S. Ioannem versus indicat, dum, inquit, *In Mundo erat, & Mundus per eum factus est: & Mundus eum non cognouit.* Vbi & hæc corporalis, quam conspicimus,

cimus, machina;& qui illam incolunt homines, *Mundus* vocantur. Ergo quid Mundi nomine intelligitur, quando *Mundus* dicitur *innouandus*?

Mundum intelligimus corporalem hanc, quam conspicimus machinam;quamque hominum causa, Deus Opt. Max. condidit & ornauit. Id insinuant verba & Isaiæ,& Ioannis,quæ initio Cap. produximus. *Cælorum* enim meminerunt & *terræ*, quibus vtique nô homines, sed Mundi machina denotatur. Vnde bene Tertullianus, lib. de velandis Virginibus, cap. 4. *Nomine Mundi*, inquit, *Cælum, & quæ in eo sunt sydera, & astra: & terra, & freta, & omnis census elementorum significatur.* 7.

An totus Mundus innouandus.

8. Sed *totane* Mundi machina innouanda est, an *cælum* solum,& *terra*, quorum dicti Prophetæ meminerunt: nôn aer: non ignis: Omnium erit innouatio; quanquam duorum tantum fiat mentio. Quia nouum non est in Scripturis, vt *cæli & terræ* nomine, vniuersa Mundi machina accipiatur, exempli causa sit initium libri Geneseos; *In principio creauit Deus Cælum & terram.*

9. *Cæli* ergo voce cælos omnes, omniaque cælestia, quæ quidem mouentur, corpora comprehenduntur: *Terræ* verò, omnia elementa. Quia quæ vnius cæli, illa est omnium ratio: & quæ Terræ; illa est elementorum omnium. Et cur vnum cælum innouandum & non omnes? & cur vnum elementorum, terra; & non omnia?

An quoq; Mixta innouanda, an potius è medio tollenda.

10. *Mixta* his non continentur: nec plantæ, nec animalia. quia nec plantæ, nec animalia post diem Iudicij erunt. Omnia hęc Ignis Cóflagrationis consumet, etiam Pisces: quos profundissimum mare, vt Igni illi quasi in escam cedant, euomet. Atque huiusmodi rerum interitum denotauit Petrus Apostolorum Princeps, quando in 2. cap. 3. sic loquitur. *Terra autem, & quæ in ipsa sunt exurentur.*

11. Et quid opus Mixtis, post Iudicij diem peractam? A Deo illa mortalium generi, ad vitam hanc sustentandam concessa sunt. *Omne*, inquit Deus, Genes. 1. *quod mouetur & viuit, erit vobis in escam.* At vita hæc in aliam, quæ sustentatione non indigeat, erit commutanda.

12. Præterea, à motu Cælorum pendet horum generatio, & conseruatio, docent hoc Theologi atque Philosophi, quos bene defendit Sotus, in 4. dist. 48. quæst. 2. ar. 2. Cessabit auté tunc motus cæli: quémadmodum mox docebitur. Nulla ergo Mixtorum erit generatio atque conseruatio. nulla erunt Mixta.

An Cœlorum innouatio fiet per transmutationem substantialem, vel accidentalem.

13. Cæli igitur & Elementa sunt innouāda *Quo modo verò?* An, vt omnino hæc, quæ iam sunt, esse desinant: & alia ipsis substituantur? An non hoc; sed, vt hæc in alia, alterius naturæ, transmutentur? An nec hoc; sed, vt eadem, quæ iam sunt, permaneant, sed tamen aliter se tum, quàm modò habeant? Tertium hoc. priorum neutrum.

14. Non probatur sententia, qua dicitur cælestia corpora (de his primùm dicamus, tum deinde de Elementis) in alia transmutanda; quamuis etiam graues Authores habeat, vt sunt nostris temporibus Ambrosius Catarinus, super 1. ad Hebręos, & Hieronymus Magius lib. 2. de exustione Mundi, cap. 6 & 7, & Franciscus Vallesius, li. de sacra Philosophia ca. 89. & temporibus præcedentibus Hilarius, in Psal. 118. Chrysost. homil. 14. in Epist. ad Roma. Theodoretus, Oecumenius, in 8. ad Rom. Iustinus Martyr, q. 93 94. 95. Basilius, hom. 3. Exam. &c. Non probatur, inquam, Eadem, quæ nunc sunt cælestia corpora, post Iudicij diem perdurabunt. *Cognoui*, inquit Ecclesiastes, cap. 3. *quòd omnia, quæ fecit Deus, ipsa erunt in æternum.*

15. Et alibi ad Roman. 8. docet Scriptura, *Mundum à seruitute corruptionis liberandum*, sed non corrumpendum. Propter quod Apostolus idem, 1. Corinth. 7. dicit, *præterire figuram huius Mundi.* Vbi bene putarunt obseruandum Hieronymus atque Augustinus dici ab Apostolo præterire *figuram* Mundi, non substantiam: *figura præterit*, inquit Augustinus, 20 de Ciuit. cap. 14. *non natura.*

16. Sed pro Cælis magis faciunt sequentia. De his sic Psal. 148. Regius Propheta: *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in æternum. & in seculum seculi. Præceptum posuit, & non præteribit.* quid pro Cælorum perpetuitate clarius dici potest? Pro eadem est illud, apud Iob, ca. 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es Cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.*

17. Quod Isaias dixit, cap. 30. *Erit lux lunæ, sicut lux solis: & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum in die, in quo alligauerit Dominus vulnus populi sui*; ad tempus illud, quod Iudicium sequetur, pertinet, quemadmodum exponit B. Hieronymus. Si verò tanta solis & lunæ tum lux erit, quomodo luna & sol non erunt?

18. Sic docet Apostolus ad Rom. 8. quòd *Omnis creatura parturit & ingemiscit, vsque adhuc, quemadmodum*, inquit, & *nos primitias spiritus habentes, intra nos gemimus, exspectantes redemptionem corporis nostri*, &c.

Quid

Quid verò, An in *Creaturarum* numero non sunt Cæli? Et si quam nos exspectamus *redemptionem* exspectant; illo tempore non erunt, quando redemptio continget?

Quid ergo est, dicet aliquis, quod Psal. *101.* dicitur: *Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt Cæli. Ipsi peribunt, Tu autem permanes.* Respondet B. Hieronymus in 61. *Isaiæ: Perditio cælorum*, inquit, *non interitum significat, sed mutationem in melius.* Idem latius persequitur cap. 65. & Ambrosius eadem verba exponens, *Cæli*, inquit, *pereunt ab eo quod sunt, dum immutantur in melius.* 19.

Eodem modo intelligenda sunt sequentia; illud *Isaiæ* 34. *Tabescet omnis militia cælorum: & complicabuntur sicut liber Cæli: & omnis militia eorum defluet, sicut defluet folium de vinea.* & illud, cap. *51. Cæli, sicut fumus liquescent, & terra, sicut vestimentum atteretur.* & illud Iob. 14 *Homo cùm dormierit nō resurget, donec atteratur Cælū*, & illud Ecclesiastici *17. Quid lucidius sole? & hic deficiet.* Mutationem in melius significāt, nō corruptionem. Atque id apertè docet Epiphanius Hæres. 64. citans Proclum, & Methodium. *Hic mos*, inquit, *est Scripturæ, vt hanc Mundi transmutationem in meliorem, & magis gloriosam restitutionem interitum ac perditionem dicant, tanquam, videlicet, prior figura pereat, per vniuersorum ad illustriorem statum immutationem. Nam nulla contrarietas aut absurditas est in diuinis Scripturis. Præterit enim figura huius Mundi, & non Mundus dictum est. Sic sanè morem habent Scripturæ, vt perditionem vocent mutationem in meliorē aut pulchriorem prioris formæ.* ita Epiphanius. 20.

Duo adhuc sunt contra Cælos. Alterum est apud Matth. 24. vbi Dominus, *Cælum*, inquit, *& terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Alterum, apud D. Petrum in 2. cap. 3. vbi sic loquitur. *Cæli qui nunc sunt, & terra, reseruati sunt in diem Iudicij, & perditionis.* Sed Domini oratio hyperbolica est, & comparatiua; docetque potius posse deficere cælum atq; terram, quàm ipsius verba: Apostolus verò, nomine *cælorum* intelligit aerem, iuxta frequentem Scripturę vsum. idq; inde manifestum est, quòd loquatur de hoc inferiori mundo, qui aqua inundatus fuit. Et de Cælis hactenus. 21.

Qualis in Elementis Innouatio futura.

Sic non placet, quòd Elementa dicuntur corrumpenda prorsus. 22.
Quemadmodum Cæli, ita Elementa post Iudicij diem stabunt & subsistent: etiam Aqua atque Ignis; quæ quidam pro cæteris volunt tollenda. Omnes Cæli, vt omnia Elementa permanebunt. Ad Elementa etiam pertinet illud Ecclesiastæ 3. *Cognoui, quòd omnia, quæ fe-*

cit Deus, ipsa erunt in æternum, ad Mundum cuius *formam* tantum, non substantiam, *præterire* dicit Apostolus, 1. Corinth. 7. pertinent Elementa. Et ipsa inter *Creaturas* sunt, *quæ ingemiscentes exspectant libertatem à corruptione*. Ad Rom. 8.

23. Et si tollenda sunt Elementa, à quo quæso tollentur? Ab *Igne* non dubito, dicetur, *Conflagrationis*. At quo modo hic Ignis tollet *Ignem sublunarem*? ignis ignẽ? qui vterq; vnius atq; eiusdem naturæ? Et *Aerem* quomodo tollet, cum mediam regionem aeris Ignis Conflagrationis non sit transiturus. Sic quod *Aquam* vniuersam sit absumpturus non facilè creditur; quia nulla Scriptura probatur. Si verò *Terram* ab hoc quis dicat absumendam, quem ille Inferno assignabit locum?

24. Nec contra hæc pugnat, quod B. Petrus, in 2. cap. 3. dicit *Elementa calore esse soluenda*. Non enim substantialem corruptionem significat; sed vehementem alterationem, vnde & paulò post subiungit, *Elementa Ignis calore tabescent*? Nec obstat, quod Apocalyp. 21. postquàm dicitur de Cælo nouo & terra noua futura, subiungitur: *Et Mare iam non est*. Nam vt exponit B. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 16. potest id intelligi non propriè de ipso aquę elemento, sed de hoc *sæculo vita mortalium turbulento & procelloso: quod Maris*, inquit, *nomine significauit*. Vel potest intelligi de Mari, quale nunc est, scilicet impurũ, per admixtionem qualitatũ alienarum: tale enim post illum diẽ non erit.

25. Sed si nec Elementa, nec Cælestia corpora sunt interitura; in *quo* ipsorum innouatio dicetur consistere? Respondeo non eodem modo hîc de Elementis & Corporibus cælestibus loquendum. Alia horum, alia illorum erit Renouatio.

Quæ in Cælis innouanda post Iudicij diem: & in quibus Cælis.

26. Cæli ergo *duplici ratione* dicuntur, & sunt innouandi. Vnius depositione; & alterius assumptione siue adiectione, Deponent quem à Mundo condito habuerunt *motum*, quo in orbem aguntur; Acquirent maius quoddam, quo radiabunt, *lumen*. Sunt qui dictis *tertium* addunt; voluntque eosdem etiam communi illo Conflagrationis Igne purgandos. Sed nec est in cęlis, quod purgetur: nec Conflagrationis Ignis Cælos attinget: & si attingeret, in eosdem, vt elementa, ageret nihil.

27. De *Motu* verò, quod hic cessabit, est res certa. *Non occidet vltra sol tuus*, dicitur Isaiæ, 60. & *Luna tua non minuetur*, quod de tempore beatitudinis exponit Cyrillus, lib. 9. in Ioan. cap. 46. Sic *Angelus*, Apoc. 10. *leuauit manum suam ad cælum: & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum*,

rum, quia Tempus non erit amplius. At si motus cæli erit, non potest nõ esse Tempus. Et quid opus Cælorum motu, quando omnis cessabit generatio, omnis corruptio, quibus motus Cælorum deseruit.

Similiter de *lumine* res certa est. *Erit,* inquit Isaias 60. *lux lunæ, sicut lux solis: & lux solis septempliciter* quod ad tempus beatitudinis refert B. Hieronymus. Et si elementa lucis accessione reddentur illustriora, & ad cælorum splendorem accedent; quidni & ipsis cælis, corporibus multò præstantioribus, maior lux atque splendor conferetur? 28.

Hinc manifestum est, non ad *omnes cælos* hanc innouationem pertinere. Nam si quod fixum est & stabile, quodque nullo motu cietur, vt est aliquod, Empyrium videlicet (Beatorum sedes) hoc profectò, quia nunquam mouetur, motum non poterit deponere. An verò maior huic lux, vt alijs, addenda sit, dubitari potest. Franciscus Soarez putat addendam nullam, propterea; quod semper perfectissimum fuerit: vtpote Beatorum statui, mox à sui cõditione, à Deo dicatum. 29.

Quæ in Elementis innouanda, & in quibus Elementis.

Porro Elementorum Renouatio etiam *duo* habet: ablationem, scilicet, quorundam, quæ sunt quasi præter Elementorum naturã; deinde additionem rerum, ipsa elementa perficientium. In priori genere sunt *quatuor.* Nam, principio, omnia mixta corpora ex ipsis erunt auferenda. De plantis atque animalibus hoc superius probatum est. de mixtis alijs communior est Theologorum sentẽtia. idẽ insinuat D. Paulus ad Rom. 8. quando docet omnem creaturam, *quæ vanitati subiecta exspectare suam libertatem.* 30.

Hinc alterum sequitur; quod ex Elementis (præsertim terra atque aqua) omnes substantiæ atque affectiones ipsis extraneæ sint subtrahendæ, & ipsa suæ puritati restituenda. quocirca quæ nunc in aqua maris est crassities atque salsedo, tum non erit, quemadmodũ nec in terra, terræ non conuenientes affectiones. Indicat hoc B. Augustinus, lib. 20. de Ciuitate cap. 16, ita scribens. *In conflagratione mũdana, Elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt: atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus nostris, immortalibus mirabili mutatione conueniant: vt, scilicet, mundus in melius innouatus aptè accommodetur hominibus etiam carne in melius innouatis.* 31.

Tertiò liberabuntur *à seruitute corruptionis:* propter quam ipsa dicũtur *ingemiscere & parturire,* ad Rom. 8. Et quæ illa seruitus? Suspicor, optimè exponi mutationem, vicissitudinem, atque perpetuam 32.

inconstantiam, cui sunt obnoxia. Verba sequentia id insinuant, quando dicit esse *vanitati subiecta*. Neq; enim in malè *vanitatē* dixeris inconstantiam, secundùm illud Psal. 4. *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem*. & illud, Eccles. *1. vanitas vanitatum, & omnia vanitas*. vt verò ab hac seruitute liberētur, meritò dici potest, quod desiderent; quia per quietem & vacationem à motu atque mutatione, acquirent statum similiorem Deo, qui prorsus omnis mutationis est expers.

33. Præterea à *sordibus & maculis* quibusdam dicuntur vindicanda Elementa, quas ipsa hominibus peccantibus quasi contraxerunt: eo modo, quo loca profanari dicuntur hominum cæde & malitia. Quemadmodum ergo & loca ipsa (v.g. templa) restituuntur quasi suæ puritati, quibusdam Ecclesiasticis ceremonijs: ita suæ puritati Elementa illo die, *Igne expiationis*, de quo paulo post plura.

34. Et illa detrahenda sunt Elementis. addenda verò ipsis eximia qualitas & *lux*; non quidem omnibus æqualis, sed singulis proportionata. Nam *Terra*, inquit S. Thomas, ar. 4. q. 91. in supplemento: & in 4. dist. 48. q. 2. a. 4. *erit lucida & peruia sicut vitrum in superficie: Aqua, sicut cristallus: Aer, sicut nunc est cælum: Ignis, sicut nunc luminaria cæli*. Et pulchrè profectò. Conuenit enim, vt inferiora corpora conformētur superioribus, sicut in gloria conformantur homines Angelis; tanquam creaturæ intellectuales superioribus, iuxta illud, Matth. 22. *Erunt sicut Angeli Dei*.

35. Et de tribus superioribus Elementis, quòd hac claritate sint illustranda, nulla est difficultas: quia diaphona sunt. de *terra*, quia crassior est, dubium esse potest, vtrum in superficie tantùm, qua aerem atque aquam contingit, hanc lucem sit acceptura; an quoque aliquam eius *partem illa* sit penetratura. Certè, & hoc admodum est verisimile, quemadmodum minus probabile, quòd *tota* sit perlucida futura. vbi enim tenebræ manebunt exteriores, in quas mittūtur damnati, incolæ infimæ terræ, si tota ipsa illustranda?

36. Sunt, qui præter claritatem, Terræ etiam ornatum quendam ex virentibus graminibus, odoriferis rosis, atque gratissimis arboribus putant restituendam in Mundi postrema innouatione. Et pro his profertur Anselmus, cuius hæc sunt in Elucidario, *Terra*, inquit, *quæ in gremio suo Domini corpus confodit, tota erit vt paradisus: & quia Sanctorum sanguine est irrigata; odoriferis floribus, rosis, violis immarcescibiliter erit perpetuò decorata*. Profertur quoque à Dionysio Carth. in 4. dist. 48. Vuihelmus Parisiensis, quasi hæc dicat. *De Terra, quidam ex sapientissimis Christianorum dixerunt, quòd graminibus semper virentibus, & immarcescibilibus floribus, ac perpetua amœnitate, instar paradisi terrestris, sit decoranda*. Sed non videtur à communi Theologorum sententia

recedendum, qui hunc terræ ornatum reijciunt.

Pulcherrimus nihilominus erit & terræ & omnium corporum, post innouationem, Mundi status. Hinc bene B. Chrysostomus, Epist. 5. ad Theodorum lapsum excitans eum contemplatione futuræ vitæ beatæ. *Omnia, inquit, erunt pax, lætitia, gaudium. Omnia serenitas & tranquillitas. Omnia dies & splendor, & lux: lux non quæ nunc est, sed planè alia: quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum hæc lumen lychni. Neque enim occulitur ibi aut nocte, aut congressu nubium: nec vrit, nec inflammat corpora. Nam nox non adumbrat (siquidem, vt dictum, Luna lucebit sicut Sol) nec aderit vespera: nec frigora, nec æstus, nec alia huius generis immutatio: sed omnino alia erit conditio, quam demum ad hoc idonei intelligent.* Et paulò post. *Contemplare*, inquit, *Cælum: animaduerte permutatum fore habitum totius Creaturæ. Nihil enim huiusmodi, vt nunc est, manebit, sed multo pulchrius erit & præclarius, & quantum plumbo aurum vibrans æra, tantum hac rerum præsentium specie futurus ille decor illustrior erit.* Et B. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. cap. 16. *Ipsa*, inquit, *substantia Elementorũ eas qualitates habebit, quæ corporibus nostris immortalibus mirabili mutatione conueniant: vt, scilicet, Mundus in melius innouatus aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis.* 37.

Quæ causa innouationis in Mundo.

Atque hæc innouatio Mundi & Creaturæ, quæ Iudiciũ & Christi Iudiciariã Apparitionem sequetur. *Qua vi verò, atq; ratione* efficietur ipsa? Non vna eademq;. Quædam hic omnipotenti Dei perficientur virtute, absque creaturarum obsequio: quædam creaturarũ obsequio: quædam cessatione functionum priorum agẽtium. percurramus & despiciamus in singulis. 38.

Per quæ innouatio in corporibus cælestibus accidat.

Ergo *lux* illa maior cælestibus corporibus communicanda opus erit diuinæ virtutis. Docet hoc S. Thomas ar. 3. q. 9. in Suppl. Nam hæc eodem modo cælis conferetur, quo gloriosis hominum corporibus claritas gloriæ; per modum intrinsecæ atque permanentis qualitatis. Non probatur, quod Richardus dicit ipsam ex Beatorũ corporibus redundare in cælestia. Quid enim, An si à cæli partibus Sancti discederent, luminis illius iacturam mox cæli facerent? 39.

Quies Cælorum cessatione functionis Spirituum siue Intelligentiarum, à quibus mouentur, efficietur. Cùm enim ipsi se non moueant (neque enim in viuentium sunt numero) sed moueantur à Spiritibus; mox quiescẽt, quàm primùm Angeli à mouendo desistent. Desistent tunc pro Dei voluntate: qui quos modò vult moueri cælos pro mortalium necessitatibus; tum volet quiescere pro mortaliũ gloria, omni necessitate, quæ iam est, cessante. 40.

A quibus Innouatio fiat in Elementis.

41. In *Elementis* innouatio à *duplicibus* ferè causis erit ; à corporibus cælestibus? atque *Igne*, quem dicunt *Conflagrationis*. Et ab illis efficietur, quæ splendorem ipsis affert & occupationem tollit: ab hoc, quę mala, vel non conuenientia detrahuntur.

42. *Lux* ad Elementa à corporibus cælestibus deriuabitur. siquidem tanta in illis erit, vt ab ipsis ad terram manare posſit. Et quia cæli erunt in perpetua quiete, illuminatio semper eadem erit: diuinaq; prouidentia fiet; vt quando cæli quiescent, astra omnia ita sint maneantque disposita; respectu totius vniuersi, vt vtrumque hamisphærium, & omnes vniuersi partes perfectiſsimè illustrentur.

43. Et pulchrè sanè: quia sicut in gloria, corpus humanum, quod ex elementis constat, perficietur ex coniunctione ad Spiritum beatū: ita decet, vt totus hic sublunaris seu elementaris mundus, illustretur ac perficiatur ex coniunctione ad cælestia corpora.

Corporum quoque cælestium beneficio Elementa à *seruitute*
44. *corruptionis* liberabuntur: non alia ratione, quam quia cælestium corporum cessabit motus. Quia enim illa motu suo in his inferioribus mutationum, corruptionum, alterationumque omnium sunt causa; fiet, vt ipsis à motu cessantibus, mutationes etiam in his inferioribus finem habeant.

45. Reliqua quæ Elementis sunt detrahenda, siue à quibus ipsa sunt purganda, *Igne* fient *Conflagrationis*. & bene. quia ignis aptiſsimum instrumentum est ad mundi purgationem efficiendam; tum propter suam puritatem: tum etiam propter actiuitatem, quæ in Igne est maxima.

46. *Igne* ergo *conflagrationis Mixta* de Elementis tollentur, qualia illa sint, & quæcunque sint. *Extraneæ*, & non conuenientes qualitates, atque naturæ ab Elementis separabuntur. *Ab immundicijs* & *maculis* (qualibus qualibus) Elementa purgabuntur. Atque hoc officium ipsius Ignis primum erit atque præcipuum: à quo etiam, quod *Conflagrationis* dicatur, nomen habet.

47. Verùm, quoniam de *hoc Igne* plurima disputantur à Theologis, quæ ad præsens pertinent institutum, prætereunda illa non sunt. Hæc sunt; vtrùm reuera aliquis *Conflagrationis Ignis* futurus: Vtrùm ille Iudicium generale, præcessurus, an subsecuturus. Cuius item naturæ & conditionis futurus: Vnde prodíturus. In quas res vim suam exserturus. Quantus futurus. Quomodo finem habiturus, &c. De his, quantum Scriptura atque ratione consequi possumus, hic breuiter quamuis vix certa haberi, in hac vita, credat B. Augustinus, lib. 20. de Ciuit. cap. 16.

De eodem Sibylla, lib. 2. Oraculorum, in hunc modum:

Tunc ardens fluuius cælo manabit ab alto,
Igneus, atq; locos consumet funditus omnes.
Terramq; Oceanumq; ingentem, & cærula ponti,
Stagna, lacus fluuios, fontes, Ditemq; seuerum.
Cælestemq; polum, cæli quoq; lumina in vnum,
Fluxa fluent: forma deleta prorsus eorum.
Astra cadent etenim de cælo cuncta reuulsa.

An Ignis Conflagrationis præcessurus, an secuturus Iudicium generale.

De *tempore*, quo hic Ignis exardescet & sæuiet, non omnium eadem est sententia. Sunt enim, qui Mundum existimant conflagrandum ante Iudicij diem quod quia sine conflagrationis Igne non fiet, Ignem quoque conflagrationis Iudicio præmittunt: censentque de hoc igne intelligi, illud Psal. 96 *Ignis ante ipsum præcedet*: & illud Ioelis 2. *Ante faciem eius Ignis vorans*: & illud Isaiæ 66. *Dominus in Igne veniet*. Nos quia, initio Capitis huius, docuimus Mundum, post peractum Iudicium, renouādum, Ignem quoque Conflagrationis post Iudicium credimus Mundum vastaturum. 50.

Huius sententiæ grauissimum authorem habemus B. Augustinum. Ita enim de illo Igne scribit, 20. de Ciuit. cap. 30. *In illo itaque Iudicio, vel circa illud Iudicium, has res didicimus esse futuras; Heliam Thesbiten, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum Resurrectionem; bonorum malorumq; diremptionem, Mundi conflagrationem atque renouationem. Quæ omnia quidem esse ventura credendum est. Sed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia; quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia. Existimo autem eo, quo à me commemorata sunt Ordine esse ventura.* 51.

Alius igitur hic Ignis est, quàm ille, qui Domini, ad Iudicium, Aduentum est præcessurus, de quo Capite septimo. Alia huius, alia illius officia. Ille maximè ad Domini aduentantis faciet maiestatem & gloriam: hic maximè ad Mundi renouationem. Ille nō adeò magnus futurus: hic maximus. Ille in supero loco producendus: hic etiam in infero, vt dicemus. 52.

An Ignis Conflagrationis alius à nostro & elementari igne.

Vterque verò à nostro, *alterius naturæ* non erit, quia neque alterius ab infernali illo (quamuis hunc alterius velit esse à nostro, Lactantius lib. 7. Institut. cap. 21) Etenim dictio *Ignis* alium nobis non 53.

denotat, quam nostrum elementarem. Nec est vt hic Conflagrationis alius à nostro constituatur: quia potest noster præstare id, ad quod quicunque alius assumeretur.

Vnde nam proditurus Ignis Conflagrationis.

54. *Vnde* verò oriundus? An fortè ex supera regione, in qua sedem suam habet elementaris, in hæc inferiora deuoluetur? Verisimile illud non est: quia & magna vis ipsi Igni: & magna vis ipsius loco, qui sine corpore esse non potest, afferretur. Et cum aliunde commodè possit assumi, quid opus est illi vis afferatur? Quid quod forsitan ille superus Ignis, propter sui raritatem, officio, quod *Conflagrationis* est subiturus, non sit sufficiens?

55. An ergo ex inferno egressurus? vt principio quidem Mundum expurget, deinde improbos secum in infernum rapiat? facilius hoc, quam prius creditur: veruntamen nec hoc necesse est concedamus: cum aliæ rationes hunc Ignem producendi Deo non desint.

56. Minus placet, quod à Deo dicatur de nouo producendus. Quid enim opus ad miracula confugiamus, Deique omnipotentiam postulemus; quando creaturæ per se Deo possunt seruire; vt hic posse nemo, mediocriter in rerum naturalium cognitione versatus, inficiabitur.

57. Verisimile est magna sui parte producendum ex *terra*: eo modo, quo & olim, & nunc, in quibusdam locis, terra igneos globos vomit, materiam & fomitem præbentibus vaporibus, exhalationibus, atque alijs his similibus, quæ ignem facilè concipiunt & fouent. Verisimile & illud, quadam sui parte ex *aëre* descensurum. quod nō ineptè dici intelliget; qui illum, qui Christum ad Iudicium prodeuntem anteibit, & cum Christo pro tribunali sedente perseuerabit, absoluto Iudicio dixerit impetu quodam in terram raptum iri, viresque suas, cum inferiori, quem terra vomet, coniuncturum: atq; ita ex duobus vnum constituendum, quo Mundus sit conflagraturus.

In quas res Ignis conflagrationis vires suas exeret.

58. Dicitur hic Ignis vires suas exserturus in Mundum. Verum quo sensu id debeat intelligi ex dictis facilè cōijcitur. Non in *totum Mūdum* sęuiet. An in incorruptiles cælos? An in Ignem, qui sub cælo, & eiusdem cum ipso est cōditionis & naturæ? Sed nec in totum aerem sęuiet, sed aeris partem tantum; deinde aquam atque terram.

59. Docet hoc Sanctissimus Petrus, ex cuius ferè Epistola hunc Ignē didicimus. Vult enim *illum Mundum* in extrema die, Igne Confla-

grati-

grationis vastandum, qui olim tempore Noe *aquis inundatus*, vt loquitur, *perijt*. at non cælum, Ignemque ac totam aëris regionem aquæ illæ penetrarunt. *Præualuerunt*, dicitur Genes. 7. *aqua super terrā, opertiq; sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo: Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.* 60.

Sententiam D. Petri, Diuique Petri, quos commemorat, Cælos pulchrè exponit B. Augustinus, lib. 20 de Ciuit cap. 18 *Commemorās* inquit, *factum ante diluuium, videtur admonuisse quodammodo, quatenus in fine huius seculi: Mundum istum periturum esse credamus. Nam & illo tempore perijsse dixit, qui tunc erat, Mundum: Nec solum orbem terræ, verum etiam Cælos: quos vtiq; istos aëreos intelligimus, quorum locum ac spacium tunc aqua crescendo superauerat. Ergo totus aut pene totus aer iste ventosus (quē Cælum vel potius cælos vocat: sed istos vtique imos; non illos supremos, vbi Sol & Luna & sydera constituta sunt) conuersus fuit in humidam qualitatem, atque hoc modo cum terra perierat: cuius terræ vtique prior facies fuerat deleta diluuio*, &c. *Proinde qui cæli, & quæ Terra, id est, qui Mundus pro eo Mundo, qui diluuio perijt, ex eadē aqua repositus est, ipse Igni nouissimo reseruaretur, in diem Iudicij & perditionis impiorum hominum.* Ita Augustinus.

In superiorem igitur aerem non aget ignis Conflagrationis. Non 61. ipsum aut corrumpet, quia desinere totus non poterit: aut purgabit, quia vaporum atque exhalationum, à quibus purgari posset, capax non est. Multo minus in Ignem: vt diximus, ad quem nec pertinget quidem.

In terram aget atq; aquam: in aliquam etiam aeris partem aget: 62. non vt illa tota absorbeat, consumat, in se conuertat; sed vt purget, minusq; ipsis cōueniētes qualitates atq; naturas tollat; vt sibi, quasi relinquat; omnibus mixtis sublatis, & maculis expurgatis: de quibus superius.

Quantus futurus Ignis Conflagrationis.

Ex dictis *quantus* futurus sit hic ignis, colligitur. Magnus admo- 63. dum erit quoniam totam terram atque aquam inuoluet, & altissimos montes, vt aquæ diluuij, transcendet, quemadmodum ex sententia D. Petri, conclusit S. Augustinus.

An Ignis Conflagrationis inuoluturus sit infantes cum solo originali mortuos.

Verùm si terram atque aquam inuoluet ille Ignis, quo loco re- 64. linquentur *Infantes*, qui cum Originali hinc discesserunt, & post extremū datū Iudicium, nec ad cælos assumētur, nec cū dānatis creduntur mittendi in infernum? *A*n hi fortè illo igne in die Confla-

grationis,inuoluentur? Qui Infantes hos supplicijs æternis cũ damnatis subijciunt,in promptu habent,quod respondeant. Sed quibus crudelior illa videtur sententia,plus difficultatis experiuntur.

65. Aliqui ergo sub terra his infantibus sedem constituunt:& quemadmodum olim Sanctis Patribus *Limbus* fuit *Patrum* dictus? ita his futurum Limbum,quem vocant *Infantum* Est huius sententiæ non ignobilis author Paludanus. Alij qui ipsos post Iudicium volunt terram in habitaturos,existimant,cùm Ephrem lib.de pœnitentia, cap.4; non simul totum Mundum inuoluendum Conflagrationis Igni; sed Ignem initium facturum ab ortu,atque hinc deuoluendum ad occasum, quocirca credunt facilè infantes posse hunc ignẽ declinare.

66. Certum quid difficulter hic,cum B. Augustino,20.de Ciuit. cap. 16. constitueris. Probabile dixeris, Limbum Infantibus dandum,si tamen aqua, post Iudicij diem,terram est copertura; quòd facilius creditur,cùm sic ad eum statum redeat in quo primum à Deo Opt. Max.est condita.

67. Atque hæc causa est, cur facilius credatur,quòd terra,magna sui parte,post Iudicij diem lucida sit futura:Ne, scilicet, hi Infantes in visceribus terræ constituti in perpetuis degant tenebris. quos Patres olim ante Christum,non ita ægre ferrè potuerunt, quia luminis externi,vtpote corporibus destituti, capaces nõ fuerunt. Sed de Infantibus alias.

Quando & quomodo habiturus finem Ignis Conflagrationis.

68. Sed *Quando* vero & *Quomodo* finẽ habiturus Ignis Conflagrationis? Habiturus purgato Mundo. Merito, quia hoc fine Mundo immittitur. An verò hinc in nihilum redigetur? Non redigetur in nihilum. Partim redibit in aerem, cuius magnam partem consumpsit: partim, qui subtilior est, ascendet ad spheram ignis:partim, qui crassior, cum impijs deuoluetur in infernum.

CAPVT

CAPVT VIGESIMVM Tertium.

De traditione Regni, quam Christus Cælesti Patri facturus est, post Iudiciariam Apparitionem suam in Nubibus: Inquiritur,

QVod post Apparitionem Iudiciariam Christi in Nubibus 1.
extrema die. *Ipse Patri Regnum sit traditurus*, docet Sanctissimus Apostolus Paulus, *1.* Corinth. *15.* Loquens enim de Mortuorum resurrectione, & ordine resurgentium, quæ Apparitionem illam præcedent, concludit tandem, *finem omnium futurum, cum Dominus tradiderit Regnum Deo, & Patri. Omnes*, inquit, *viuificabuntur vnusquisq; in suo ordine; primitiæ Christus; deinde, qui sunt Christi: deinde finis, cùm tradiderit Regnum Deo & Patri.*

Traditio autem hæc Regni non paucas habet difficultates: sed 2.
duas præcipuè. Primum enim quæri potest. Quodnam illud Regnum, quod traditurus Patri est Filius. Deinde, Quo modo illud traditurus; an vt regimen vniuersum deponat, & Patri reliquat: an vt cum Patre simul regat.

An Christus habeat aliquod Regnum, quod Patri sit traditurus.

Extra controuersiam verò hic est, *aliquod esse Christi Regnum*. quia 3.
certum est, esse ipsum Regem, adeoque regnare. De Christo enim intelliguntur sequentia: illud Iere. 23. *Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex.* & illud Zacha. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* & illud Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum eius.* & illud Luc. 1. *Dabit illi Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob*, & illud Apoc. 19. *Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

4\. Dominus, quoque idem confirmat. Pueros enim & alios in triumpho sibi acclamantes, Lucæ 19. *Benedictus Rex, qui venit in nomine Domini*, tantùm abest, vt reprehenderit, vt etiam defenderit. *Dico vobis*, inquit, honoris sui æmulis, *quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Sic Pilato interroganti, Num Rex esset, respondit, *Tu dicis*. Lucæ, 23. fortè & hinc diuina prouidentia factum est; vt quem scripsit Pilatus triumphalem titulum *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, scriptus maneret, frustra Iudęis sollicitantibus vt tolleretur.

5\. Sed & Regni eius expressa fit mentió in Scripturis. *Regnum meum*, respondit Pilato, Matth. 27. *non est de hoc mundo.* quo vtique aliquod se Regnum habere significat; & quidem in mundo, quamuis non de mundo. De hoc Regno loquitur Propheta Daniel, cap. 2. inquiens: *In diebus autem Regnorum illorum*, (Aurei, Argentei, Aerei, ferrei) *suscitabit Deus Regnum, quod in æternum non dissipabitur: comminuet autem & confringet vniuersa Regna.* Christi enim Regnum in diebus Regnorum illorum excitatum est, quia quo tempore Regna illa terræ vigebant, Christus in mundum veniens, Regnum instituit. Destructa autem sunt omnia Regna à Christo; non euersa temporali eorũ dominatione; sed sublata Idololatria, quæ in omnibus ijs regnabat: excisoque Dæmonis imperio, cui illa erant subiecta. De hoc item Propheta Isaias, cap. 60. *Erunt Reges nutritij tui: & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te: & lingent puluerem pedum tuorum. Gens & Regnum, quod non seruiet tibi, peribit.*

Quale Regnum Christus habuerit, & quotuplex.

6\. Regnum ergo Christus habuit. Neque enim Rex est sine Regno. *Quale* vero habuit? Duplex puto posse distingui; aliud Temporale; aliud Spiritale. Temporale habuit respectu totius mundi; superioris, inferioris, omniumque creaturarum. Spiritale ratione hominum, & rationalis creaturæ.

7\. Temporale ipsi conuenit, qua Deus est, eiusdem cum Patre, & Spiritu sancto, naturæ; non quâ homo. Hinc in vestimento atque fæmore scriptum habet, Apo. 19. *Rex Regũ, & Dominus Dominãtium.* vt intelligeretur non vi, non tyrannide, non electione, nõ adoptione; sed *natura*, quę per *femur* significatur, Regem esse.

8\. Qua homo hoc Regnum non habuit. Quo enim iure habuisset? Naturali an diuino, an humano? Non naturali: quia filius Regis non erit, quod est naturali iure Regnum habere. Non diuino: quia Scripturæ, quæ de Regno eius loquuntur, Spiritale

tantum

tantum intelligunt. Non humano: quia orbis terrarum consensu nullum ipsi Regnum oblatum, & ipse cum aliquando à Iudæis quibusdam in Regem esset eligendus fugam iniit. Ioan.6.

Quomodo Temporale hîc Christus homo Regnum habuisse dici potest, qui apud Prophetam, *Ego*, inquit, *mendicus sum & pauper?* Psal.39.& rursus, *Ego sum pauper & dolens?* Psal.68. *Qui propter nos egenus factus est, cum esset diues?* 2.Corinth.8. qui non habuit, vbi caput reclinaret, cùm tamen vulpes suas habeant foueas, & volucres cæli suos nidos? Matth.8. 9.

Quid ergo est, quod dicit *sibi datam omnem potestatem in cælo & terra?* Matth.28. Respondeo de spirituali potestate Dominum loqui, quæ ipsi pro Ecclesiæ gubernatione necessaria fuit. Quanquam & dici posit omnem simpliciter potestatem illi datam dici, ratione vnionis hypostaticæ; qua etiam homo, Deus fuit, Eodem modo dicitur ad Hebr.1. *constitutus hæres vniuersorum.* Eodem modo *data ipsi omnia à Patre.* Ian. 13. 10.

Regnum Spirituale ergo Christus, qua homo habuit: illudque continet non solum Beatorum in cælis societatem, sed fidelium etiam in terris congregationem, id est vniuersam Ecclesiam. de hoc Regius Propheta, Psal.2. Ego autẽ *constitutus sum Rex ab eo*; quod Spirituale esse, non Tẽporale, statim declarat, cum subiungit, *super Sion montẽ sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Nam & *Sion* illa spiritualiter intelligẽda est, vt Tract.115. in Ioan. docet B. August. *& prædicare præceptũ Dei*, non temporalis, sed spiritualis Regis officium est. Hoc est Regnũ, de quo eodem Psalmo, paulo post dicitur: *Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ*: quia Ecclesia toto terrarum orbe diffundẽda erat, & à mari vsq; ad mare propaganda. 11.

Duplex verò hoc Regnum potest distingui; pro duplici Ecclesiæ conditione. Nam vt quædam *Militans* dicitur, quædam *Triumphans* ita & Regnum. Hoc constat societate beatorum, in cælis: illud congregatione fidelium in terris. De illo loquitur Petrus in 2.cap.1. *Abũdanter*, inquiens, *ministrabitur vobis introitus in Regnum Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.* De hoc Dominus; Matth.27. quando dicit *Regnum suum non esse de hoc mundo.* Quamuis enim hoc in mundo etiam sit: non tamen est *de mundo*: tum quia non ex terra, sed cælo originem habet, à capite suo Christo, qui de cælo descendit: tum quia fides, quæ eius forma est, & charitas, quæ eius vinculum; & spes, quæ præmia illi promittit, de cælo dantur: tum deniq; quia conuersatio eius est in cælo; & non putat se hic permanentem habere ciuitatem. 12.

Magna

Quanta sit præstantia Regni Christi.

13. Magna huius Christi Regni est *præstantia*. Maior quàm vllius Regni huius Mundi: eaque non illius tantùm Triumphantis est, sed etiam Militantis. Et hoc, quamuis illo inferius sit, octo rebus omnibus mundi Regnis præcellit. quas idcirco placet adscribere, vt intelligatur, quam bene tale Regnum Cælesti Patri aliquando à filio tradatur,

14. Primùm igitur *duratione* præcellit. Nam à tempore Christi, quo ipse in persona propria ei præfuit, iam stetit mille sexcentis annis: in posterum verò stabit vsque ad consummationem seculi. Quod Regnum tot seculis stetit. Omnium Monarchiarum, diuturnissimum fuit Assyriorum Imperium, quod tamen mille quadringintos annos non expleuit.

15. Præcellit deinde *amplitudine ditionis* & dominationis. Etenim ferè omnes mundi regiones dominatu suo complexum est: & nunc in nouo orbe, & in terris Orientis, quæ loca veteres, ne per auditionem quidem cognouerunt, Christi Regnum florentissimè viget. De hoc Propheta Psal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

16. Tertiò præcellit *vi atque efficacitate imperij*. Si quidem aliorum omnium Regnorum vis & potentia ad ea tantum, quæ extra hominem sunt, vel summum ad ipsa hominum corpora pertinere potest. At Christi Regnum ad intimos animorum recessus penetrat, atque animis mentibusque præcipuè dominatur.

17. Præcellit quartò *præstantia effectus & vtilitatis*. Quibus enim Christus dominatur, eos peccati & diaboli seruitutis excussu iugo, vere facit liberos, iustos, ab omni vitiorum & errorum labe puros: denique filios Dei, atque hæredes æternæ vitæ. secundum illud Ioan. 1. *dedit ijs potestatem filios Dei fieri. Si autem filij, & heredes*. quid similè exspectes in alijs regnis?

18. Quintò excedit alia omnia, *modo, quo acquisitum est, & partum*. Nō enim, vt mundana Regna terrore armorum, bellica potentia, & cædibus hostium; sed paupertate, humilitate, bonorum terrestrium negligentia, malorum tolerantia, atque adeò patientia mortis, quā Monarcha ipse Christus, voluntariè obiuit. Huius rei testes sunt qui in Apocalyp. 5. sic loquútur, *Redemisti nos Deo in sanguine tuo:* & Apostolus Petrus, 1. cap. 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine, &c.*

19. Ad hæc excedit *excellentia legum & institutorum*, quibus Regnum hoc à Christo descriptum & formatum est. De lege Mosaica sic Dauid,

uid, Pſalmo 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas. Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Quantò verius eadē, & multo maiora, de hoc Chriſti Regno, & lege Euangelica dici poſſunt?

Præſtat ſeptimò cæteris Regnis *fine*, qui quidem in alijs Regnis, præterquam quod humanus & temperarius eſt; in hoc autem cœleſtis & æternus; etiam ipſius principis magis, quam ſubditorum vtilitate continetur, & gloria Huius autem Regni finis eſt eos, qui ſub hoc Regno viuūt, ad immortalem, & beatam vitam, omni æuo fruendam perducere. 20.

Octaua huius Regni excellentia æſtimari debet ex *præſtantia eius, qui Regno præeſt.* Qui de rebus Principi, ad bene & feliciter imperandum, præcipiunt, tres in primis commendant prudentiam, iuſtitiam, potentiam: in quibus rebus velle alios Principes cum Chriſto vlla ex parte comparare, non eſt aliud niſi per exiguum lucernæ lumen, cum immenſa claritate ſolis contendere & componere velle. Iſaias cap. 9. cum de Chriſto dixiſſet; *Et imperium eius ſuper humerum eius,* protinus ſex illius Principis proprietates eximias ſubiungit. *Vocabitur nomen eius,* inquit, *admirabilis* Nam clarum nomen & celebris fama, quæ in hominum laude & admiratione verſatur, magnam Principi authoritatem & maieſtatem afferunt. Tum addit *Conſiliarius,* quaſi diceret; vſque adeò non eget cuiuſquam conſilio, & in tātum ſupereſt illi prudentia, vt alijs conſiliarius eſſe poſsit, & debeat. Conſilio autem & prudentia ſtabiliri & nobilitari Regna docuit Salomon in Prouerbijs. Poſtea ſubditur *fortis:* ſcilicet, ad debellandos omnes hoſtes, ſibique ſubiectos validiſsimè defendendos & cuſtodiendos. Ad hoc nominatur *Deus:* ex quo apparet, nequaquam timendum, ne monarchia hæc, cuius & cōditor, & rector, & defenſor Deus eſt, vllo tempore deficiat. Præterea, dicitur, *Pater futuri ſeculi.* Regnum enim Chriſti inchoatur in hoc ſeculo: ſed in altero perfectum eſt, & omnibus numeris abſolutum: cum cæterorum Regnorum, idem qui huius ſeculi, terminus & finis futurus ſit. Illud autem *Patris* nomen, indicat hoc Regnum non conſtare ſæuitia tyrannica, ne c faſtu regali; ſed paterna ſuauitate, caritate, & benignitate: & ita Chriſtum poteſtate Regem eſſe omnium, vt amore tamen, & cura ſingulis ſit Pater. Poſtremò laudatur *Princeps Pacis,* id eſt, pacificus; quia pacem affert: deleto, ſcilicet, peccato, victo mūdo, debellatis Dæmonibus, Patre placato, ſpiritualem nobis æternamque pacem afferet. Ipſe ſolus animum hominis poteſt explere, ſecundum illud Pſal. 106. *Qui ſatiat animam inanem: & animam eſurientem implet bonis.* Hæc præſtantia Regni Chriſti. 21.

Quale vel quodnam Regnum Christus tradet Patri.

22. Sed cum multiplex sit Christi Regnum, Quodnam, vel quale, traditurus est Patri? Temporale ne, quod ab æterno habuit; an Spirituale, quod sanguine suo sibi acquisiuit? Spirituale traditurus est: non Temporale.

23 Quomodo enim Temporale tunc temporis Patri daturus dici potest? Significat Apostolus Filium daturum Regnum, ad quod cōparandum, cælum reliquit, & ad terras descendit: daturum, quod Pater, quasi, nō habuit; antequam à Filio illud accipiat: Quid verò? An Temporale sibi comparauit, vt homo, nunquam habuit, aut comparauit: vt Deus, non comparauit, sed ab omni æternitate habuit. Etquemadmodum ipse, vt Deus, semper habuit: ita semper habuit Pater; nec à Filio vnquam potuit exspectare Pater.

24. Spirituale ergo Regnum Filius Patri tradet. Atque hoc alio loco haud obscurè indicat Apostolus, cum sic loquitur, 5 Ephes. *Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, vt sic illam sanctificaret, mundās eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipsam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.*

25. Ex quo D. Pauli loco etiam, de *quo* Spirituali Regno loquatur, licet conijcere: de illo præcipuè loquitur, quod mundat Filius verbo vitæ; quod ornat, vt gloriosum exhibeat: quæ quidem præcipuè in Ecclesiam militantem, siue Regnum militans conueniunt. Triumphans lauacro aquæ non eget: nec eget, vt in gloriam adducatur; gloria & honore iam coronatum.

26. Quemadmodum ergo Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, eamque cælo olim intulit: ita in fine seculorū electos omnes, quos à Dæmonis potestate eripuit, Patri sistet: & quidem illi Patri, à quo in hunc mundum missus fuit, vt hoc sibi Patrique Regnum compararet.

An totum Regnum Patri traditurus Filius.

27. Porrò non *totum* hoc Regnum Patri tradet Filius. Non quia voluntas illud Patri, tradendi Filio non erit; aut quia Pater totum sibi tradi non volet: sed quia totum tradi non poterit, saluis legibus Regni. Multi in Christi sunt, fuerunt, & erunt Ecclesia, quos exhibere Patri Filius nō poterit. An exhibebit adulteros? fornicatores? ebriosos? & ad quos Filius aliquando dicturus, *Nescio vos?*

28. Regnū ergo quod Filius Patri exhibebit, non omnes sunt mortales, quicunque ab orbe condito fuerunt. Non omnes sunt Fideles, quicun-

quicunque veram fidem aliquando professi sunt. Sunt electi tantùm, qui in extrema illa die gratam illam sunt audituri vocem: *Venite Benedicti Patris, percipite Regnum*, &c. Matth. 25.

Et quidem omnes omnino electi, sunt Christi Regnum: siue illi Christi temporibus fuerunt: siue Christum secuti sunt, & sequentur ad extremum vsque mundi diem: siue eundem præcesserunt, à primo humani generis parente. Omnes ad Christi Regnum pertinent. Omnes per Christum, à potestate Diaboli, sunt vindicati. Omnes per Christum cælestia gaudia ingredientur. Omnes per Christum Patri præsentabuntur. Ipse enim est, vt bene loquitur Sanctissimus Ioannes 1. cap. 2. *propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nostris tantùm, sed etiam totius mūdi.* Et Deus *Pater est*, inquit B. Paulus, 2. Corinth. 5. *in Christo reconcilians sibi mundum.* 29.

Quomodo Regni traditio per Christum sit futura.

Traditio hæc non viua voce fiet: non symbolo aliquo externo, 30. quomodo apud homines Dominia atque res transferuntur in alios, & traduntur. Quid his opus? An nisi viua voce, & symbolo Patri testetur Filius se Regnum tradere, Pater non intelliget sibi traditum Regnum? Hoc ipso tradetur, quo ipse, post peractum Iudicium, vnà cum parto Regno cælum ingredientur, cælestisque patriæ possesionem accipient, perpetua Patris, qui se videndum offeret, visione futuri felices.

An post traditum Patri Regnum, filius etiam aliquas partes in Regno sit retenturus.

Dubium verò est, An post traditum à filio Regnum, omne re- 31. gimen atq; cogitationem Regni filius sit depositurus, & Patri vniuersum relicturus. Videtur quidem hoc insinuare verbum *Tradere*: sed magis probant Scripturæ loca duo, non leuia, vt videtur. Nam Psal. 109. sic legitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis* (quo Regia Christi potestas significatur) verum quamdiu? *Donec*, inquit Propheta, *ponam inimicos tuos in scabellum pedum tuorum*; quod quidē tunc futurum, quando tradet Patri Regnum. Deinde, 1. Corinth. 15. hæc habentur; *Oportet illum*, Christum, *regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius.*

Sed tamen non desinet regnare Filius, etiam postquam tradide- 32. rit Patri Regnum. Ipse suas partes in suo Regno habebit: habebit commune cum Patre Regnum. *Regnabit*, dicitur Lucæ 1. *in domo Ia-*

cob in æternum, & Regni eius non erit finis. Idem habetur Danielis, 7. *Aspiciebam in visione noctis,* inquit Propheta: *& ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat: & vsque ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum: & dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum, & omnes tribus & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & Regnum eius, quod non corrumpetur.*

33. Et omnino de Regno quod post secundum ipsius aduentum habiturus est Christus, locutus est Daniel. Pro hoc sunt duo manifesta argumenta. Alterum est, quod hîc Christus dicatur venisse *in nubibus cæli, vsque ad Antiquum dierum*, Regnum ab eo accepturus. Venturum autem Dominum in nubibus cæli in secundo aduentu ipse Dominus indicauit, Matth. 24. *Videbunt*, inquit, *filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute magna & maiestate.* & cap. 26. interrogatus, cum adiuratione à pontifice Iudæorum, an ipse esset Christus: *tu dixisti*, respondit: *Veruntamen dico vobis. Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei: & venientem in nubibus cæli.* Et cum spectantibus discipulis ascendit in cælum, nubes suscepit eum ab oculis eorum; & Angeli dixerunt illis; *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum; sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Alterũ argumentum est, quod Daniel, eodem septimo capite, dicit prius *contritum iri cornu paruulum*: deinde florentissimum illud Regnum futurum. Sed cornu illud paruulum Antichristum significat. Regnum igitur quod in illa Noctis visione Danieli demonstratum est, procul dubio significat Regnum Christi, quod post finem mundi est habiturus.

34. Quocirca quod dicitur, regnaturus *donec ponat inimicos scabellũ pedũ suorum*, significat quidem Regnũ eius duraturum ad illud tẽpus: sed tamen non negat, quin post illud etiam tempus per omnem æternitatem in Electis sit regnaturus. Est phrasis hęc sæpè in Scripturis vsitata, vt particula *Donec*, & similes, in propositionibus affirmatiuis, affirment aliquid de certo tempore, de quo poterat esse dubium; non tamen quidquam negent de reliquo tempore: Rursus in propositionibus negatiuis negent aliquid de tempore, de quo poterat esse dubitatio, non verò affirment de reliquo tempore. Prius illud in præsenti D. Pauli oratione clarum est; posterius in duabus alijs; illa, videlicet. Genes. 8. vbi dicitur, quod *coruus non reuertebatur donec siccarentur aquæ*: & alia, apud Matth. 1. vbi de Ioseph. dicitur, quod *non cognoscebat eam donec peperit.* Nam dum in priori negatur coruus redijsse, donec siccarentur aquæ, non affirmatur, quod postea redierit, sed quod non redierit, quando credi potest redijsse: & in po-

in posteriori, dum negatur cognouisse, donec peperit; non affirmatur postea cognouisse: sed quod nō cognouerit, tempore quo dubiū esse potuit, an cognouerit.

Dicet fortassis aliquis, Apostolum non solum significare Christum regnaturum, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius; verumetiam postea non regnaturum, atque adeo ipsum Patri, quemadmodum alios, quos Patri tradet subijciendum. Ita enim loquitur. *Cum subiecta ipsi* (filio) *fuerint omnia: tunc & ipse filius subiectus erit Patri*, quasi dicat. Tunc regnare filius desinet. At non hic sensus verborum Apostol. Nec necesse ideo dicamus, filium non regnaturum; quia Patri erit subiectus. Nam & iam Patri subiectus est; & Patri fuit subiectus à tempore, quo homo est factus, & tamē & iā, & præterito tempore, regnauit in domo Iacob. Itaque quamuis in cælo Patri sit futurus subiectus, præterit nihilominus cum Patre in cælo regnare. 35.

Quid sit tunc filium Patri subijci.

Quid igitur est, quod *Tunc* subiectus dicetur filius, si non regnare 36. desinet, si etiam iam regnans est subiectus? Non desunt, qui dicerent *tunc*, id est post extremum diem, dici Christum subijciendum Patri ea ratione, quod humanitas tunc in diuinitatē sit conuertenda. Sed quid absurdius dici potest? Creatura ne conuertenda in creatorem? Et quod filius dicetur subijciēdus, si quod in filio est, erit diuinitas? an idem sibi subijcietur?

Respondent alij Tunc singulari modo filium fore subiectum 37. Patri. quo verò? vt scilicet, non solum in se, sed etiam omnibus mēbris per plenam participationē diuinę bonitatis Patri sit subiectus, ita in nullo membro sit aut rebellio aut contumacia. Est hæc expositio Nysseni, atque Chrystomi, in Tractatu, super hæc Apostoli verba. Sed tamen non de membris Christi; sed Chrysti persona loqui videtur Apostolus; quam vult patri subijciendam, quādo filius Patri Regnum tradiderit.

Sunt, qui idcirco *Tunc* dicunt filium subijciendum; quia tunc innotescet, quam eximia eius fuerit subiectio, & obedientia erga Patrem. At quis *iam* illam non agnoscit; si illud D. Pauli secum expendit. *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Phil. 2. & illud Christi Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.* 38.

Maximè placet, quod Apostolus velit significare Filium in 39. ea subiectione, quam nunc habet perseueraturum, & illam non Depositurum. Notant enim Græci Paulum scribere ad Corinthios,

qui paulò ante recesserant à fabulis gentiliũ, quæ docent Deos inter se pugnare solitos, & à Ioue Filio Saturnũ Patrem Regno pulsum. Quoniam igitur dixerat B. Paulus Christũ euacuaturũ omnẽ principatum, & potestatem; ne putarẽt Corinthij, iuxta fabulas, à Christo etiam Patrem in ordinem redigendum, quomodo Saturnus à Ioue Filio in ordinem redactus est, idcirco addit, *omnia subijcienda Christo, præter eum, qui subiecit ei omnia*: & non solum hoc, sed ipsum Christum quoque etiam in illo triumpho, postquam tanta fecerit, Patri suo fore subiectum. Et hactenus de Traditione Regni.

CAPVT VIGESIMVM Quartum.

De Euacuatione atque Exinanitione omnis Principatus, Potestatis atque Virtutis, quæ Christi in Nubibus Iudiciariam Apparitionem est secutura: Explicatur,

An Euacuandus omnis principatus, &c.

1. Evacuatio atque Exinanitio omnis principatus, Potestatis atque Virtutis, etiam secutura est extremam Christi Iudicis, in Nubibus, Apparitionem gloriosam. Docet hoc D. Paulus in illa 1. ad Corinth. 15. his verbis. *Deinde finis*, inquit, *cum tradiderit Regnum Deo & Patri: cum euacuauerit omnem Principatum, Potestatem & Virtutem.*

2. In hac Euacuatione vnum non ita difficilè est intellectu: plura difficiliora. Non difficilè, quidnam sit Euacuari principatum &c. difficilè

difficilè quod intelligatur nomine principatus, nomine Potestatis, nomine Virtutis: an vnum idemque significent: quorum sint: quomodo, & quare hæc dicuntur extremo tempore euacuanda.

Quid sit Euacuari. &c.

Nam quid sit *Euacuare* ex contrario eius cognoscitur; quod est plenum esse. Itaque euacuari dicentur Principatus, Potestates, Virtutes, quæ plenæ non sunt. Plenæ verò; quæ nulla sui parte sunt diminutæ, quæ sunt integræ, quæ in sibi subiectos vires habent. Quocirca quod dicitur euacuandum omnem Principatum, Potestatem, Virtutem, significat nullum amplius fore Principatum, Potestatē, Virtutem: cessaturum & tollendum omnem. 3.

Quid Principatus, Potestas & Virtus.

Sed quis hic Principatus? quæ Potestas? quæ virtus? Triplicem inuenio expositionem. Vnam, his nominibus designari: Spiritus immundos, qui in mundi principio de cælo ceciderunt. Alteram denotari Spiritus cælestes, qui cum Deo in cælis versantur. Tertiam intelligi Dominum siue Magistratum humanum, siue ille ciuilis sit & politicus, siue Ecclesiasticus. 4.

Nullam harum expositionum quis facilè damnarit. Non primam, quia pro se habet Theophilactum. Deinde immundorum Spirituum magnæ vires, magnum robur. Denique inter ipsos sunt, qui pertinent ad ordinem Principatuum; item qui ad ordinem Potestatum, & qui in Virtutum sunt ordine. Norunt hoc, quia sciunt ex omnibus Choris aliquos cecidisse. 5.

Sic non facilè quis secundam expositionem reiecerit. Nam siue nomina illa ordinum sint in hierarchijs cælestibus, siue vim significent potestatemque Spirituum cælestium; Angelis bonis conueniunt optimè. Nam & sunt, qui, præter alios, tres constituunt choros, vnum potestatum, alterum principatuum, tertium virtutum: & magnæ omnium sunt vires. Vnus ipsorum vna nocte percussit in Assyriorum castris centum octoginta quinque millia. 4. Reg. 19. 6.

Denique quid prohibet hic Magistratum intelligamus, siue Dominium, quod apud homines est? An non apud homines principatus & potestates? an non magna in imperando vis? Tam certum est hæc esse apud homines; vt esse nullus dubitet: Apud Spiritus autem tam bonos, quam malos esse quis dubitaret, nisi esse, ipsa nomina proderent. 7.

Qua

8. Quæ etiam causa est, vt de humana Potestate, Principatu, & Virtute præcipuè locutum esse D. Paulum credi posset: & tres gradus quasi Magistratus designasse, infimum, medium, atque supremum; & hunc virtutum indicarit nomine, quod robur atque firmamentum sit infirmorum subditorum.

9. Sed tamen quamuis hos præcipuè notarit non negandum tamẽ, quin ad Angelicam atque Dæmoniacam potestatem oratio Apostoli extendi possit; & de his etiam verum sit, quod eorum vis atq; principatus sit *euacuandus*. Omnis enim, qualis qualis est, potestas creata est habitura finem. Solus Deus erit omnia in omnibus.

An non humana tantum, sed & Spirituum, & omnium Spirituum potestas euacuanda.

10. Verùm Omniumne Spirituum Potestas euacuanda est; an solũ ij eorum, qui inter Spiritus dicuntur Principatus, potestates, virtutes? & non aliorum, qui aut in superioribus sunt Ordinibus, aut in inferioribus? Omnium euertenda est & euacuanda. Hoc & in bonis Spiritibus & in malis verum esse sic colligo.

11. Nam si de *bonis Angelis* sit sermo, Ordinum nomina hæc dicere possumus, & quidem mediæ ferè hierarchiæ. quorum, dum quod habent Dominium dicitur euacuandum, non dubium, quin quod illi, qui infimę sunt hierarchię, amittent. De supremæ verò hierarchiæ Angelis, res difficultatem non habet, propterea; quod officia atque imperia nulla exercent; sed in sola diuinæ Maiestatis contemplatione sint occupati.

12. Si verò de *malis* loquaris, omnibus hæc nomina licet tribuas: etiam ijs, qui sunt ordinum superiorum: etiam ijs, qui sunt ordinũ inferiorum. quia omnibus propositum est dominari vires, virusque in homines exercere: nec qui inter ipsos supremus est, & Deaboli nomine in Scripturis plerumq; indigitatur, à se hoc existimat esse alienum: quemadmodum indicat D. Petrus, 1. cap. 5. asserens *eũdem circuire, vt leonem rugientem*, & expertus est in deserto Christus Dominus, Matth. 4. Quid? Nũquid vocantur *Rectores tenebrarum harum*? Ephes. 6. Et Dominus, nunquid Diabolum vocat *Principem huius mundi*? Ioan. 14. & Apostolus, nunquid eundem *huius seculi Deum* compellat? 2. Corinth. 4.

An prorsus tollendi, qui potestate præditi sunt.

13. Quia ergo triplex hîc Potestas intelligi potest, triplex credi debet potestas euacuanda. Angelica, Diabolica, Humana. Quomodo verò? An vt ipsi è medio tollantur, quibus hæc nomina conueniant, Spiritus inquam, & homines, qui dominantur? an non hoc, sed

vt ipsis

vt ipsis saluis,potestate exuātur,& veluti priuati habeantur, & nullum officium,cum potestate & auctoritate administrent?

Non priori illo modo,sed posteriori.Non desinent esse,qui quouis modo alijs præfuerunt,aut potestate in alios sunt vsi. Et homines immortales sunt:& Spiritus,tam boni,quam mali,sunt immortales.De hoc quia nullus dubitat,pluribus non opus.Officia igitur Principatuum,Potestatuum atque Virtutum cessabunt in Dæmonibus,in Angelis,in Hominibus,post Iudicij diem. 14.

Et quæ illa in Dæmonibus? quæ in Angelis? quæ in Hominibus? 15.
Definire hoc difficile , nisi in quos & Dæmonum,& Angelorum,& hominum potestas sese extendat,prius fuerit constitutum.Meritò; quia nomina Principatus,potestatis ,virtutis, in genere eorū sunt; quæ non absoluta sunt , sed ordinem dicunt ad alios. Alicuius est Principatus:alicuius Potestas;alicuius Virtus siue potentia.Hoc ergo etiam definiamus.

Quæ Dæmonum,& in quos potestas,& quomodo illa euacuanda post Iudicium extremum.

In Dæmonibus igitur Potestas,siue principatus, duorum respectu dicitur;Dæmonum,videlicet,&hominum.Et in homines quidem omnes potestatem quandam habent:in Dęmones non omnes: sed superiores tantùm;qui viribus excellunt, in inferiores aliquid possunt.hi superiorum (præsertim in hominum pernitie procurāda) libenter imperia excipiunt , & diligenter ac strenuè exequuntur. 16.

Potestate autem in homines vtuntur , primum quidem ipsos affligendo atque cruciando : deinde etiam ad peccata pertrahendo. De posteriori loquitur D.Petrus,1.cap. 5. quando docet *Diabolum circuire,& quærere,quem deuoret*.de posteriori conqueritur cuiusdam Pater,apud Dominum,Matth.17.dicens Filium per diabolum *nunc in aquas,nunc in ignem conijci,&c.* 17.

Cruciatus non vnius generis sunt.Nunc in bona Furtunę sęuiunt. quod Iob expertus est:nunc in corpora.Et hæc torquent, aliquando ipsa ingressi:vt probant Energumeni , aliquando ipsis assistentes,vt idem Iob,magno tamen suo merito sensit. 18.

Omnis hæc Dæmonum potestas,post Iudicium, est euacuanda. Superiorum in inferiores:omnium in homines. 19.

Nulla mandata daturi sunt superiores inferioribus,pœnarum & tormentorum socijs : Quæ enim,& quorsum ? Quæ illi dant,& hi suscipiunt,dantur accipiunturque ad interitum,ad extremam pernitiem hominibus afferendam : post Iudicium , nullis mortalium interitus potest afferri. 20.

21. Non sæuient miseri in hominum fortunas. quia per conflagrationis ignem consumptæ erunt omnes. Sed nec de hominum fortunis soliciti sunt Nequam Spiritus; nisi per has hominum animabus incommodẽt, quod tum non poterunt.

22. An in corpora grassabuntur? Quorum quæso? Ciuium cęlestium? Non *tanget illos vllum tormẽtum. Mors apud ipsos non erit, non dolor, non luctus, Absterserit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Apocalip. 21. Reproborum, incolarum inferni? Illorum tunc in pœnis erunt socij, non tortores: secundum illud, Matth, 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Infantium fortè, qui cum solo Originali hinc discesserunt? At pœnam illi, in illa vita sentient nullam.

23. Ad peccata forsitan quosdam pertrahent. Et quos illos? Qui in cęlis sunt, peccare non possunt. Qui in inferno sunt, peccare non desinẽt: quales quales illi sunt. vt verò peccent non indigent, hortatore, duce, magistro, suasore. Sed ad Angelos.

Quæ Angelorum & in quos potestas: & quomodo illa euacuanda post extremum Iudicium.

24. Angelorum quadruplicem potestatem distinguere possumus: siue quadruplicia dicere officia: quæ subeunt, & cum potestate quadã exercent. Alia habẽt respectu sociorum Angelorũ: alia respectu Spirituum immundorum: alia respectu hominum mortalium: alia respectu creaturæ corporalis.

25. Socijs possunt mandata dare, & quæ pro voluntate Dei cognouerunt expedienda; imperare vt expediantur, & effectus sortiantur. hoc plerique ex ijs faciunt, qui Dominationes dicuntur: nulli infimæ hierarchiæ: nulli supremæ hierarchiæ: illorum est mandata exequi, horum Deo assistere; nec mandata dare, nec exequi.

26. Sic Spiritibus immundis mãdata dare possunt & datã possunt ijs resistere & resistunt persæpe: possunt sedibus suis pellere, & pellũt: possunt ad certa loca relegare, & relegant. Idq; possunt, & faciũt, nõ ij tantùm, qui mediæ sunt hierarchiæ, sed etiam qui infimæ. Meruerunt hanc seruitutem suo peccato miseri, quamuis naturæ præstantia quibusdam Angelis sint superiores, quemadmodum bene notauit B. Augustinus, lib. 3. de Trinit. cap. 4. *Spiritus,* inquit, *vitæ desertor atque peccator regitur per Spiritum vitæ rationalem pium & iustum.*

27. Hominibus plura officia exhibent: Non leue est tutela propriorum Angelorum. Sed erga ciuitates atque prouincias, & regna officio

ficio nō desunt alijs. quemadmodum enim singulorum hominum, ita regnorum, prouinciarum atque populorum custodia, cura, gubernatio alijs est demandata. & prius illud pertinet ad Angelos; posterius ad Principatus atque Archangelos.

Corporalis creatura etiam ad ipsos pertinet. Nunquid non quidam cælestia corpora mouent? Etiam Aristoteles atque Plato id cognouerunt. ille 8. Physicorum tex. 52. hic in primo de Legibus. Et B. Thomas, de potentia q. 6. a. 3. *fidei*, inquit, *sententia est, quòd substantia seperata siue Angeli moueant corpora cælestia.* Et quia à cęlorum motu generationes rerum, in his inferioribus pendent; etiam Angelis authoribus illæ tribuuntur. Sed & quidam ipsorum particularibus rebus apud nos sunt deputati, siue iustitia diuina, siue aliæ causę ipsos exigant. Nec improbabile, quod docet B. Augustinus, lib. 83. qq. quæst. 79. diuersis speciebus rerum diuersos Angelos præfectos esse. Hæc potestas Angelorum. 82.

Et hæc extinguetur atque euacuabitur. hæc officia, post extremũ Iudicium cessabant. Docemus in singulis breuissimè. 92.

Non mandata inferioribus dabunt superiores. quia quecunque dant in ędificationem cedunt Ecclesię, cuius administratorij Spiritus sunt Angeli. At post illum diem Ecclesia non ædificabitur. ædificata & absoluta Deo erit præsentata, in Regno, quod filius Patri, & Deo est traditurus. 1. Cor. 15. 30.

Sic mandata Dęmonibus ijdem Angeli non sunt daturi: non eosdem sedibus pellent. Miseri nō alias sedes habebũt, quam infernum, à quo quidem vellent, sed non poterunt expelli. paratus est illis infernus in æternum, quemadmodum & æternus ignis, quo torquentur. 31.

Custodiam hominum deponent etiam Angeli. Quid mirũ? Quid enim opus custode, vbi perdi non potest, qui dicitur custodiendus? Angelis suis, loquitur Propheta, Psal. 90. *mandauit de te, vt custodiant te in vijs tuis.* At nullæ tunc viæ, quia nullus viator. 32.

Sic Prouinciarum, Ciuitatum & Regnorum nulla erit cura, nulla gubernatio. quia prouinciæ omnes, omnes ciuitates, omnia regna dissoluenda sunt. pro omnibus constituetur vnum nouum. in quo *omnia in omnibus erit Deus,* vt loquitur Apostolus, 1. Corinth. 15. 33.

Præerunt fortassis creaturę corporali Angeli? Cui quæso? Cælis, vt ipsos moueant? At tempus non erit vltra. Rebus sublunaribus, vt continua generatione subsistant? Nullus ibi erit rerum ortus, vbi nullus motus. Rebus forsitan, quas tunc 34.

diuina iustitia postulabit? At iustitię finem imponet extremum Iudicium. Speciebus rerum, ne intereant? at interire oportet omnes, præter elementa, quæ interire non poterunt. Omnis ergo Angelorum principatus, potestas, virtus euacuabitur. Quid de Hominibus?

Quæ hominum, & in quos potestas, & quomodo illa sit, post Iudicium, euacuanda.

35. De hominum potestate idem quod de Dæmonum, quod de Angelorum. Sunt nunc Reges, qui regnant: & legum conditores, qui iusta decernunt, Pro. 8. Sunt, qui super Cathedram Moysis sedent, quorum præcepto oportet obedire, Matth. 23. Sunt, qui gladium portant, & in legum transgressores animaduertunt, Ad Roma. 13. Sunt, qui à communibus suffragijs quosdam ob delicta excludunt, qui ab alijs habentur, velut Ethnici & publicani, Matth. 18. Sunt, qui in immundos Spiritus etiam potestatem habent, eosque ex hominibus eijciunt, terra marique proscribunt, Luc. 10. Et animantibus præsunt homines secundum illud Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Denique dominantur Filijs parentes, vxoribus mariti, seruis Domini. Et hæc potestas, & si quæ alia est apud homines, omnis est euacuanda: omnis finem est habitura.

36. Dies Iudicij, quin imo mors ipsa sceptra ligonibus æquabit. Post diem illum, vel omnes erunt Reges, & *regnabunt*, vt propheta Ioannes loquitur, cap. 20. suæ Apoc. *cum Christo*, quod de beatis verũ est; vel omnes erunt serui, miserrimamque seruitutem seruient; quod verum erit de damnatis. Si qui, præter hos, erunt, Regem, principem aut ducem non habebunt.

37. Qui præcepta alijs sit daturus, etiam nullus mortalium reperietur: quia, qui accipiat, nullus reperietur. Vbicunque hominum societas aliqua reperietur, æqualitas reperietur. Nec in inferno erunt Magistratus: nec in cælo erunt: nec erunt apud infantes, qui hinc cũ solo originali discesserunt.

38. Nulli quoque à communibus Ecclesiæ suffragijs, per potestatem aliquam excludentur. Quia suffragiorum nullus locus: nec peccata cõmittentur, ob quæ excludi quis posit, sed nec erunt, qui alios poterunt excludere. In hac vita, vbi ad aliam vitam curritur, suffragijs locus est: in alia exulant.

39. Nec vlla hominibus erit potestas in Dæmones. Quibus enim, si erit aliquibus? Damnatis? vna æqualisque eorum Dæmonumque conditio erit. An beatis? perfruentur illi requie plenissima. quem-

admodum

admodum nullam ipsi à Dæmonibus patientur molestiam, ita nullam afferent. Contenti ipsi regno suo, relinquent illis miseriam suam. Militia, quæ ipsis cum Dæmonibus est, super terram est: eleuati à terra triumphant, non militant.

In statu innocentiæ homines dominati sunt in animantia terræ: 40.
retinuerũt idem Dominium post peccatum, quamuis diminutum. post Iudicium nec plenum habebunt, nec diminutum; quia nulla erunt animantia, in quę Dominium exercere poterunt homines.

Parentes erunt post Iudicium atque Filij: vxores atque viri: serui atque Domini: sed tamen quod subiectionem sapit atque Dominium, non erit. Non digniorem locum patri cedet Filius: vxor marito; seruus Domino. Nec illi ab his mandata accipient. Nec mirum hoc in illa vita, quando etiam in hac Dominus venit, separare *hominem aduersus patrem suum: & filiam aduersus matrem suam: & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis sint etiam domestici eius*, vt dicitur Matth. 10. *In resurrectione*, inquit Dominus, Matth. 22. *neque nubent, neq; nubentur*, addo, neque generabunt, neque generabuntur: neque seruient, neque dominabuntur. Quid, quod lætabitur iustus Filius, cum viderit vindictam iniqui parentis? sancta vxor, cum viderit vindictam impij mariti? fidelis seruus, cum viderit vindictam crudelis Domini? 41.

CAPVT VIGESIMVM quintum.

De Destructione Mortis, qui Christi in Nubibus Apparitionem Iudiciariam est secutura: & ostenditur,

Mortem post Iudiciariam Christi in Nubibus Apparitionem è medio esse tollendam. Num. 1.

Quænam Mors illa sit, quæ tollenda & destruenda dicitur post Iudicium. 2.

Qua ratione fieri possit, vt Mors, cuius tot & tam varia sunt causæ, destruatur aliquando. 10.

Quorum nã hominum Mors destruenda est. 8.

Qua ratione fiat, vt beati in alia vita, nec quidquam possint pati, nec mori, siue interire. Num. 12.

Qua ratione fiat, vt damnati, quamuis pati possint, non possint tamen mori. 21.

Alio modo homines, tam beatos quã damnatos, in futura vita dici & esse immortales; alio modo Deum, Angelos, cælos, elemẽta, animas, atq; Adam in statu innocentiæ. 27.

Mortem aliquando destruendam

1. Mortis destructio etiam inter illa, quæ Iudiciariam Christi, in Nubibus Apparitionē sequuntur, numeratur. De hac enim in hunc modū Apostolus, 1. Corint. 15. *Erit finis, cùm tradiderit* (Christus) *Regnum Deo & Patri: cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Nouissimè autem inimica destruetur Mors.*

Quænam illa Mors, quæ destruenda dicitur, post Iudicium extremum?

2. Sed quæ hæc Mors? Origenes super octauum Cap. Iosue, teste Sixto Senensi, lib. 5. cap. 151. Bibliothecæ. Diabolum intelligit: atque ita legit. *Nouissimus inimicus destruetur, Mors,* id est, Diabolus: & quia Apostolus dicit *diabolum destruendum*, hinc idem Origenes colligit diabolum cum omnibus damnatis saluatum aliquando iri. Posterius hoc nullo modo dici potest: prius si potest, non ita probatur; tum quòd nomen *Mortis* aut nūquam, aut raro diabolum significet: tum etiam, quòd Apostolus paulò ante Diaboli principatum atque potestatem dixerit dissoluendam.

3. Melius igitur Mors in ea significatione accipitur, quæ in Sacris literis & apud Ecclesiasticos Scriptores, recepta est. Hæc verò triplex est. Alia enim Corporalis Mors dicitur, quæ est animæ à corpore separatio: de qua Apostolus ad Rom. 5. *Regnauit Mors ab Adam ad Moysen etiam in eos, qui non peccauerunt.* Alia est spiritualis, quæ est gratiæ ab anima subtractio: de qua Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, morietur.* Tertia est æterna, qua perpetua beataque vita in perpetuum tollitur. de hac Ioannes Apocal. 21. *Pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda.* De qua verò loquitur Apostolus?

4. Non de postrema hac, quam *secundam* vocat Sanctissimus Ioannes. quia tantum abest, vt illa destruenda sit, vt in æternum non sit habitura finem quocirca & idem Apostolus, cap. 20. in stagno ignis, vbi dicit futuram mortem secundam, docet *bestiam & pseudoprophetam cruciandos die ac nocte, in secula seculorum.* Et nota est Domini sententia, *Ite Maledicti in ignem æternum*, Matth. 25.

5. Nec de secunda, Spirituali loquitur. Quia quamuis hæc destructa sit apud eos, qui cum Christo in cælis regnant: qui peccare, & à gratia amplius excidere non possunt: apud alios tamen, qui damnati sunt, atrociter grassabitur: non quod hac morte illi moriantur, & à gratia excidant: sed quia hac morte mortui manent, id est, gratia spoliati, peccata peccatis in omnem æternitatem addant

Mors Corporalis est, de qua loquitur Apostolus. qua anima à 6.
corpore separatur. quam *inimicam* vocat, quia vt bene in dictum locum exponit B. Anselmus, *vitam nobis inuidet; nec desistit, donec eandem nobis abripiat*. Significat igitur Apostolus, quod post Iudicij supremũ diem, quæ in hac præsenti vita omnibus incumbit moriendi necessitas, tollenda sit: & à resumptis corporibus, in communi omnium resurrectione nulla Mors sit metuenda: & homines vitam victuri sint immortalem.

Et quemadmodum illud dictis verbis docet Apostolus, ita alijs, 7.
eodem capite, idem indicat, inquiens. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. Idem quoq; Dominus docet, Matth. 25. quando eos qui à mortuis ad vitam redierunt, partim mittit in *ignem æternum*, partim vocat *ad æternum Patris Regnum* possidendum. Idem in Symbolo confitemur Athanasiano. *Omnes homines*, dicimus, *resurgere habent, cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis proprijs rationem. Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum*.

Quorum nam Mors destruenda. 8.

Sed an omnium, an aliquorum tantùm Mors destruenda? vt, scilicet, eorum, qui resurgunt in vitam, alij quidem resurgant perpetuum in corporibus victuri; alij victuri ad tempus? *Omnium* Mors destruenda est. Quicunque ad vitam resurgẽt, resurgent ad vitam immortalem; ad vitam, quæ finem habitura est nunquam. 9.

De iustis res clara est. De illis loquitur in Apoc. Ioannes cap. 20. *Mors vltra non erit*. Ad impios quidam accommodant illud, capitis 9. *In diebus illis quærent homines mortem; & non inuenient eam: desiderabunt mori, & fugiet mors ab ijs*. Sed tamen ad vtrosque pertinet, quod dicitur, *Nouissimè destruetur inimica mors*: & vtrosque in suo symbolo cõplexus est Athanasius: & vtrosque in sua vltima, quam daturus est, sententia, Dominus.

Qua ratione possit Mors destrui.

Qua verò ratione fiat, vt vtrique mori non possint, difficulter explicatur. Nam si causas mortis, quæ apud mortales locum habent, quis repetat, quamuis non omnes vtrisque aliquas certè conuenire inueniet: quocirca etiam existimare, morti, post hanc vitam, obnoxios esse tam iustos, quam impios. Mors enim & corruptio hominibus accidere potest, vel intrinsecus, ex ijs, quæ sunt in homine: vel extrinsecus, ex ijs, quæ mortifera homini accidũt. Intrinsecus Mortis causa esse potest defectio caloris naturalis, aut primigenij humoris,

moris, quem radicalẽ appellant: vel inmoderata vis alicuius pasſionis, & perturbationis animę (quoſdam enim nimio timore, mœrore, aut etiam gaudio interijſſe proditum eſt) vel ex propria electione (vt qui præſentis vitæ tædio, aut malorum, quibus premuntur, impatientia, aut ingruentem calamitatem præuertere cupientes, violentam ſibi mortem conſciſcunt) vel ex immodico cibo & potu, Venerisque intemperantia: vel denique nimio ex labore, & defatigatione corporis. Hæ ſunt *in ipſo* homine Mortis cauſæ. Extrinſecus autem homini Mors poteſt contingere, vel ab alio homine, vel à beſtijs, vel à Dæmonibus; vel ab ipſo Deo per Angelos, vel ex lethali aliquo potu, eſuque, vel ex defectione neceſſarij cibi & potus: vel ex intemperie cæli: vel ex caſu aliquo fortuito, vti eſt in ignem, aquam, vel foueam prolabi, vel lapidis, aut alicuius rei iactu percuſſuque feriri. Hæc hominibus *extrinſecus* interitum afferunt. Ergo cum tam variæ Mortis ſint cauſæ, quid prohibet aliquam harum apud homines in alia vita locum habere?

11. Et quamuis forſitan facilius *beatos* quis exceperit à Morte, propterea; quod in ipſos paſsio nulla poſsit cadere: *damnatos* tamen, qui ignem infernalem verè ſentiunt & patiuntur, quis mori non poſſe dixerit? Sed tamen vt in his difficile eſt intelligere, quomodo hi patiantur & non moriantur: ita in illis difficile, qua ratione nihil etiam pati poſsint. Vtriusque rationes & cauſas, quantum poſſumus, inueſtigemus.

Qua ratione fiat vt beati, nec pati quidquam poſsint, nec mori, ſiue interire.

12. Quod pati nihil poſsint, per conſequens nec mori, beati; qui cum Deo regnant in cælis, quidam tribuunt, nouę, quæ ipſis communicanda dicitur, in communi mortuorum reſurrectione, materiæ. Negant ſiquidem eandem, quam nunc habent, recepturos; volunt tribuendam cæleſtem, quæ omnis corruptionis eſt expers. Verùm qui veram Mortuorum credunt futuram reſurrectionem: & in *ſua carne* dicunt cum ſanctiſsimo Iob ſe Deum viſuros, huic ſententiæ adſtipulare nequeunt.

13. Alij quidem reſurgentium corporibus ſuam propriam, quæ ex elementis conſtat, tribuunt materiam; ſed tamen aliam quandā quintæ, vt vocant, eſſentiæ eidem adiungunt, cuius beneficio accidere credunt, vt beati nec pati poſſunt, nec interire. Meminit horū D. Thomas, 1. p. q. 76. ar. 7. Verùm qua ratione coaleſcere poſſunt, atque ab vna eademque forma informari, tam diuerſarum rationum materiæ; materia inquam, elementaris atque cæleſtis?

Sunt,

Sunt, qui corporibus beatorum nullam externam addunt materiam, ob quam velint omnis mutationis atque corruptionis esse expertia: sed id credunt accidere ex modo perfectò, quo post hanc vitam anima corpus dicitur informaturum. At quæ potest illa informatio esse maior, tunc temporis, in anima prorsus indiuisibili? Deinde, quo modo ratione huius informationis accidit, vt corpus pati posit nihil? Denique & damnatorum corpora erunt incorruptibilia, quæ tamen pati poterunt.

Inueniuntur alij, qui passionem à dictis corporibus excludunt, 15. propterea, quod Deus cum nullo agente ad illa afficienda siue dissoluenda concurrat. At sic dos impassibilitatis in beatis nulla corporum ipsorum erit perfectio, vt esse significat Apostolus, quando *hoc corruptibile dicit induere incorruptionem, 1.* Cor. 15. erit solùm defectus agentium, quę in corpora alioquin mutationum capacia, agere nequibunt

Quidam in cælis huius impatibilitatis causam ponunt: quos, vt 16. motu suo dicunt omnium motuum atque mutationum causas: ita quiete sua, quæ post Iudicium erit, efficere, vt nulla agentia quidquam efficiant. Verùm sic naturale, non supernaturale donum in beatis erit, quod non patiantur. Deinde cur in Damnatis eadem cęlorum quies locum non habet, vt, scilicet, nec ipsi patiantur quiescentibus cælis? Sed neque cælorum quies efficit, vt omnium aliorũ agentium actiones sint suspensæ. legendi Conimbricenses in 2. de Cælo q. 4. ar. 2.

Quidam, quibus pręcedentium opinionum nulla placet, dominium quoddam tribuunt beatis animabus, post resurrectionem in 17. propria ipsorum corpora quo fieri volunt, vt quemadmodum non agunt, nisi pro voluntate animarum, ita patiantur nihil, nisi animæ quasi consentiant: & quia post resurrectionem nolunt in passioné consentire, patiuntur nihil. Verum vt de actione hoc admittamus, in passione quomodo potest locum haberet? An animarum volo & voluntate virtus agentium externorum eneruatur? ipsa agere prohibentur?

Non displicet, quod quidam qualitatem quandam volunt diuinitus tribui corporibus beatorum, qua instructa agentium externorum vim declinare valeant. Habet hæc sententia non ignobiles auctores: eoque libentius suscipitur: quod aliorum, difficultates non leues habeant; hæc, si habet, non tantas habeat. 18.

19. An verò qualitate hac fiat, vt omnibus sibi aduersarijs agentibus corpora beatorum resistant, eademque vincant, &, vt ita dicam, profligét; an potius, vt illa in hæc corpora agere possint nihil, scholis relinquimus discutiendum.

20. Hinc iam clarum est, qua ratione Mors in beatis locum non habeat. Cùm enim pati corpora beatorum possint nihil; quomodo Mortem, quæ passionis est terminus, obibunt? Esto eadem in ipsis maneat materia, quam in mortali vita habuerunt; ijsdem etiam constent qualitatibus contrarijs; qualitatis tamen, quam posuimus, virtute fiet, vt nec pati valeant, nec interire.

Qua ratione fiat, vt damnati mori non possint.

21. Verùm Damnatos quid prohibet mori, cùm pati illi possint, & patiantur grauissima? & patiantur à vero igne, qui res natura sua potest dissoluere, & in se conuertere? Neque enim de hac re dubiũ vllum vlli esse potest, qui Sacris Scripturis, atq; naturæ ipsi, saluam velit suam esse authoritatem. Nam natura maximam agendi vim igni tribuit: Scriptura docet damnatos igne torqueri.

22. Lactantius, lib. 7. Diuinarum Institut. cap. 21. existimauit damnatorum corpora verè esse corruptibilia, propterea, quòd verè ab igne patiantur: sed tamen negat vnquam corruptum iri tota, idcirco, quòd quantum actione ignis, ipsis ex vna parte demitur, tantum eiusdem ignis actione alteri addatur. Verùm vnde hæc vis illius ignis, vt corporis partes hinc tollat, illinc restituat? Ignis infernalis aliam vim non habet, quàm vt torqueat.

23. Qua igitur ratione fit, vt interire & corrumpi non possint, qui possunt pati? Quidam in cælos hoc referunt, qui vt motu suo in his inferioribus generationum atque corruptionũ sunt causa, ita quiete ipsorum fit, vt generari atq; corrumpi possit nihil. Sed non omnium generatio corruptioque pendet à motu cæli. An nulla fuit, quando sol quieuit tempore Iosue? Et si cęlo motus iam quiesceret, leuissimam stuppam non inflammaret ignis?

24. Quidam actiones distinguunt: atque intentionales & animales putant locum habere in futura vita: sed *materiales*, quas vocant, quæ cum subiecti fiunt alteratione, non item. ideoque credunt damnatos sentire ignem, sed tamen ignem in ipsis realem alterationem non efficere, & idcirco ipsos non corrumpi, aut mori. Sed vix intelligitur, quòd ignis & dolore ipsos afficiat, & verè vrat, & tamen cõtrariam disconuenientemque qualitatem non afferat.

25. Melius fortassis dicitur, Ignẽ infernalem, & dolorem afferre dãnatis,

natis, & imprimere qualitatem disconuenientem atque contrariam, verùm talem, quæ illum gradum non excedat, cum quo vita damnatorum possit subsistere. Fieri verò hoc; non quia maiorem gradum ignis ille afferre non possit, si virium ipsius ratio tantùm habeatur; sed quia agit, vt Dei instrumentum. Itaque quemadmodum Dei voluntate fit, vt quamuis vnus idemque ignis, alios minus torqueat, alios plus; ita eiusdem Dei voluntate fit, vt nullum ignis ille absumat aut consumat: omnibus in perpetuum patiendi vires relinquat.

Quocirca non omnino naturaliter in damnatos ille ignis aget. Quomodo enim in omnes æquè propinquos, non eodem modo ageret? quomodo non aliquando quos vrit consumeret? Aget pro Dei voluntate: qui vt vult damnatos vri, non absumi: & vri inæqualiter, ita vret, & vret inæqualiter, neminem autem absumet. 26.

Alio modo homines in futura vita esse & dici immortales, alio Deum, Angelos, cælos, elementa, animas, atq. Adamum in statu innocentiæ.

Immortales ergo erunt & beati, & damnati. Neutris Mors poterit afferri: sed alio modo hi immortales; alio Deus, Angeli, Animæ, Cæli, Elementa, atque Adam in paradiso, eiusque posteri, si Adam non peccasset. 27.

Deo summum immortalitatis genus tribuitur; quia simpliciter, & omni modo, tam extrinsecus, quàm intrinsecùs est immortalis, à nullo in hoc dependens. de qua immortalitate intelligi debet, quod de ipso scripsit 1. ad Timoth. cap. 3. D. Paulus: *qui solus habet immortalitatem.* Sicut enim solus Deus dicitur esse, & solus sapiens, & solus bonus: ita solus immortalis. 28.

Alterum genus immortalitatis est, quo dicitur aliquid esse immortale secundùm substantiam; quia caret materia, quæ est sedes & radix corruptionis atque mortalitatis. Atque hoc genus tripartitũ est: quædam enim res omnino segregatæ sunt ab omni admixtione, & societate materiæ, vt Angeli: quædam sunt quidem consociatæ & copulatæ cum materia, veruntamen nec ad esse productæ sunt ex eius potentia, nec vt sint, eius ope atque adminiculo indigent. In hoc genere est anima rationalis. Nonnullæ præterea res naturam habere videntur ex materia concretam: quia tamen ea materia longè diuersa est à materia rerum sublunarium, in qua inhærens potentia cõtradictionis ad esse & non esse, causa est corruptionis, propterea immortalitatem & incorruptionem obtinent. huius generis esse orbes cælestes, & astra multi arbitrantur. 29.

30. Est tertium genus immortalitatis & incorruptionis, quod ea continet, quæ ipsa quidem per se corruptibilia sunt; attamen quodã modo, & ex parte vocantur incorruptibilia: quia nunquam tota corrumpuntur, aut etiam corrumpi possunt: sed paulatim duntaxat & particulatim; in locum, scilicet, partium decedentium & pereuntium, alijs semper nouis partibus succedentibus & aggeneratis; ita vt totius rei summa, & integritas eadem omni tempore constare videatur. atque hac ratione Philosophi quatuor elementa solent dicere incorruptibilia. Porrò his tribus generibus rerum immortalium & incorruptibilium, naturalis est ipsa immortalitas, & naturali modo ipsis conuenit.

31. Sunt alia quædã rerum genera, quibus etiam immortalitas tribuitur, non tamen vi atque potentia naturæ; sed supernaturali Dei potestate: quippe cum res ipsæ sint natura sua mortales atque corruptibiles. Huiusmodi immortalitatem habuerunt olim primi parentes: habituri autem sunt post communem resurrectionem, prę ter elementa, homines tam damnati, quam felices & beati.

32. Differentia autem erit inter vtrosque. In illis beatis atque damnatis erit impotentia moriendi: in his, qui in statu innocentiæ fuissent, potentia moriendi. Et hæc hactenus.

CAPVT VIGESIMVM sextum.

De Executione sententiæ Iudicis Christi, quæ Iudiciariam Apparitionem sequetur: Hic inquiritur,

Primo,

De Personis apud quas locum habitura est Sententia, à Domino ferenda Executio.

An scilicet apud homines tantum, an etiam apud alios. 3.
An ad duo tantum hominum genera sese extendet. 4.
Quinam Iusti dicantur, & qui iniusti apud quos locum habebit. 5.
Quotnam genera iniustorum, siue improborum hominum in quibus vires habebit. 1.
Quot genera iustorum siue proborum ad quos perueniet, & an horũ tot, quod improbi futuri. Num. 16.

Secundo inquiritur,

De

De locis duplicibus, in quibus executioni dabitur Domini sententia in iniustos & iustos. his Cælum erit, illis Infernus.

Tertiò inquiritur,

De motibus contrarijs, quibus ad contraria hæc loca Beati & Damnati post latam à Domino sententiam, perueniunt.

Quarto inquiritur,

De duplici mercede, quæ duplicibus personis, in contrarijs locis reddenda erit.

Nam improbi	Iusti verò
A Regno Patris excludentur / *Ignem infernalẽ ingredientur.* / *In eodẽ perpetuò cruciabũtur* } *134.*	*Ignem infernalem, eiusq; cruciatus euadent. Num. 135.* / *Regnum Patris possidebunt. ibid.* / *In eodem vitam agent æternam. ibid*

1. 

SEntentiæ Executionem, quæ primum, inter Consequentia Iudicium, esse videtur, & à nobis in postremũ locum coniecta est, paucis verbis, apud Matthæum, cap. 25. Dominus complexus est. *Ibunt*, inquit, *hi*, (qui à sinistris cum hædis stabunt) *in supplicium æternum: Iusti autem in vitam æternam.*

2. Quatuor autem his verbis insinuantur. Primò, duo genera hominum, in quibus sententiæ Executio locum habebit. Secundò, duo genera locorum, quæ duobus istis hominum generibus sunt deputata. Tertiò, duo motuum genera, quibus ad deputata loca peruenietur. Quartò, duo genera mercedum, quę dictis locis, à dictis personis accipientur. Quia verò infinita materia dicendi hîc suppeditatur, conandum nobis erit, vt summa capita paucissimis non tam explicemus, quàm attingamus. A Personis initium facimus.

An Iudicis sententiæ Executio apud homines locum tantùm habeat.

3. Hominum tantùm meminit Dominus. Non quòd sententię Executio ad solos homines pertineat. pertinet ad omnes, qui in Iudicio comparebunt, quales, præter homines sunt, Angeli & Dæmones: sed quia ad homines, & cum hominibus Domini, Apostolorũque fuit oratio: & quia hi ad virtutum studia erant excitandi, & à vitijs, memoria extremi Iudicij, auocandi.

An duo tantũm hominum genera, qui in Iudicio mercedem reportabunt.

4. Duo verò hominum genera distinxit. Alterum Iustorum, siue proborum, qui ad vitam æternam ingredientur. Alterum Iniustorum, siue improborum, qui ad æterna transmittentur supplicia. Et his tertium videbatur addendum, Infantium, scilicet, qui cùm solo Originali hinc discedunt: qui non admittentur ad vitam: cùm non sint sine peccato: nec subijcientur cruciatibus; cum per se diuinam Maiestatem non offenderint. Non additur verò illud, ob causam iã datam, cur solorum hominum fiat mentio.

Qui Iusti, quos Domini sententia complectetur, & qui Iniusti.

5. Iustos autem vocamus, non qui gratia diuina aliquando imbuti fuerunt; sed qui ex hac vita, gratia diuina instructi, excesserunt; quales

les quales etiam illi in hac vita fuerunt. Sic iniustos, & improbos; qui quando ex hac vita discesserunt, extra Dei gratiam fuerũt; quales quales etiam in hac vita fuerunt. Ex fine Iustos atq; Iniustos distinguimus. Finis hic opus coronat.

6. Gratiæ verò ea est conditio, vt sine fide non subsistat. Quoniã vt Apostolus loquitur, Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Quocirca de quibus constat, quòd vera fide destituti fuerunt, de ijs, quòd in Christi, aut Dei gratia fuerunt, dicere non possumus: ideoq; nec in Iustorum numero erunt, qui ad vitam ingredientur æternam.

7. Fides porrò, quam gratiæ fundamentũ constituimus, non actũ significat, quo diuinitus nobis reuelatis assentimur (quamquam ille plurimum possit: aliquando etiam sit necessarius): sed virtutem, à qua, quod fideles sumus & dicimur, habemus: quam in pueris sufficere, tum ad gratiam diuinam habendam, tum ad vitam æternam possidendam, non ignorant Catholici.

Quot genera improborum, qui à Cælo excludentur.

8. Hinc liquet, quos à Iustorũ numero reijcere; & in Iniustorũ, seu improborũ classẽ admittere oporteat. Reijciendi sunt à iustis, & inter improbos habendi, quicũq; vera Christianaq; fide sunt destituti: siue illi sint infideles, qui fidẽ nunquã receperunt: siue Iudæi, qui post Christum, Christianam fidem oppugnarunt: siue Hæretici, qui quamuis Christianæ fidei assessores se profitentur; prauis tamen, & ab Ecclesia damnatis opinionibus adhærent.

9. Sed quemadmodum in Iustorum numero Infideles non habentur: ita non necesse est, vt quicunque sunt fideles, sint iusti. Plura ad Iustos requiruntur. Gratia oportet sint instructi, quicunque iusti haberi volunt: quam vt quidam fideles habere possunt, ita quidam eadem possunt esse destituti.

10. Et destituti sunt, quicunque lethale aliquod crimẽ habent, quod eorum grauat conscientias. Hoc enim mors animæ dicitur, secundùm illud Ezech. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Itaq; quemadmodum fieri nequit, vt idem corpus viuat atq; mortuum sit: ita vt anima, quæ peccato lethali obnoxia est, & ob id mortua, per gratiam, quæ animæ vita est, viuat.

11. Inter improbos atque Iniustos, nõ infideles solùm habebuntur, verùm etiam peccatores. Et prout peccata varia: ita peccatorum, siue peccantium, varij gradus. Insinuat id Dominus Matth. 13. dum *Zizania*, (id est, peccatores) docet *colligenda in varios fasciculos*: quia alius fasciculus superborum, alius auarorum, alius luxuriosorum, alius aliorum, &c.

Hinc

12. Hinc est, quod in Sacris Scripturis tam varij, varijs locis, dicantur à regno cælorum excludendi Sed omnes tribus Regulis comprehendisse dicitur B. Augustinus, lib. 1. ad Petrum, quas hic adscribimus.

13. Prima est: *firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum omnes Paganos; sed etiam Iudæos, Hæreticos, atque Scismaticos; qui extra Ecclesiam Catholicam finiunt præsentem vitam, in ignem æternum ituros*, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.

14. Secunda: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum & Schismaticum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus: quantascumq; fecerit eleemosynas; etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari.*

15. Tertia: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non omnes, qui intra Ecclesiam Chatholicam baptizantur, accepturos esse vitam æternam: sed eos, qui percepto baptismatè rectè viuunt, id est, qui abstinuerint se à vitijs & concupiscentijs carnis. Regnum enim cœlorum, sicut Infideles, hæretici, atque Schismatici non habebunt: sic Chatholici criminosi possidere non poterunt.*

Quot Iustorum genera qui ad vitam æternam assumentur.

16. Iustorum autem genera, qui Patris Regnum, à mundi constitutione paratum, hæreditabunt, quatuor possunt distingui. Vnum eorum est, qui in fide & gratia, quam diuinitus acceperunt, semper perstiterunt, nec vlla vnquam peccati labe fuerunt infecti. In hoc solùm Virginem Matrem credimus esse. Alterum eorum, qui in peccato quidem fuerunt concepti: sed ab eodem diuinina gratia liberati, nihil vnquam perpetrarunt, quod vlla ratione diuinam maiestatem potuit offendere. In quo Infantes constituimus; quos post Originale peccatum remissum, ex hac vita contingit discedere. In tertio sunt, qui super fundamentum fidei stipulos lignum & fænum edificarunt, id est, peccata quoque venialia commiserunt. hi de felicitate non minus, quàm priores sunt securi; quamuis necesse sit, vt ab his peccatis etiam purgentur, antequam Regnum Patris ingrediantur. Quarto sunt, qui Deum aliquando grauiter in vita offenderunt, & à gratia, per peccata, exciderunt, dignis tamen pœnitentiæ fructibus peccata deposuerunt, & in gratiam redierũt. horum maior numerus est.

17. Ex dictis colligitur, verum esse, quod Dominus, Matt. 7. dixit. *Lata est porta, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* Et illud: *Quam angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam*

tam: & pauci sunt, qui inueniunt eã. Quantus enim numerus Infidelium in vniuerso mundo? Et inter eos, qui fideles haberi volunt, quantus numerus eorum, qui prauis opinionibus adhærent, & verè fideles non sunt? Inter verò autem fideles, quot sunt, qui grauiter Deum offendunt? quam verè ex his pauci, qui de peccatis, quam debent, pœnitentiam agunt? Cum ergo de postremis solis dici posit, quod ad vitam admittantur, quam pauci admittentur? quam multi excludentur?

De duplicibus locis, duplici hominum generi, id est, iustis & reprobis, post hanc vitam deputatis.

Duobus generibus Personarum, de quibus iam dictum: duplicia loca sunt deputata. Insinuat hoc Dominus, quando dicit & iustos, & iniustos *ituros*: (quæ significatur motus ad locum) hos ad supplicia, illos ad vitam. Nec dubitare de hac re quis potest. quia corpora omnia locum requirunt. ad corpora habebunt, qui vel ad vitam vocantur, vel ad supplicia. 18.

Hæc, *Tunc*, id est, post hanc vitam iustis & iniustis erunt loca. Ante illam vitam sunt plura. Sunt cælum, infernus, terra, purgatorium limbus. Cælum patet iustis tantùm. Infernus iniustis tantùm. Terra, iustis & iniustis. Purgatorium iustis, sed nondum plenè purgatis, Limbus iustis, & iniustis: Iustis Patriarchis, iniustis pueris, qui hinc cum Originali discedunt. 19.

Ex his locis *tria* solùm, vt quorundam est opinio, relinquentur iustis, & iniustis. Cælum iustis tantùm: Infernus iniustis tantũ limbus forsitan pueris quibusdam. Purgatorium nullum erit; quia nihil in illa vita relinquetur purgandum. Terra neutris concedetur: quia verisimile aquis copertam iri vniuersam: nisi infantibus quis illam tribuerit. 20.

Cur duorum locorum tantùm Dominus meminerit.

Duorum tantum Dominus meminit: quia hominum tantum meminit, qui propria voluntate, atque adeò operibus suis, aut perpetuæ felicitatis, aut æternorum suppliciorum sunt auctores. His alia, quam vnus suppliciorum æternorum, & alter perpetuæ felicitatis, locus asignari nequit. 21.

Et suis nominibus loca hæc non indigitat Dominus. Indicat solùm locorum qualitatem & conditionem: dum vnum significat gaudiorum, alterum suppliciorum. Hinc est, vt alij aliter de his locis loquantur, nec certa hæc definitaque esse velint. Nos certa esse credimus, & alterum dicimus Infernum, vbi tormenta sustinẽtur: 22.

alterum Cælum, vbi cum gaudio grati laborum fructus percipiuntur.

23. Plura de vtrisque vtiliter, & non tantum curiosè, vt quidam existimant, inquiruntur: nos sequentia breuiter inuestigabimus. An certa hæc sint, & definita loca: Vbinam illa sint. Quando esse incæperint. Quanta sint. Quæ ipsorum forma. Quæ conditio. Qui incolæ. Quando habitura finem. Ab inferno incipimus.

DE INFERNO.

An sit aliquis Infernus, id est, certus locus damnatorum.

24. Esse igitur locum aliquem (Infernum appellamus) ad quem, qui extra gratiam hinc discedunt, mittuntur cruciandi: & qui perpetuus post extremum Iudicij diem, miserorum erit carcer, primũ Scripturę locis manifestum est, tum definitione Concilij generalis, postremò sententia Sanctorum Patrum.

25. Scripturæ variæ sunt. Nam Num. 16. dicitur, *Descenderunt* (Dathã & Abiron) *viui in Infernum operti humo.* Psal. 54. *veniat*, dicitur, *mors super illos; & descendant in Infernum viuentes.* quibus testimonijs id ipsum confirmat S. Hieronymus, in cap. 4. Epist. ad Ephes. Et Iob. 21. *In puncto ad Inferna descendunt.* & Matth. 11. *Tu Capharnaum, nunquid vsq; in cælum exaltaberis? vsque in Infernum descendes.* Et Lucæ 16. *Mortuus est autem diues, & sepultus in Inferno.*

26. Concilium Florentinũ hoc docet in Decreto vnionis; dum asserit eorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, *mox in Infernum descendere:* pœnis tamen disparibus puniendas. scilicet, quoad locum diuersum Inferni, & quoad rationem pœnæ, quam aliqui damni tantum habebunt, aliqui & damni, & sensus.

27. Patres in hac re, & pro hac re multi sunt. Cyrillus Alexandrinus, in Oratione de exitu animæ, loquens de anima morientis impij, *Tunc*, inquit, *à sanctis Angelis destitutam inuadunt æthiopes illi Dæmones: eamq; ferientes crudeliter, in terrarum opaca deducunt: & aperta tellure solidissimis compedibus reuinctam, in terram tenebrosam & fuliginosam, in infimas Infernorum carcerum partes, in Erebi custodias deijciunt.* S. Ephrem in libro de vera pœnitentia cap. 7. *Infernus*, inquit, *quo mittuntur peccatores, & Inferni profundum atrocior locus.*

28. S. Augustinus, lib. 2. Retract. cap. 24. retractans, quod lib 12. super Genes. ad literam, cap. 32, & 33. dubitando putauerat, Inferna non esse-

esse corporalia loca: *De Inferis*, inquit, *magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint; quam rationem reddere, cur sub terris esse credatur, quasi non ita sit.* S. Hieronymus, in cap. 4. ad Ephe. *Quod autem Infernus*, inquit, *in inferiori parte terræ sit; Psalmista testatur, Psal. 105. dicens. Aperta est terra, & deuorauit Dathan.* S. Gregorius, lib. 4. Dialog. cap. 28. *Si esse*, inquit, *Sanctorum animas in cælo sacri eloquij satisfactione credidisti: oportet vt per omnia esse credas & iniquorum animas in Inferno.* Pluribus opus nõ est.

An Infernus sit infra terram, vel alio aliquo loco.

Vbinam sit Infernus, ipsum nomen prodit. Significat enim aliquid inferius nobis. quocirca errant, qui Infernum, aut in superficie terræ, aut in aere, aut extra hunc mundum, cum Chrysostomo, in serm. de gehenna: aut super quatuor elementa, imo super aliquot orbes cælestes, in cælo Martis (cuius sententiæ meminit Abulensis, lib. de statu Animarum) constituunt. Infra nos est. in visceribus terræ est. in corde terræ. 29.

Sed & hic eædem rationes suppetunt, quibus iam probatum est Infernum esse. Et Scripturæ testimonia duobus tribusue modis id demonstrant. primò, quia, quando de Inferno loquuntur, per verbum, quod descensum ad inferiora significat. aditum ad ipsum esse docent. vt patet Num. *16.* Psal. 54. Iob *21.* Matth. *11.* Deinde Dominus de morte sua loquens, Matth. *12.* significat se futurum tribus diebus, *in corde terræ*; quod periphrasis est eius, quod in symbolo dicitur, *descendit ad Inferos.* Neque enim per *cor terræ* sepulchrum voluit significare vt quidã volunt, sed medium terræ, phrasi Hebręis recepta, qui *cor* pro *medio* accipiunt, quia in medio sit animalis. Deinde, quid causę est, cur de nemine alio dictum sit, *in corde terræ* fuisse, cum tam multi in sepulchro fuerint, si *cor terræ* sepulchrum significat? Cur nemo etiam, præter Christum, dicitur non solum in sepulchrum sed & *in inferiores*, id est, infimas, *partes terræ* descendisse, ad Ephes. 4. nisi quia non solum in sepulchrum corpore, sed etiam in Infernum anima descendit? Denique ijs, qui *in carcere erant prædicauit Christus*, 1. Petri 3. an ijs, qui fortè in sepulchro? an non potius ijs, qui in Inferno. 30.

Faciunt quoque pro Inferni, sub terra, loco sequentes Scripturę. 31.
Iob. *11. Excelsior est cælo, profundior Inferno.* &, cap *31.* vbi Infernum vocat *terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Psal. 85. loquitur Propheta, *liberasti animam meam ex Inferno inferiori* Pro. 4. *In profundo Inferni conuiuæ eius*, Isaiæ *7. Pete tibi signum siue in profundo Inferni.*

32 Nec aliter sentiunt, quos iam commemorauimus Patres. B. Augustinus lib. 2. Retract. cap. 24. corrigens, quod dubitauerit, An Infernus sit locus corporeus, dicit se magis asserere debuisse, *quod sub terris sit, quam rationes reddere cur credi debeat sub terris esse*. B. Hieronymus pro huius confirmatione adducit illud Psal. 105. *Aperta est terra, & deuorauit Dathan*. Gregorius, lib. 4. Dialog. cap. 28. illud Apocal. 5. *quod sub terra nullus inuentus sit, qui aperiat* librum. Tertullianus in Apolog. cap. 24 ob hanc causam vocat infernum *arcani ignis subterraneum thesaurum*. Hi Latini sunt.

33. Non dissentiunt Græci. Cyrillus Alexandrinus, oratione de exitu animæ loquẽs, quando indicat eãdem mitti in infernum hac vtitur periphrasi *quod deducatur in terrarum opaca*. Nyssenus, Oratione 1. de resurrectione Domini, dicit Christum, vt prædicaret mortuis in inferno, *descendisse in cor*, id est, medium, *terræ*, vt exposuimus. Sic Damasc. lib. 3. de fide orthod. cap. vltimo, præter *cor terræ* nullum inferni locum agnoscit.

34. Accedit his ratio naturalis. Omnino consentaneum rationi est, vt locus damnatorum longissimè distet ab eo, in quo Angelos & beatos homines perpetuo futuros non dubitamus. Locus autem beatorum cælum est: à cælo verò nihil magis distat quam centrum terræ: hic ergo infernus.

Quando Infernus esse incæperit.

35. Quando Infernus esse incæperit, dubium fortasse esse potest apud quosdam; tum quod in libro Genes. vbi omnium ortus describitur, eius nulla fiat mentio: tum maximè, quod Maath. 25. Dominus de beatorum loco loquens, dicat illum *paratum esse à constitutione mundi*: loquens verò de damnatorum, quando ille esse incæperit, non meminerit. Quocirca in hanc cogitationem fortè quis veniet; vt alio tempore credat infernum constitutum, alio paratum cælũ, beatorum sedem. Verum vtrumque locum simul, à constitutione mundi, factum esse non malè dixeris: propterea, quod quemadmodum ab omni æternitate Deus voluit iustis esse sua præmia; ita voluerit reprobis esse sua supplicia: & ob id vtrisque sua loca.

36. Nec potuit vllo tempore Cælum habuisse incolas, & non habuisse infernus: Ideoque nec cælum fuisse sine inferno: quia quo tempore primum Cælum cæperunt incolere mẽtes Angelicæ, quæ Deo adhæserunt: eodem inferni possessionem acceperũt Spiritus nequã, qui à Domino per superbiam defecerunt. Et Dominus, Matth. 26. dicit ignem infernalem paratum esse diabolo, & Angelis eius. at ab initio peccarunt Angeli, cum Diabolo.

Quocirca quod non dicitur infernus factus *à constitutione mundi,* 37.
(vt Regnum Patris) non significat infernum non à mundi constitutione esse factum: sed cælum factum esse vltio & sponte à Deo, vt qui omnes vellet saluos fieri, 1. Timoth. 2. & qui esset Deus nó volẽs mortem: infernum autem & ignem infernalem eundem non nisi necessitate & quasi coactum fecisse; vt exponunt Origenes, Chrysostomus, Theophilactus.

Mirum verò videri non debet, quod eius non meminerit Moyses, 38.
cùm mundi conditionem describit. quia aliorum multorum non meminit Moyses; quæ tamen in principio à Domino sunt condita: præstantissimarum creaturarum, id est, Angelorum quantum est silentium? Et tamen hos à Deo esse conditos in principio quis dubitat? Et fortè aliam rationem habere potuit Moyses, quod illorum non meminerit. De inferno autem siluisse potest credi, quod bona, quæ Dominus fecerit, recensere videatur, in quorum numero nó creditur infernus esse, tum etiam quod cum terræ meminit; Infernum, qui in visceribus terræ est, non excluserit.

Quam magnus Infernus sit. 39.

Magnum admodũ Infernum esse, ex eo quis suspicabitur, quod Isaiæ 5. dicatur *dilatauisse animam suam, & aperuisse os suum absq; vllo termino:* & præterea, Dominus dicat, Matth. 7. *latã esse portam eius.* quodque plurimos homines complectatur. Sed priora duo non tam eius latitudinem amplitudinemque ostendunt, quam significant multos in inferno recipi. Tertiùm verò, quoniam multos homines recipit, insinuat paruum esse non posse. 40.

Propter Animas verò, quas *iam* habet plurimas, non oportet sit magnus: quemadmodum neque propter Angelos malos. & horum, & illarum maxima multitudo minimo loco esse, & grauissima supplicia pati potest. Oportet magnus sit propter corpora, quæ sua singula proprium locũ habere debent, cum se penetrare non valeant.

Non æqualis porro siue eadem magnitudo omni tempore erit 41.
Inferno. quodam tempore aliqua ei accessio fiet: post euacuatum, scilicet, in fine mundi Purgatorium. tum enim locus, qui antea animabus purgandis seruiuit, seruiet & Dæmonibus, & damnatis torquendis.

Quam formam Infernus habeat.

Formam alicuius operosi ædificij, in quo sint distincta diuersaq; 42.
receptacula, & contubernia, non habebit infernus. Vna vasta incultaque voragine omnis eius forma & ornatus constabit, quando dãnatos post communem resurrectionem excipiet. Insinuat hoc Iob

cap.10.dum inquit, *Nullus ibi ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Insinuat Dominus, quando Matth. 3. vocat *caminum ignis.* Insinuat Ioannes, Apoc.21. quando vocat *stagnum ardentem igne & sulphure.* Insinuat Dauid Psal.20. quando *clibanum ignis* compellat.

43. Distinctio, si quæ ibi erit, fortaßis erit personarum: vt alius locus aßignatus sit superbis, alius luxuriosis, alius gulosis, alius alijs: quemadmodum quidam ex illo Matth.13. colligunt, quod Zizania sint colligenda in fasciculos. Sed tamen nec hac distinctione est opus, nec oportet vt diuersis peccatorum generibus diuersa distincta sint loca. Omnibus omnes possunt puniri, & ab eodem omnino igne omnes. quamuis quidam grauius torqueantur, quidam leuius: prout aliorum alia sunt merita. Pro Dei voluntate ille ignis agit, quocirca in quosdam acrius; in quosdam leuius. Pulchre B. Gregorius cap. 47. lib. 8. Moralium. *Gehenna,* inquit, *quamuis cunctis vna sit; non tamen cunctos vna eademq́ue qualitate succendit. Nam sicut vno sole tangimur omnes, nec tamen sub eo, vno ordine æstuamus: quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris, sic damnatis & vna est gehenna quæ afficit; & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hîc agit dispar valetudo corporum; hoc illic exhibet dispar causa meritorum.*

Quæ conditio Inferni, siue quæ in illo, præter ipsos, qui in illo torquentur.

44. De conditione loci aliqua suggerunt Scripturæ diuinitus traditæ, quæ ob id errare non possunt. plura norunt & cognoscent damnati. Hæc aßignare non possumus. quia ipsi non reuelarunt: & nescio, an reuelantibus credendum. Priora ferè hæc sunt, quod in Inferno sit Ignis, Exteriores tenebræ, Vermes, Sulphur, Aquę nimium. Horum enim meminerunt Scripturæ.

45. Pro *Igne* sunt loca plurima. Sententia Domini est, Matth. 25. *Discedite à me maledicti in Ignem æternum.* Matth.13. dicitur. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno eius omnia Zizania, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum Ignis.* & paulò post. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Iustorum, & mittent eos in caminum Ignis.* Marci. 9. *Bonum est tibi debilem intrare in vitam, quam duas manus habentem mitti in ignem inextinguibilem.* Sic de Christo dicitur, Matth. 3. *quod ventilabrum futurum sit in manu sua, & quod permundabit aream suam; & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet Igne inextinguibili.* & in 2. ad Thess. cap.1. dicitur quod *in flamma Ignis daturus sit vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obedi-*

obediũt Euangelio. Et diues propter Ignẽ clamat, *Crucior in hac flamma,* Lucæ, 16 Meminit & vetus Testamentum Ignis. Isaiæ 66. dicitur, *Ignis eorum nõ extinguetur.* Ecclesiastici 7. *vindicta carnis impij, Ignis & vermis.* Iudith 16. *Væ genti insurgenti super genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis: in die iudicij visitabit eos. Dabit enim Ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant in sempiternũ.* & Psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos: Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

Pro *Tenebris* etiam multa sunt loca; quamuis non tam multa. *Filij Regni,* inquit Dominus, Matth. 8. *eijcientur in Tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* & cap. 22. *Rex ingressus, vt videret discumbentes, cũ obseruasset quendam non vestitum veste nuptiali, iussit illum mitti in Tenebras exteriores.* Sic Matth. 25. Inutilis seruus eijcitur *in Tenebras exteriores,* Et Iudas, in sua Epistola. *Hi,* inquit, *sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes: quibus procella Tenebrarum seruata est in æternum.* Et Iob, cap. 10. *Dimitte me,* inquit, *vt plangam paululùm dolorem meum; antequam vadam, & non reuertar, ad terram Tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ & Tenebrarum.* 46.

Pro *Vermibus* tertiò est Dominus, Marci 9. *Bonum est tibi debilem intrare in vitam, quam duas manus habentem mitti in Ignem; vbi vermis eorũ non moritur:* &c. Sic Isaiæ, 66. *vermis eorum non moritur,* & Ecclesiastici 7. *vindicta carnis impij Ignis, & vermis.* & Iudith 16. *Væ genti insurgenti in nos. Dabit Dominus vermes in carnes eorum.* & Iob 24. *Obliuiscatur eius misericordia, dulcedo eius vermes.* 47.

Pro *Sulphure* sunt Sanctissimus Ioannes, & regius Propheta; hic rarius ille frequentius. Nam, cap. 21. Apocalyp. sic habet: *Timidis autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & Sulphure.* Sic cap. 14. dicitur, quod qui adorauerit bestiam & imaginem eius: *cruciabitur, igne & Sulphure.* & cap. 19. similia habentur. quemadmodum & vigesimo Regij Prophetæ hæc est oratio, Psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, Sulphur, & Spiritus procellarum.* 48.

Denique pro *Aquis niuium* est, Iob. 24 cap. *Ad nimium calorem,* inquit, *transeat ab aquis niuium, & vsq; ad inferos peccatum illius.* Has Aquas forsitan confirmat Oratio Domini, qua aliquoties significauit in Inferno futurum *fletum & stridorem dentium.* vt Matth. 8. 13. 22. 24. 25. Lucæ 13. Nam fletus causa, Ignis videtur esse: stridoris dentiũ, Aquæ niuium, 49.

Et hæc

51. Et hæc quidem in inferno esse dicuntur. quomodo verò ibidem esse illa credendum sit, non eodem modo ab omnibus explicatur. Nos de singulis aliquid, pro ratione nostri instituti breuiter.

De Igne infernali, qualis sit, quæue ipsius conditio.

52. Ignem *verum* quidam in inferno non admittunt. *Metaphoricum* volunt omnem, cuius in Scripturis fit mentio. Ratio horum, quia Animę & Spiritus, qui in inferno puniũtur, à corporeo igne pati possunt nihil. Nos quoniam de pœnis, quas corpora damnatorum, post resurrectionem sustinebunt, hic agimus, horum ratione moueri non debemus. Hæc ergo à vero, sensibili, corporeoque igne, vere torquenda esse credimus.

53. Idem quoque de animabus & Spiritibus sentimus; quamuis *quo modo* hi à corporeo igne patiantur, difficilius explicetur. Vtrobiq; tamen admirabile, quod hic spiritus verè patiantur, hic corpora nõ consumantur: & vtrobique, vt, *B.* Augustinus loquitur, lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 10. *Ignis miris, sed tamen veris modis agat.*

54. Mirum & illud in eodem igne, quod consumatur nunquam, perpetuoque perseueret, cùm, vt B. Innocentius loquitur, lib. 3. de Cõtemptu mundi cap. 6. *nec lignis nutriatur, nec flatu succedatur.* Sic mirũ, quod non naturaliter solùm, sed etiam quodam modo agat supernaturaliter: & vnus idemque diuersis applicatus, hos grauius torqueat, illos minus grauiter: prout mortalium delicta exigunt.

De Tenebris Infernalibus quales & quantæ illæ & quæ ipsarum conditio.

55. Tenebras, in quas mittendi dicuntur damnati; & quæ in inferno esse creduntur, & apud solum Euangelistam Matthæum tertiò repetuntur, quidam *spirituales* esse credunt, non *corporales*. Et B. Hieronymus in Comment. atque Augustinus, Epist. ad Horatium, 120. cap. 22. & Ambrosius in 1. Lucæ, intelligunt priuationem veri luminis, Dei: vt idem sit damnatos mitti in Tenebras, quod à verò lumine separari. B. Augustinus in Psal. 6. etiam spiritualiter intelligit; cæcitatem mentis Tenebras vocans; quæ tanta erit in damnatis, vt sanari non posit; vnde & *extremas Tenebras* vult dici.

56. Non deerit quidem damnatis vera mentis cæcitas: carebunt quoque diuino spiritualique lumine: sed tamen, quid prohibet cur *corporales* dicamus Tenebras, quæ ipsos inuoluent? vt Dominus dicere voluerit locum infernalem luce cariturum. Hoc ait Iudas in sua Canonica, inquiens, *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium ad iudicium magnæ diei vinculis æternis sub Caligine reseruauit.* Certè vt igne, ita etiam Tenebris cruciandi videntur damnati. Et vt Sancti in abundantia erunt lucis speciosissimæ, ita hi in extremis Tenebris.

Quæ verò *Exteriores* Tenebræ? placet, quod comparatiuus pro superlatiuo positus dicitur. Hoc enim Græcis familiare est. Itaque *Tenebræ Exteriores* erunt Tenebræ extremæ, seu potius extimæ. Sint autem Extimæ vel extremæ, quæ ab ipsa luce, quam longissimè absunt: hoc est, Tenebræ obscurissimæ & profundissimæ. Quo enim Tenebræ magis à luce absunt, eo sunt maiores & grauiores. 56.

Nec obstat quod in Inferno erit ignis corporalis, qui est lucidus. 57.
Nam, teste Basilio, illuminandi vis ab illo igne, diuina virtute auferetur. Sic enim ille scribit in priori Expos. Psal. 28. *Arbitror*, inquit, *quod ignis præparatus in supplicium diabolo, & angelis eius, dissecatur voce Domini; vt quoniam duæ sunt in igne facultates, vstoria & illuminatoria; aëris quidem & punitoria vis ignis permaneat apud eos, qui digni sunt, vt vrantur; illuminatoria verò & splendida ipsius facultas ad exhilarandos beatorum gaudio fruentes cedat. Ignis inferni*, inquit, Innocentius iam citatus, *semper ardebit, nunquam lucebit*.

Quod si autem in inferno aliquid luminis sit futurum, hoc erit, 58.
quantum hoc, conueniet pro augmento pœnæ damnatorum. fore enim ibi aliquid luminis testatur B. Gregorius, lib. 9. Moral. super illud Iob. *vbi nullus ordo. Flamma*, inquit, *comburit: sed nequaquam Tenebras discutit. quamuis illic ignis & ad consolationem non lucet: & tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus qui eorum vitam carnaliter, contra præcepta conditoris amauerũt; ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat.* Hæc ille.

De Vermibus infernalibus, qualis illi, & vnde opinio de ipsis concepta.

De Vermibus non vna est omnium sententia. Quidam veros Vermes in inferno constituunt, qui quemadmodum ignis verè 59.
vrit, vere damnatos rodant. Tribuitur hæc sententia Alphonso à Castro verbo Infernus. & B. Chrysostomo. Pro eadem videtur loqui Hugo, de S. Victore, lib. 4. de Anima, cap. 13. *Ibi*, inquit, *omnes comburuntur, & Vermibus corroduntur, nec consumuntur*. Similiter Innocent. lib. 3. de Contemptu mundi, cap. 2. *Dabit*, inquit, *Dominus ignem & Vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant, vsque in sempiternum.* Nec ab hac videtur esse alienus B. Augustinus, lib. 21. de Ciuit. cap. 9. Opinio hæc profecta videtur ex Isaiæ atque Iudith verbis. quæ superius retulimus.

60 Nos,vt quod ſentimus,dicamus, non dubitamus, quin Deus,ſi vellet,ita veris Vermibus, vt vero igne torquere poſſet damnatos: efficere quoque,vt veri in inferno & naſcantur, & occidăt vermes. Facilius tamẽ dicitur,& creditur *nullos veros Vermes* eſſe.Quid enim his opus?Tantum,tormentorum vnus Ignis afferre poteſt, quantũ ſufficit ad grauiſsima quorumcunque damnatorum peccata vindicanda.Et ſi in Inferno Vermes ſunt conſtituendi,qui affligăt miſeros;cur quoque non in cælo conſtituenda animalcula,(qualia illa tandem ſint) quæ recreent beatos?

61. Alij ergo melius Vermes *metaphoricè* accipiunt:voluntque apud Iſaiam in Vermibus& Igne,duplicem impiorum pœnam,quam in Inferno ſuſtinent,deſignari,iuxta illud Hierem.17. *Duplici contritione contere eos:*corporis,videlicet,& animæ:& per Vermem exprimi remorſum conſcientiæ quo affliguntur animæ: per Ignem cruciatus ſenſibiles,quos corpus patitur.Placet quod in Vermibus metaphoram ponant: diſplicet quod Vermes pœna animæ tantum dicantur,Ignis corporis tantum.Ignis infernalis & corpora affliget,& animas.Et Vermes corpora rodent,& animas, ſi ad Domini, prophetæque ſententiam mentem conuertamus. Quod dicimus ex ſequentibus conſtabit.

62. Primus igitur *Vermium, qui non moriuntur, & Ignis, qui non extinguitur*,meminit Iſaias:deinde Dominus,qui Propheta quaſi verbis vtitur,& omnino ad Prophetam reſpexiſſe videtur.Itaque ex Prophetæ ſententia de Vermibus his iudicandum eſt. Propheta verò ex huius vitæ pœnis, hominibus magis notis, illas Inferni, minus notos adumbrare volens, oſtendit ex ſtrage, quæ in bello accidere ſolet, infernales multo eſſe maiores pœnis huius vitæ; propterea; quod in ſtrage aliqua bellica ignis,quo cadauera comburuntur,& Vermis, quo eadem infecta, ſolent ſcatere, ad tempus durent: Ignis autem ſuperuenturus; & vermes alterius vitæ multo maiores moleſtias ſint allatura,vtpote in æternum non habitura finem.

63. Quocirca non neceſſe eſt hic *veros* Vermes admittamus. hoc enim ſolum Prophetæ & Domini ſententia perſuadendum erat,maiora futura ſupplicia futuræ vitę quam præſentis,quod indicari poterat,etiam non veris Vermibus: quemadmodum non dico ob id vera altilia fore in cælo,quando dico cænam futuræ vitę multo alia altilia habituram,quacunque regia cæna cuiuſquem Principis terreni.

64. Verme igitur atque igne Propheta, & Dominus neque pœnas diuerſas, neque diuerſarum hominis partium; ſed totius hominis

pœnam.

pœnam vnam eandem,totamque significant. Vnum & idem supplicium,ignis atque Vermis dictum est.quocirca particula illa. Et non tam copulatiua est,quam exegetica,cùm dicitur quod ignis nõ extinguitur,& Vermis non moritur.

De Sulphure infernali,an verum futurum, & quæ eius conditio. 65.

De Sulphure,vtrum *verum* futurum sit in Inferno.dubitant quidam.Ignis enim nutriendi causa ibi esse creditur. at quod æternum æterno igni nutrimentum præbeat, quod sulphur esse potest? Itaq; existimant hi,igne & sulphure,cuius in Apocalypsi aliquoties mentio fit, summam vastitatem indicari. propterea, quod ignis omnia vastet, dum non extinguitur: cùm autem illi sulphur additur extingui non potest. est enim sulphur pabulum ignis: molestissimi quidem illud odoris,sed aptissimum tamen, vt & flammam suscipiat,& semper ardeat,atque ignem augeat. 66.

Sed verum apud Inferos Sulphur esse haud obscurè ex Scripturâ intelligitur. Nam igne & verò sulphure pluit super Sodomam,vicinasque ciuitates,& hanc pœnam Iudas Apostolus æterni ignis pœnam esse scribit,his verbis:*Sicut Sodoma & Gomorrha,& finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ:& abeuntes post carnem alteram,factæ sunt exemplum æterni ignis pœnam sustinentes.* Atque hæc est communis sententia fere eorum,qui Apocalypsin interpretantur:& Alfonsi,Abulensis Episcopi,in Matth.25.q.560. quam Apocalypsis locis probat. 67.

Sulphur hoc non consumitur, & nouum in consumpti locum succedit:sed vt corpora ipsa damnatorum vrentur,nec tamen consumentur,ita & sulphur.Ponendum autem sulphur fuit,vt esset aliqua materia,in qua ignis accenderetur in Inferno, ab eiusdem ignis materia aliena.deinde etiam,vt fœtore suo damnatorum pœnas augeret;nec odoratui sua deessent tormenta, quæ ab alijs sensibus non deerunt.Confirmat hoc Ausbertus, cùm ait, *Terribiliter autem locus supplicij stagnum Ignis & Sulphuris esse perhibetur. Stagnum, scilicet, quia demergit: Ignis autem, quia exurit: Sulphur verò, quia quos demergit, simul & exurit,& continuis fœtoribus replet.* Atque hoc per Dei potentiam fiet,siue vlla Sulphuris resolutione,vt dicto loco explicat Abulensis.

De aquis nimium & frigoribus qui in Inferno esse dicuntur, quid sentiendum.

68. Aquas *veras*, qui in Inferno ponant, vix aliqui inueniuntur; multo minus, qui ponant niuem, aut gelu: frigus autem vehemens, quale excitare solent Aquæ niuium B. Hieronymus admittit. Circa locum enim illum Iob 20. *Ad calorem nimium transeat ab aquis niuium*, sic scribit. *Quasi duas gehennas Sanctus Iob dicere mihi videtur, Ignis & frigoris: per quas diabolus, hæreticus & homo impius commutetur. Fortè in ipsa gehenna talis sensuum cruciatus fiet his, qui in ea torquebuntur, vt nunc quasi ignem ardentem sentiant; nunc nimium algoris incendium: & pœnalis cōmutatio, nunc frigus sentientibus, nūc calorem, fit, vt quasi de loco ad locum trāsire existimentur. Et fortasse inde Dominus ait in Euangelio: Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium: vt hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur.* Ita B. Hieronymus. Pro eodem videtur facere, quod Scriptura faciat mentionem *gehennæ ignis*, quasi hæc distinguatur à contraria gehenna, quæ frigoris sit.

69. Verùm quemadmodum hæc Hieronymus tantum dubitando dicit, ita ex illo Iob loco nihil potest statui de frigoribus infernalibus, de quibus nullæ alia Scripturæ proferri possunt. Primum enim non dicitur, Ad calorem nimium trāsient ab aquis niuiū; sed *transeat*, imprecationis modo. Deinde Scriptura illa alium sensum conuenientiorem recipit. Nam B. Gregorius, in Iob scribens, non intelligit hic designari pœnas Infernales, sed describi impiorum in omnibus immoderationem, qui à frigore infidelitatis transeunt frequenter ad calorem hæresis; nec in infidelitate, nec in fide modum seruare scientes.

70. Præterea demus de pœnis Inferni loqui virum sanctum: nec dū tamen necesse est frigus gehennæ admittamus, solum enim ostendit, quod sicut arida terra, & calor solis absorbent aquas niuis; sic Infernus eos, qui peccarunt. Hunc sensum prodit versio Septuaginta Interpretum, & lectio Hebræa. sic enim habent, *Arida & calor rapiunt aquas niuis: Infernus eos, qui peccauerunt.*

71. Nec *stridor dentium*, qui in Inferno futurus à Domino dicitur, à frigore est, quemadmodum nec à fumo ignis, *fletus*. Duo illa *fletus* atque *dentium stridor* vnam rem significant, maximam, scilicet, tormentorum vim; quia vtrumque, qui vehementissimè torquentur, facere solent: flere nimirum, & dentibus stridere. Potest & illud dici, per *fletum* atque *stridorem dentium* voluisse significare Dominum dolorem & horrorem summum: dolorem quidem per *fletum*, horrorem verò per *stridorem dentium*. omitto, quod quidam *stridorem dentium* intelligunt significari indignationem damnatorum, tum contra Deum, tum contra seipsos, serò iam sibi irascentium, quod tam pertinaci improbitate deliquerint.

Sic

Sic nec ex eo, quod dicitur *gehenna ignis*, significatur alia gehenna 72.
frigoris. frequenter enim nomen gehennæ Saluator ponit absolutè. aliquando verò hebraica phrasi additur *ignis*, vt idem sit gehenna ignis, quod gehenna ignita.

Quando Infernus habiturus finem.

Sed quando Infernus habiturus finem? Duobus modis intelligi 73.
potest Infernum habiturum finem. Alter est, vt sit quæstio de pœnis damnatorum, quando illæ finem habituræ: alter de ipso carcere, in quo iam pœnas luunt animæ; & ad quem, post latam à Domino sententiam remittentur, qui à sinistris stabunt Domini, cum hædis. Ad illum facilior est responsio: ad hunc si non facilis, certè non ita difficilis.

Pœnarum nullus erit finis. Qui mittetur in ignem; in ignem mit- 74.
tentur æternum. *Qui bona egerunt*, inquit Athanasius in Symbolo, *ibũt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum.* Ignis infernalis non extinguitur, Isaiæ 66. Inde nisi nouissimus quadrans persoluatur, (persoluere non licebit) non exitur, Matth. 5. In Inferno est tempus patiendi tantum: causam suam agendi, debita persoluendi, in gratiam redeundi non est tempus. Sed de hoc in sequentibus forsitan.

Et verisimile est eodem in loco, in omnem æternitatem pœnas 75.
subeundas esse. Quid enim nouo opus est carcere? quid nouo tormentorum loco? Quid quod non videatur constitui posse melior? vt aliquando ex Inferno transeant ad superiora elementa, aut cælos; opera eorum non permittent: fortè nec eorum, quæ circumferent, grauia & molestia corpora. Et hactenus de Inferno.

De altero, Beatorum videlicet, domicilio, quod Cælum dicimus.

Quid de Cælo? aut Regno, ad quod assumuntur Benedicti Pa- 76.
tris? An & illud certus est locus? Et si certus vbi is & quis? quomodo in eodem sint Sancti? quando item esse incæpit? quam magnus futurus? quam habiturus formam? quæ eius conditio? an aliquando habiturus finem? Et ad hæc breuiter respondendum est.

An aliquis certus locus beatis attributus sit.

Futurum igitur aliquod Regnum Patris, siue dandum Cælum 77.
pro beatis, quemadmodum Infernus datur pro damnatis, res est omnium Catholicorum confessione certissima. Plura sunt pro hac re Scripturæ testimonia. Matth. 5. dicitur, *Merces vestra copiosa est in cælis.* Math. 6. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra* &c. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* & Ioannis 14. *Vado parare vobis locum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* & 2. Corinth. 5. *Scimus enim, quoniam si terrestris nostra domus huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus*

domum non manufactam, æternam in Cælis. Ad Philip. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Chrsto.* 1. Petri 1. *Regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Christi ex mortuis in hæreditatem in corruptibilem & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in Cælis.*

78. Nec aliud habet Ecclesiæ definitio. In Concilio Florentino, in decreto Vnionis Armenicæ docetur *Animas sufficienter à peccatis purgatas; mox in Cælum recipi, & intueri clarè ipsum Deum.* In Tridentino, sess. 25. decreto, de Inuocatione Sanctorum, asseritur, *Sanctos in Cælo cum Christo regnare.* Idem definiuit Innocentius III. in cap. Maiores, Extra de Baptismo & eius effectu & in cap. *Ad Apostolicam*, Extra, de Presbytero non baptizato.

79. Et hæc concors Patrum est sententia. Referimus aliquos. Cyprianus Sermon. de Mortalitate, *Dominica*, inquit, *præcepta seruantes ad Cælestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos. Fratres, auida cupiditate properemus.* S. Basilius, homil. in 40. Martyres. *Vos*, inquit, *non terra occuluit, sed Cælum suscepit.* S. Chrysostomus, Epi. 5. ad Theodorum lapsum, *quid*, inquit, *putas futurum de animis illis accersitis ad infinita bona, quæ in Cælis pios manent?* Hi Græci sunt.

80. Consentiunt cum his Latini: Leo, Sermo. de S. Laurentio: *Nihil proficis*, inquit, *sæua crudelitas, Laurentio in Cælos abeunte, tu deficis flammis tuis.* S. Gregorius, homil. 37. in Euangel. *Si consideremus*, inquit, *quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in Cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris.* Augustinus, in Psal. 83. super illud: *Beati qui habitant in domo tua. Possident*, inquit, *Hierusalem Cælestem, sine angustia sine pressura, sine diuersitate, sine diuisione limitum.*

Vbinam Cælum, beatorum domicilium sit.

81. Sed Vbi hoc Regnum Patris, siue Cælum, quod beatorum sedes & domicilium dicitur. Si Cæli vna notio esset, & significatio; facilis esset responsio: iam verò difficilior est, quia varia. Nam primo quidem sumitur Cælum pro corpore cælesti, atque ita distinguitur triplex Cęlum, primum totum lucidum & immobile, quod est Empyreum. alterum totum expers lucis, & diaphonum, mobile tamen; & vocatur Christallinum: tertium partim diaphonum, partim lucens; & est Cælum syderium, octauum orbem, & septem subiectos planetarum orbes complectens. Altero modo Cælum dicitur, non quod naturam habet cælestem; sed quod similitudinem habet, alicuius proprietatis cælestis. quomodo in Scriptura, sæpenumero Aer vocatur Cælum. Tertio modo Cælum dicitur, per methaphoram, & secundum sensum mysticum, incomprehensibilis illa sublimitas, & lux inaccessibilis diuinæ Maiestatis, cuius

smi-

similitudinem & æqualitatem affectans Lucifer, Isaiæ, 14. dixit *In Cælum ascendam.* Cùm ergo tam varia sit Cæli notio; difficilior est ad propositam quæstionem responsio.

Sunt autem, qui hîc Cælum aliud non agnoscunt, quàm possessionem lucis diuino maiestatis, siue Dei visionem: & ob id *esse in Cælo*, dicunt nihil esse aliud, quam Deum videre, & cum visio Dei nullo loco adstricta sit, omnibus locis credunt posse esse Cælum, atque Regnum Patris, siue beatorum domicilium. Verum quæ hactenus de Cælo dicta sunt, contrarium facilè suadent. 82.

Deinde quoniam Dominus dixit Ioan. 14. *iterum se, vt pararet locum:* in quo scilicet æterna cum ipso felicitate perfrueremur, quis dubitat, quin illum locum, quo Dominus post resurrectionem peruenit, Cælum superum locum, intelligere debeamus: & non quemcunque? Neque enim omnibus locis ipse mansit. *Assumptus est in Cælum*, dicitur Marci 16. *ferebatur in Cælum*, Lucæ 24. *iuit in Cælum* Act. 1. *ascendit super omnes Cælos*, ad Ephes. 4. *excelsior Cælis factus*, ad Hebr. 7. His Scripturis, profectò, aliquis superior locus significatur, quo Dominus peruenit: quocirca & aliquis superior locus erit sedes, & receptaculum beatorum. 83.

Et cùm in aliquo loco debeant esse Sancti, vt qui sine corporibus non erunt, nonne conueniens admodum est, vt contrarius damnatorum sedibus ijs tribuatur? Ergo cum hi in visceribus terræ resideant. Sancti à terra erunt remotissimi, ideoque in Cælo. 84.

Superum igitur aliquem locum oportet esse cælum, beatorum domicilium: & quidem (ne longiores simus) illum, qui maximo interuallo distat à terra. quem Doctores *Cælum* vocant *Empyreum.* Hunc iam à nobis allata ratio postulat. Hunc confirmat illud, quod Sanctis cum Christo communis futurus sit locus, secundum illud, Ioan. 12. *vbi ego sum & minister meus erit*, Christus verò dicatur ascendisse *super omnes Cælos, Ephes.* 4. & *Cælos penetrasse*, ad Hebr. 4. & *excelsior omnibus Cælis factus*, Hebr. 7. Quocirca & beatorum domicilium erit super omnes cælos: ipsi cælos penetrabunt: ipsi Cælis erunt excelsiores. 85.

Sitne aliquod Cælum Empyreum, superius omnibus orbibus Cælestibus.

Esse aliquod tale Cælum, ratio Physica non demonstrat, quia 86.
noc

nec ſub aſpectum venit, nec motu deprehenditur; ex quibus duobus de alijs Cęlis ratio cenſetur. Sed tamen id conſtanter aſſerũt Doctores Scholaſtici, D. Thomas 1. p. q. 66. ar. 3. Alenſis 2. p. q. 6. m. 1. Albertus, Tract. de 4. coæuis. q. 3. ar. 13. Vdalricus in ſua ſumma, lib. 4 Gvvilhelmus 1. parte de Vniuerſo. Patres quoque, Beda in 2. cap. Geneſ. Baſilius hom. 2. & 3. Hexameron. Damaſ. lib. 2. de fide orthod. cap. 6. Clemens lib. 1. & 2. Recognit. Theodoretus, q. 11. in Geneſ. Hilarius, in Pſal. 122. Athanaſ. Chryſoſtomus, & Theoph. in 8. cap. Epiſtolæ ad Heb. His adde ex gente Hebræorum Abrahamum Aſtrologum, & Iſaacum Philoſophum.

87. Atque in hoc Cælo volunt Deum eſſentiam ſuam clariſsimè videndam beatis mentibus aperire: huc euolare Iuſtorum animos, corpore ſolutos, nullaq; peccati macula infectos; hîc denique poſt reſurrectionem, omnes ſimul Iuſtos cum corporibus ſuis commemoraturos.

88. Putant Cælum hoc ſignificari in Scriptura, quotieſcunque ea dicit: *Cælum Cæli*, vel *Cæli Cælorum*: veluti cùm Dauid ait, Pſal. 113. *Cælum cæli Domino.* & Pſal. 148. *Laudate Dominum Cæli Cælorum.* Hoc Iſaacus Iudæus, cuius iam meminimus, putat ſignificatum ab Ezechiele *ſapphiro*, in throni ſimilitudinem efformato. Et Damaſcenus, lib. 2. de Fide ortho. cap. 6. exiſtimat eſſe *tertium illud*, ad quod 2. Corinth. 12. ſe raptum dixit Apoſtolus.

89. Volunt & in Scripturis, *Terram viuentium dici*, & *Regionem viuorũ.* De hoc enim loquẽs Dauid dixit, Pſal. 151. *Portio mea in Terra viuentiũ.* & Pſal. 114. *Placebo Domino in Regione viuorum.* Quin etiam ſimpliciter *Terram* dictum Matth. 5. *Beati mites; quoniam ipſi poßidebunt Terram:* & ſic dictum: tum, quod ſicut inter elementa, ſola terra eſt immobilis; ita inter Cælos, hoc Empyreum: tum etiam quod quemadmodum terra nunc eſt domicilium hominum mortalem vitam viuentium; ita poſt reſurrectionem, Cælum Empyreum futurum ſit ſedes iuſtorum hominum, beatam vitam perpetuo æuo degentium.

90. Hoc Cælum intellexiſſe videntur Sancti viri, quos legimus idẽtidem ſuſpicere Cęlum ſolitos, tantoque eius aſpectu interiori gaudio completos, vt ſibi temperare non poſſent, quin maximam vim lachrymarum profunderant. Scilicet, aſpiciebant illi Cælum, quaſi patriam ſuam exules: quaſi portum cum periculo naufragij nauigantes: quaſi coronam & præmium, cum fortiſsimis aduerſarijs, diabolo, carne, mundoque, dubio pugnæ exitu, quoad viuunt, perpetuo decertantes. Ideoque optatiſsimi illius loci, & feliciſsimi cõtemplatio,

contemplatio, magna illis viris erat in laboribus requies, in mœroribus solatium, in certamine robur, in aduersis rebus subsidium.

Quomodo sancti sint in hoc Cælo Empyreo.

Tribus modis intelligi potest Beatos in Empyreo cælo esse. Primus est, vt in ipso ita sint, vt simul penetrent. Alter, vt quidem non penetrẽt, sed intra ipsum Cæli corpus sint, ita vt ab ipso circumdẽtur, & circumscribantur, quemadmodum nos iam ab aęre. Tertius, vt sint supra extremam illius Cæli superficiem, eo modo, quo nos super terrę superficiem. Omnibus modis posse esse in Cælo illo beatos, nemo dubitat. 91.

Quid enim prohibet, si gloriosa corpora se penetrent, quando etiam non gloriosa penetrarunt aliquando? Et quidni, vt nos in aere versamur nunc, ita beati tum in cælo versantur? cedentibus partibus cæli, nostris corporibus accedentibus? vt verò supra cæli conuexam superficiem sancti sint, facilius omnes & intelligunt, & credunt. 92.

Sed possint fieri omnia. Quid futurum? verisimilius hoc tertium. ita doctissimus Caietanus, & Ferrariensis in 4. contra Gentes, cap. 87. alijque excellentis doctrinæ homines. Et bene, si cum Christo Domino commune habituri sunt domicilium Sancti. De hoc enim dicitur, quòd *ascenderit supra omnes cælos*. Ephes. 4. quod *excelsior cælis factus*, Hebr. 7. quæ quidem ipsum non in corpore Cæli, sed Cæli suprema superficie, sedem suam habere haud obscurè insinuant. Hinc B. Chrysostomus, homil. 11. super 4. ad Ephes. *Ascendit*, inquit, *Dominus super omnes Cælos, vltra quos nihil est aliud: Hoc videlicet est potentiæ & dominationis eius.* 93.

Atq; hoc probabilius dictum. alioquin de Sanctis dicere possumus, quod de Christo B. Augustinus, lib. de fide & symbolo, cap. 6. *Credimus*, inquit, *in Cælum ascendisse: sed vbi, & quo modo sit in Cælo corpus dominicum, curiosissimum & superuacaneum est quærere. tantummodò in Cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ, Cælorum secreta discutere: sed est nostræ fidei de dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere.* Ita B. Augustinus. 94.

Quando Regnum Patris, siue Cælum Empyreum incœperit esse.

Habemus Regnum Patris, Scimus, vbi inueniendum. Verùm *quando* esse incœpit? A *constitutione mũdi*, respõdet Dominus. Matth. 25. *Venite*, inquiens, *Benedicti Patris, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Quid quod in eodem Angeli creati esse dicantur? Docet id Magister in 2. dist. 2. & D. Thomas 1. par. q. 61. art. 4. Atque 95.

 (sicuti

(sicuti Vdalric⁹, lib. 4. suæ summæ interpretatur) ob id Angeli in diuinis literis, *astra matutina* vocantur, cap. 38. lib. Iob. (*vbi eras, cum te laudarēt astra matutina*) quia suæ præsentiæ luce, hoc Cælum, quasi stellæ, ornant.

96. Et quidni cum condito Mundo, maxima, pulcherrimaq; mundi pars esse potuit & debuit? Quidni suam sedem statim, habere debuerunt Angeli boni, qui meritorum ratione illis debebatur. Et si damnatis suis à principio carcer fuit constitutus; beati suo carere debuerunt domicilio?

97. Et sunt, qui de constitutione, siue creatione huius cæli locutum existimant Moysen; quando dixit. *In principio creasse Dominum Cælum & terram.* Nec infirmis hi vtuntur argumentis. Primum petitur ex ipsa Scriptura, quæ in hac narratione Moysis distinguit cælum à firmamento, & aquis supra firmamentum, factis secundo die: & à sole & luna, cæterisque astris, quæ condita sunt quarto die. Cùm ergo per firmamentum intelligatur octaua sphęra; per aquas super firmamentum locatas, nonum cælum, quod vocatur Chrystallinum: per solem autem lunam, & astra, septem orbes planetarum: relinquitur per *Cælum in principio factum* non aliud intelligi, quam cælū Empyreum: Cumque Scriptura toties hoc cælum prædicet; non est credibile eius creationem intermissam à Moyse: sed cum sit primū omni-

98. um, primo loco esse traditam.

Alterum argumentum ductum est ex quadam conuenientia & congruentia. Si enim Deus propter statum hominis mortalis, & ad huius vitę breuis vsus & commoda, tot cęlos condidit, qui irrequieta conuersione circumagantur; quanto magis fuit consentaneum facere cælum aliquod, quod esset statui hominis post resurrectionē, animo simul & corpore, beatam vitam agentis, & immortalem, maximè congruens domicilium?

99. Tertium nititur veterum & nobilium Scriptorum, qui hoc idem senserunt, authoritate. Atque, vt alios omittam, ante nongentos annos Venerabilis Beda in suo Hexamero disertis verbis hanc huius loci Mosaici intelligentiam tradit. *Cælum,* inquit, *quod in principio Deum fecisse, Moyses scribit, ipsum est Cælum superius, quod ab omni mundi huius volubili statu secretum, diuinæ gloriæ præsentia manet semper quietum. Nam de nostro cælo, in quo sunt posita luminaria, huic seculo necessaria, in sequentibus Scriptura, quomodo & quando sit factum declarat. Non ergo superius illud Cælum, quod mortalium omnium est inaccessibile conspectibus, inane creatum est & vacuum, vt terra, quæ nihil in prima sui creatione virentium germinum, vel viuentium produxit animantium: quia nimirum suis incolis*

mox

mox creatum est, hoc est, beatissimis Angelorum agminibus impletum est. Hęc Beda.

Quantum sit domicilium Beatorum, quod post Resurrectionem à mortuis inhabitabunt?

Magnus admodum hic beatorum est locus: quin imo incredibilis propemodum magnitudinis, vtpote in cuius comparatione terra veluti punctum existimatur. Et profectò, si quod dicitur, verum est superiores orbes excedere inferiores magnitudine; omnino oportet maximum vastissimumque corpus esse vltimum, quod inferiora omnia suo complexu continet. 100.

Idem ex distantia, quæ inter nos, atque illud Cælum est, facilè conijcitur. Maxima enim illa est. Quoniam numerantur miliaria inter nos & Cælum 101.

Lunæ, 40069.
Veneris, 79132.
Solis, 207916.
Martis, 1527102.
Iouis, 1118156.
Saturni, 1804611.
octauam sphæram, 25191549.
Nonam sphæram, 50384552.
Decimam sphæram. 75577155. quanta igitur distantia vsque ad supremum Cælum Empyreum

Amplitudinem quoque domicilij huius insinuat Dominus, quãdo dicit *in domo Patris sui mansiones esse multas.* Ioan. 14. Insinuat Baruc, cap. 3. quando sic exclamat, *O Israel, quam magna domus Dei, & ingens locus possessionis eius: magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* 102.

Et profectò conuenit, vt amplam Regiam habeat tantus Rex, de quo Psal. 46. *quod terribilis, & Rex magnus.* & Psal. 94. *quod Rex super omnes gentes.* & Psal. 135. *quod faciat mirabilia magna solus.* de quo Salomon 3. Reg 8. *quod Cæli calorum ipsum non capiant.* de quo Isaias cap. 40 *Ecce gentes, quasi stilla situla, & quasi momentum statera, reputata sunt. ecce insula, quasi puluis exiguus. Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum & inane reputata sunt ei,* &c. 103.

Quæ sit forma Regni Patris & domicilij beatorum, quod Cælum Empyreum dicimus.

104. Formam rotundam huic Cælo, quod beatorum est domicilium, quidam tribuunt, qualem dicuntur habere omnes cælestes orbes inferiores. Sed his illam tribuunt ferè propter motum, cui hæc forma maximè seruit. Empyreo cęlo propter motum hæc tribuenda non est, quia non quemadmodum illi Cæli in orbem agitatur. Immobile manet semper, in supremo loco; quemadmodum in infimo terrà.

105. Hinc est, quòd quidam quadratam illi formam tribuant, in superiori sua parte. Nec illos damnamus, nec hos. Scriptura nihil suggerit: ratio nihil vrget, quoniam sensus in motu, vel quiete huius Cæli nihil iuuatur. Vbi Cælum ingressi fuerimus, formam obseruabimus. Sed tamé improbabiliter ipsi forma quadrata videtur tribui, & plana in extrema superficie; tum quòd hæc Christo contemplando melius seruiat pro omnibus hominibus; tum, quòd quidam existimét hoc insinuatum Apocalyp. cap. 21. vbi dicitur Ciuitas cęlestis *posita in quadro.*

106. Sed siue sphericum sit, siue planum Cęlum hoc, id hic à quibusdam petitur, an vna pars in eodem altera aliqua magis extet atque emineat, quæ honoratiori atque beatiori honoratiorem etiam locum tribuunt: hocque credunt indicatum ab Apostolo, ad Ephes. 1. quando dixit, *Constituit illum super omnem principatum, & potestatem, & supra omne quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro.* Ita quoque post Christum alijs, pro ratione meritorum, certa loca assignant, Christo propinquiora.

107. Verùm difficulter creditur sedes, & loca Sanctorum ita fixa fore in cęlo, atque immobilia, vt neque ipsi illa relinquere valeant, neque alia possint illa occupare. Quid enim? immobiles in Cælo erunt Sancti? & si vnus aliquis locum suum deserit, alius illum occupare non poterit?

108. Distinctio locorum, si quæ in Cælo erit, magis erit in ordine & habitudine, quàm in situs altitudine. Censebitur locus dignissimus ex dignitate Christi, qui locum occupabit, vbicunque etiam ille inuenietur. cętera loca tanto erunt digniora, quo Christo viciniora.

109. Et beati, quamuis non semper erunt in ijsdem locis, tamen quo fuerint sanctiores, eò habebunt ius magis appropinquandi Christo, quamuis etiam si volent, à Christo magis recedere valebunt.

110. Quod verò de mansionibus, an illę, vt in aulis Regum, diuersæ erunt?

erunt? futuras mansiones diuersas docet Dominus, Ioan.cap.14. *In domo Patris mei*, inquit, *mansiones multæ sunt*: sed metaphoricæ hæ mansiones esse possunt, atque significare diuersa præmia, quæ diuersis diuersorum meritis tribuentur.

Quæ conditio huius domicilij, siue Cæli Empyrei.

Alia est huius loci, alia Inferni conditio; maximè quoad lucem & tenebras. Abundat hic lumine, vnde & Cælum Empyreum, quasi Igneum, dicitur. Et B. Hieronymus, teste Beda in suo Hexamero, dicit lucem hanc esse inenarrabilem. Videtur eandem describere B. Ioannes in sua Apo. cap. 21. cum sic loquitur. *Lumen eius simile Lapidi pretioso, tanquam lapidi Iaspidi, sicut crystallum.* Dicitur autem lumen eius simile *lapide pretioso* (siue vt Græci habent, pretiosissimo) quoniam mirabilem lucem, & fulgorem præstantiorem, & quauis luce gratiorem, emittet. Lux enim lapidis pretiosi est, & insolita & alijs gratior. Et ne quæreremus cui lapidi, addit *tanquam lapidi iaspidi.* Verùm quia iaspidum color non vnus est, sed varius, vt docet Plinius, lib.37.cap.8. vt hanc ambiguitaté tolleret Apostolus, adiecit *sicut crystallum*, vt significet hoc lumen non simile viridi iaspidi, aut purpureæ: sed illi, qui crystallum imitatur colore. Eleganter autem hoc dixit, splendor enim & fulgor maior est in iaspide, quàm crystallo: sed crystallum purissimum est, & maximè perlucidum. ostenditur ergo lumen cęli Empyrei esse magnum, & periucundum, & simul purissimum. 111.

Verùm si tanta eius lux, qui fit, vt sub aspectum nostrum non veniat? Alij alias huius causas assignant. Existimat Richardus, in 2. distinct. 2. q. 2. causam esse, quòd eiusmodi lux nostri aspectus vim excedat, nec, nisi cum oculis gloriosis, proportionem habeat. Sed cùm illa corporalis sit, cur non habebit aliquid proportionis cum nostro aspectu, vt ab eo vtcumque percipi valeat? cur si ad nos venit, non fugat sua præsentia noctis tenebras? 112.

Alij causam conferunt in orbem crystalliuum, inter nos atq; Cęlum Empyreum interiectum; quasi hic luminis traiectionem impediat. Nec hoc bene dicitur. Etenim orbis crystallinus pertenuis est, & perlucidus (inde enim nomen habet) quocirca transmissioné lucis nequaquam impediet. 113.

115. Alij nimiam huius Cæli à nobis distantiam censent impedire, cur minus videatur. Sed cum stellæ à nobis tanto interuallo videantur; non videretur à nobis tantę magnitudinis, corpus tanta claritate coruscans?

116. Sunt, qui dicunt Deum subtrahere suum generalem concursum, ne posit ad nos diffluere. At nulla necessitate vrgente excogitatur huiusmodi subtractio concursus Dei ordinarij.

117. Aliæ ergo huius duæ causæ dantur, quæ probabiliores videntur. Altera est, quod Cælum hoc quamuis sit lucidissimum interius, ex parte tamen exteriori, siue inferiori, quæ nos respicit, non fulgeat; nec ad nos lumen fundat; quod ex ea non sit diaphonum, sed densitate, quasi velo tectum, quemadmodum in fabrica Tabernaculi (vt exponit S. Thomas in 12.q.102.ar.4.) tertia pars, quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*, velo quodam occultabatur, ne aspiceretur. Alteram habet S. Thomas, in 2. dist. 2. q. 2. ar. 2. videlicet, ad lucendum siue eiaculandum splendorem, visumque terminandum requiri in corpore lucido compactionem, certamque densitatem; qua Cælum Empyreum caret: neutiquam verò hanc requiri, ad seruandam in se lucem: ideoque in se lumen continere, sub aspectum tamen nostrum illud non venire.

An aliquando finem habiturum est Cælum Empyreum.

118. Nunquam finem habiturum est hoc Cælum. quia nunquam desinet ille, cuius hoc Cælum, quasi regia. Nunquam desinent Angeli, illius Regni domestici. Nunquam Sancti, illius Regni ciues adscripti. Hoc pluribus probare non est necesse, quia iam superius demonstratum est, omnes Cælos in omnem æternitatem permansuros.

De duobus motibus contrarijs, quibus ad contraria beatorum & damnatorum loca, Cælum atque Infernum peruenitur.

119. Contraria pro contrarijs personis loca discussimus; sequitur, vt doceamus, quibus motibus ad illa perueniant damnati & beati. Dominus vno verbo tam horum, quam illorum indicauit, dicens, *Ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.*

120. Itus autem pedum vsum requirit. quocirca quis facilè in illam sententiā descēderet vt crederet beneficio & officio pedū, & iustos venire ad Cælum, & improbos ad Infernum. Sed quod officium

pedes

pedes habere possunt ex conualle Iosaphat ad Cælum Empyreum? quod ex eadem, ad Cor terræ, damnatorum domicilium?

Necesse ergo est, vt à propria vocis notione declinemus, & itus nomine intelligamus motum, qualiscumque tandem ille, & quocunque etiam nomine compellatur, quo ad deputata loca perueniunt damnati & beati. Quis igitur hic motus, siue qualis? principium dicamus de eo, quo ad Inferos peruenitur. 120.

Quo motu damnati peruenient ad suppliciorum locum.

Tribus modis intelligi potest, maledictos siue reprobos, postquam Domini sententiam audiuerint, ad Inferos suppliciorum locum peruenire. Vnus est, vt mox, à sententia lata, per Dæmones abripiantur in infernum. Alter, vt ipsi terram penetrent, & sic per se ad Inferos discendant. Tertius, vt terra os suum quasi aperiat ipsosque absorbeat. Quomodocunque autem perueniant, hoc certum est inuitos & coactos peruenire. Sed quo trium modo, quos citauimus? 121.

Pictores in Imagine extremi iudicij ita executionem dominicæ sententiæ mortalium oculis obijciunt, vt significent opera Dæmonum damnatos trudendos, rapiendos, vehendos portandos ad Inferos. Sed hoc, vt alia multa, licentiæ pictorum tribuendum. Quia enim in illa die, vna communis Domini sententia cadet in miseros homines, & infelices Dæmones; nec Dæmones rapient homines ad Inferos; nec homines Dæmones. Hoc Domini in maledictos sententia haud obscurè indicat. Ita enim hęc proferēda, Matth. 25. dicitur, *Discedite à me maledicti in ignē aeternum, qui paratus est Diabolo, & angelis eius.* 122.

Quocirca non eam, post illum diem, Dæmones in homines habebunt potestatem, quam iam habent. Iam & in hoc seculo molesti sunt, & in illo: & quidem vtrobique multis modis sunt molesti, vt norunt omnes: at postquam iudicium generale peractum erit, socij erunt pænarum: & quemadmodum non in terra vllo modo poterunt esse infesti; ita neque infra terram in pœnis & supplicijs erunt tortores. 123.

An igitur terram, à sententia lata, penetrabunt damnati, vt suo sint loco, quem meruerunt? Non penetrabunt. Non ea damnatorum corporum est vis, atque potestas; vt 124.

corpo-

corpora valeant penetrare. gloriosorum corporum hoc priuilegiũ est, quale nec habent, nec possunt habere damnatorum. Non negamus tamen, quin, si Deus ita velit, possit efficere, vt damnatorum quoque corpora terram penetrent, & ad sua loca festinent. Verũ m, quid opus miraculis, quando Deo rationes aliæ non desunt, quibus reprobos ad parata ipsis loca mittat?

125. Quæ verò illæ? Vna est facilimaque, vt à data Domini sententia, dicatur terram sub reproborum pedibus disrumpendam, & eius hiatu miseros mox absorbendos. Sic absumpti sunt, qui ad infernum dicuntur descendisse, Core, Dathan, & Abiron. Num. 16. cap. Sic reproborum Pater & princeps ad inferos descendit, secundùm illud, Lucæ 10. *Videbam Satanam sicut fulgur descendentem de cælo* Fortè & Beatissimus Ioannes, Apocal. 19 hoc significat, quando simili impetu dicit Babylonem, ciuitatem magnam, mittendam deorsum, quali *lapis molaris magnus mittitur in mare*. Quidquid sit, probabilis admodum est hæc sententia.

126. Alio igitur modo Animæ damnatorum ad Inferos descendunt, ante generale Dei iudicium: alio Corpora post iudicium. Non habent illæ opus hiatu terræ, vt eò perueniant; indigent tamen vectoribus aut impulsoribus Dæmonibus, qui & loca inferorum demõstrent, & inuitas eò pertrahant. Corporibus autem restitutæ, terram propter corpora penetrare nequibunt: ideoque hiatu opus habebunt, per quem vnà cum corporibus ad Inferos deuoluentur.

127. Sunt, qui hunc hiatum perpetuò relinquendum existimant, propter eos, qui ad Cælum assumentur, sanctos; vt, scilicet, hi iustam Dei erga impios vindictam cognoscant: idque videtur insinuare Lactantius, lib. 7. cap. 26. dum sic loquitur: *Omnis turba impiorum pro suis facinoribus in conspectu Angelorum atque Iustorum perpetuò igni cremabitur in æternum.* Verùm cùm ad gloriam beatorum nihil ille conferat; vitium quoque terræ, tunc videri possit; melius dicitur post absorptos impios claudendum. Atque hæc de motu impiorum.

Quo motu beati ad Regnum Patris, siue Cælum Empyreum peruenìant.

128. Proborum multo alius est motus: non solùm, quia ad contrarium est locum; Verùm etiam, quia cum summa voluptate peragetur, quemadmodum cum summa molestia atque animis prorsus inuitis, improborum. Quid mirum? Illi ad gaudia tendunt: hi ad supplicia nunquam finem habitura. & ad hæc potest esse animus? ad illa potest esse non animus?

129. Verùm Angelisne, an hominibus hic motus tribuendus? hoc est, Angeline

Angeline iustos ad Cælum Empyreum deuehent, an ipsi per se Cælum conscendent? Per se conscendent, dote agilitatis ornati, qua habent non solùm, vt progrediendo non fatigentur, secundùm illud, Isaiæ 40. *Ambulabunt & non deficient:* nec solùm, vt velocius solito, moueri possint, secundùm illud, Sap. 3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent:* Verùm etiam, vt vno impetu, quo volunt, se totos possint proripere; & motus ipsorum non beneficio pedum, sed voluntati mouentium tribuatur.

130. Angelorum tamen societate destituti non erunt, quemadmodum nec Christi. Quia qui in multis millibus Angelorum, & Sanctorum descendet de Cælo, Dominus; ille cum ijsdem rursus ascendet ad Cælum, magno triumpho. hoc solo reditus ad Cælum à descensu differet, quòd qui Sancti sine corporibus descenderunt, ijdem cum corporibus ascendent.

131. Sed si seipsis, absque Angelorum opera, Cælos ascendent Sancti, quid est, quod *obuiam* dicuntur *rapiendi Christo, in nubibus?* 1. Thess. 4. Raptus hic summam celeritatem significat, qua ad cælestia domicilia peruenient beati. *Tanta*, inquit S. Bernardus, *Serm.* 4. in festo Omnium Sancto. *futura est corporum agilitas beatorum, vt possint, si velint, absque omni mora, seu difficultate, ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem.* Quanquam & *rapi* dici possint, quia ad modum eorum, qui rapiuntur, se habenbunt, quando etiam per se supera loca petent.

132. Atque hæc duo admiranda sunt, in hoc beatorum ad Patris, ipsis paratum, Regnum, itinere & profectione; videlicet, quòd & per se superiora loca petent; & breuissimo tempore maxima spacia (plus quàm 75577155. miliaria) conficient. Tertium his accedet non minus admirandum; quòd Cælos quoque penetrabunt. Neque enim ipsis opus erit hiatu in intermedijs Cælis. quemadmodum Dominus, cùm Cælos, post completum humanæ redemptionis opus ascendit, ipsos penetrauit; ita penetrabunt Sancti, quando cum Christo post extremum iudicium, ad patriam suam tendent. Atque hoc dote habebunt subtilitatis: de quo superius.

De duplici mercede, quæ duobus hominum generibus in futura vita est danda.

133. Merces, quæ duobus hominum generibus, duobus distinctis locis tribuenda est, restat explicanda. Admodum diuersa est hæc, quemadmodum & diuersæ admodum personæ, & diuersa loca, & diuersa merita, quibus illa tribuitur. Nam *iusti*, inquit Dominus, Matth. 25. *ibunt in vitam æternam;* liberi videlicet ab igne æterno. *Male-*

DE GLORIOSA CHRISTI FILII DEI APPARITIONE THABORINA, SIVE IN MONTE THABOR.

INTRODVCTIO,

In Gloriosam Christi Apparitionem in monte Thabor.



GLoriosa Christi in mortali carne Apparitio, illa præcipuè fuit, quæ in monte Thabor, vt putatur, accidit. Hæc quémadmodum fuit admodum excellens; ita egregiè ab Euágelistis est descripta: & ab Apostolis repetita: & à Prophetis olim insinuata: & in veteri Testamento adumbrata: & à Sanctis Patribus prædicata: & ab Ecclesia Catholica, iã à multis annis magno cum animorum fructu celebrata. 1.

Euangelistæ, qui illam descripserunt, tres sunt; Matthæus, Marcus, Lucas. Primus Cap. 17. suæ Historiæ Euangelicæ: alter cap. 9. similiter cap. 9. tertius. Vnam ex omnibus narrationem colligit Iãsenius, cap. 67. suæ Concordantiæ. hanc, quia nobis in hac disputatione seruit, hîc fundamenti loco adscribimus. 2.

Ita se habet.

Factum est, post hæc verba, dies octo: & assumpsit Iesus Petrum & Iacobũ & Ioannem fratrem eius, & ascendit in montem, vt oraret: & ducit illos in montem excelsum seorsum, solos. Et facta est dum oraret, species vultus eius altera, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius, sicut Sol: & vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida nimis, velut nix: qualia fullo non potest super terram candida facere. Et ecce apparuerunt illis duo viri: erant autem Moyses & Elias: & erant loquentes cum Iesu: visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est cùm discederent ab illo, respondens Petrus dixit ad Iesum, Domine præceptor, bonum est nos hîc esse: & si vis, faciamus hîc tria tabernacula, Tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti. Hæc autem adhuc illo loquente, ecce facta est nubes lucida; & obumbrauit eos: & timuerunt intrantibus illis in nubem. Et ecce vox facta est de nube dicens, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et dum fieret vox, audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde:

Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq́, eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, & statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi solum Iesum secum, & inuentus est Iesus solus. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis Iesus, ne cuiquam, quod vidissent, narrarent; nisi cùm Filius hominis à mortuis resurrexerit, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. Et ipsi tacuerunt, & verbum continuerunt apud se, &c. Ita Euangelista.

Eandem Apparitionis disputationem carmine sequenti reddit Christianus Poeta Iuuencus lib.3. Historiæ Euangelicæ.

Hæc vbi dicta dedit, passus bis terna dierum
Lumina connexo terras transcurrere cælo,
Tum secum iubet abruptum conscendere montem,
Petrum Zebedeiq́, duos per deuia natos.
Inde vbi peruentum est secreti montis in arcem,
Continuò Christus faciem fulgore corusco
Mutatur, vestisq́, niuis candore nitescit.
Respiciunt comites, mediumq́, assistere sanctis
Eliæ Mosiq́, vident. Tum talia Petrus:
Respice num nobis potius discedere longè,
Anne istic tanta spectacula cernere molis,
Conueniat? trina attamen hîc tentoria vobis,
Si iubeas, frondis faciam diuersa paratu,
Singula sub noctem quæ vos aulæa recepte[n]t.
Talia dum loquitur, cælo præfulgida nubes
Circumiecta oculis, vestibat lumine montem,
Et vox è medio lucis manifesta cucurrit:
Vnicus hic meus est natus, mea summa voluptas,
Huius iustitiam iusto comprendite corde.
Discipuli pauido presserunt corpore terram,
Nec prius è prono vultus sustollere casu
Audebant, sancto Christi quàm dextera tactu,
Demulcens blandis firmasset pectora verbis:
Surgite, & abiectum fortes calcate timorem;
Gloriæ & huiusce expertes vos reddite cunctos:
Nec cuiquam præsens pandatur visio vobis,
Ni prius huc hominis soboles speciosa reportet,
In lucem referens mortis de sede trophæa.
Consurgunt, solumq́, vident.

3. Sæpius huius mentionem Apostolos fecisse, quando, vt diuinitus mandatum acceperunt, Christi verbum in vniuerso orbe prædicarunt,

dicarunt, dubium non est. Vnus verò Petrus eam singulariter prædicat in suis scriptis: *Non indoctas, inquit, fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi, virtutem & præscientiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum lapsa huiusmodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto* Ita cap. 1. Epist. 2.

Insinuarunt hanc si non alij; certè Regius Propheta Dauid, Psal. 88. & 103. & illo quidem, loci, vbi Apparitio accidit, felicitatem explicat, & hîc maiestatem splendoris, quem Dominus reddidit. Ibi sic loquitur: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*. hîc, *Confessionem*, inquit, *& decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*. Pro vtroque est Breuiarium Romanum. 4.

Adumbrasse eam videtur Moyses. Nam & huius, cùm in monte loqueretur, facta est facies splendida. Exod. 34. Et profectò, vt in alijs; ita hic in multis vmbra corpori respondet. Vtrobique legislator est præsens. vtrobique præsens populi dux & Saluator. vtrobiq; Propheta, quē necesse erat audire. vtrobiq; Dei vox auditur. vtrobiq; de reb⁹ grauissimis, atque ad animarū salutē necessarijs agitur. 5.

Patres, qui hanc prædicarunt sunt plurimi. Extant integræ orationes S. Leonis Magni, Ioannis Damasceni, Ephraim Syri, Cyrilli Alexandrini, Andreæ Episcopi Cretæ Hierosolymitani, Basilij Episcopi Seleuciæ, Origenis Chrysostomi, Augustini, &c. Nos quæ de eadem habet Prudentius, poeta Christianus, adscribimus. Eius hi sunt versus. 6.

Quicunq; Christum quæritis,
Oculos in altum tollite,
Illic licebit visere
Signū perennis gloriæ.
Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cælo & chao.

Hic ille Rex est gentium,
Populiq; Rex Iudaici,
Promissus Abrahæ Patri,
Eiusq; in æuum semini.
Hunc & Prophetis testibus,
Iisdemq; signatoribus,
Testatur & Pater iubet
Ipsum audire & credere.

Ecclesia quoque multis modis ipsam celebrauit: sed maximè institutione festi, quod sexto Augusti peragit, non solùm in Occidente, verùm etiam Oriente; quemadmodum constat tam ex eorum Menologio; quàm constitutione Emmanuelis Imperat. apud Theodor. Balsa. in Nomoc. Photij, Titul. 7. cap. 1. Nec noua est huius festi institutio. Temporibus Lotharij Imp. ante annos 850. celebratum est, sicuti insinuat VVandelbertus, apud Trithem. de viris Il- 7.

Iust.Ordinis S.Benedicti,lib.2. cap.36. Sed & prioribus peractum esse,colligitur ex orationibus,quas & Leontius Cypri Episcopus, & Ephrem,Syrus,alijq; de Christi Transfiguratione habuerunt.Quãta verò festum hoc pietate peragi voluerint ij, apud quos Christianæ Reipub. administratio resider,haud obscurè indicant peccatorum condonationes (Indulgentias dicimus) quas amplissimas ad eos voluerunt peruenire,qui festum piè religioseque celebrassent: vt in Calisto III.docet Platina:qui & officium Ecclesiasticum de eodẽ Catholicis tradidisse perhibetur. Vide Baron.*6. Aug.*in Martyro. Denique quod ad eius commendationem plurimum facit,Christus eandem *Regnum suum* vocat,Matth.*16.*cùm sic loquitur. *Sunt quidã de hîc stantibus,qui non gustabunt mortem ,donec videant filium hominis venientem in Regno suo.* Quod enim hoc *Regnum* aliud esse pôtest ? Sunt quidam,qui illud de vltimo Iudicio intelligunt:Sed quomodo aliqui,qui astabant,ad diem vsque vltimi Iudicij viuent? *S.* Ioannem illi afferunt,quem credunt mortuum non esse;sed Ioannes hanc de se opinionem conceptam videtur refutare,cap.*21.*cùm inquit, *Non dixit ei Iesus,non moritur.* Alij de tempore illo,quod fuit post Christi resurrectionem,interpretantur;id enim, quia tunc gloriosus vixit, Regnum eius solet vocari, vt patet Matth. *26. Bibam in Regno Patris.* Sed illud Dominus non *suum*,sed *Patris* Regnum appellat. Deinde, si hoc Dominus intellexisset,nihil diceret. Quid enim magni erat nonnullos ex Discipulis suis morituros non esse;prius,quàm ipsum resurgentem viderent,cùm nõ nonnulli, sed omnes viderint?Hoc autem loco,cùm dicit,*Sunt quidam de hîc stantibus* , minimè obscurè significat,non omnes discipulos,sed paucos tantùm & electos,eosq; singulari priuilegio *Regnum illud suum,* de quo loquebatur,prius quã morerentur, visuros esse. Regnum ergo suum transfigurationem intelligit;quam non omnes;sed solus Petrus,Iacobus & Ioannes,antequam morerentur videre meruerunt. Atque hanc Christi *Regnum* dici docent Origenes Tract.3.in Matth.Hilarius, Can. *16.* Chrysostomus,Hieronymus,Beda,Theophilactus & Euthymius, in Commentarijs:Ambrosius,in cap.*9.Lucæ*: Augustinus, in cap. 2. Epist.ad Gal. Vocat autem Dominus transfigurationem *Regnum suum*: non quia propriè Regnum,sed quia futuri Regni imago erat.

8. Porrò quamuis præcipuè Christi apparentis hîc ratio habenda esset,non tamen prætereunda sunt,quorum in hac Apparitione Euangelistæ meminerunt;vtpote quæ eandem haud parum illustrãt. Horum autem quædam præcesserunt Apparitionem : quædam secuta sunt:quædam cum eadem fuerunt coniuncta:quædam deniq;

ipsius

ipsius sunt circumstantiæ. Quinque ergo Capitum explicatione Apparitio Thaborina innotescet: quorum primum Christum in maiestate offeret.

CAPVT PRIMVM.

Explicatur ipsamet Apparitio Christi, in monte Thaborino facta: & ostenditur,

Describitur Christi Apparitio Thaborina his verbis: *Et trãsfiguratus est ante eos: & resplenduit facies eius sicut Sol: & vestimenta eius facta sunt splendẽtia, & candida nimis, velut nix: qualia fullo non potest super terram candida facere.* 1.

Hic

2. Hic, quòd *transfiguratus* Dominus dicitur, pulchrè, doctè, & paucis verbis explicat B. Hieronymus. *Quod dicit*, inquit, *transfiguratus est ante eos, nemo putet pristinam eum formam, vel amisisse corporis veritatē, & assumpsisse corpus, vel aëreū, vel spirituale: sed quo modo transformatus sit, Euangelista demonstrat, dicens, Et resplenduit facies eius. Vbi splendor faciei ostenditur, & candor describitur vestium; non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Transformatio splendorem addit, faciem non subtraxit.* Ita B. Hieronymus. In eandem sententiam loquitur Euthymius, cap. 34. in Matth. *Transformatus*, inquit, *est corpore quidem in propria figura manente: diuino verò splendore modicum quiddam in eo detegente, ac faciem illustrante, speciemq; eius* ad maiorem Dei similitudinem immutante.

3. Quocirca duo hîc errores cauendi. Vnus eorum, qui Christi corporis substantiæ hîc mutationem intelligunt factam, & ex terrestri volunt factum aereum aut spiritale. Alter eorum qui quamuis in substantia nulla concedant factam transmutationem; externam tamen figuram in aliam credunt mutatam esse. Vtrique errant. Mansit in hac Transfiguratione omnino idem, qui fuit Christus. præterea, eadem omnino, quæ fuit, permansit exterior Christi forma. hæc solùm nouo lumine est illustratata; vt dicetur.

4. Hinc est, quòd quidam hoc loco reprehensione dignos censeant Caluinum, in Harmon. & Bezam, in Matth. dum, vbi nos *Trāsfiguratum* Dominum legimus in vulgata editione; illi vertunt, & legunt *transformatum*. Censent enim illud *transformari* periculosam ambiguitatem includere, & suspitionem de corporis Christi externa mutatione suggerere. Nec debuit ipsos mouere Græca dictio, μεταμορφῶσαι; quoniam non minus illa *transfigurationem* significat, quàm *transformationem*. Nec minus illa, quàm hæc, apud Latinos Scriptores recepta est. Maldonatus in 17. Matth. Et hoc quidem de Verbo *transfigurationis*.

5. Plures difficultates habet, quòd, *facies Domini* dicatur *resplenduisse, vt sol; & vestimenta candida facta, vt nix.* Nam & de *splendore* queri possunt plura, & de albedine, siue *candore vestium*. De priori, Vtrū hîc fuerit splendor aliquis, siue claritas extra oculos videntium; an imaginatione facta & perfecta sunt omnia. Item, si fuit extra imaginationē, an Christi corpori verè inhæserit. Præterea, vtrum in sola Christi facie fuerit, an quoque in reliquo corpore; pedibus, manibus &c. Rursum, vtrum in superficie tantum resederit, an corpus peruaserit. Deinde, an semper Christo adfuerit, an verò in Transfiguratio-

figuratione primùm accesserit, eundemque post transfiguratione reliquerit. An fuerit naturalis, an contra, prodigiosus & miraculosus. Quantus item hic splendor fuerit. An excesserit splendorem solis, aut accesserit. An eiusdem rationis cum splendore beatorum, qui cum Christo aliquando, in assumptis corporibus, in Cælis, regnabũt: an eiusdẽ rationis cum claritate solis: corporis item Moysis atque Angelorum, quorum in resurrectione Christi aspectus dicitur fuisse, *sicut fulgur*, Matth. 28. Præterea, quæ causa efficiens huius fulgoris, quæ item & quanta agendi vis eius, &c. Hæc explicanda omnia de splendore faciei Christi. De candore vestimentorũ sunt pauciora dicenda. A splendore ergo atque claritate initium sumamus.

An fuerit imaginarius tantùm; an verus splendor; & extra Apostolorum oculos, qui in Christi transfiguratione visus est.

Fuerunt, qui nullam claritatem in Christi corpore fuisse contẽdunt; sed faciem eius dici *resplenduisse*, idcirco; quia resplenduisse visa sit Apostolis: idque vel opinione ipsorum, quasi imaginaria visione hîc perfecta sint omnia: vel illusione; quasi in solis intuentium oculis omnis fuerit Apparitionis maiestas, & extra oculos nulla. Verùm quoniam disertis Euangelistarum verbis hi contradicunt, pluribus refutandi nõ sunt. Dubium nullum est, quin externa quædam claritas fuerit, quæ Apostolorum oculos perstrinxerit, vbicũque etiam illa fuit. 6.

An splendor fuerit in Christi corpore, an circa eiusdem corpus, in vicino aliquo.

Fuit verò non in extrinseco, & Christum circumstante corpore, quod radios suos in Domini faciem trãsfuderit: quomodo quibusdam rebus solet splendor afferri, quando solis radij in vicino corpore excepti, in illas reflectuntur. Quod, quæso, hoc corpus fuisse dicemus? Certè præter Christum, Moysen atque Eliam, nihil hic, nisi nubem aeremque obseruamus, radij verò solis in hos, fortè, cõiecti, Christi corpus tanto, quanto resplenduit, fulgore nequaquam afficere potuerunt. In Christi igitur corpore splendor fuit. Ipse transfiguratus dicitur: ipsius *facies, vt Sol, resplenduisse.* Et qui vestes penetrauit splendor, non prius in corpus Christi, deinde in vestes fuisset transfusus, si extrinsecus allatus fuisset; sed per vestes ad corpus peruenisset. Colligunt etiam quidam hoc ex illo, quod Dominus paulò ante de gloria Regni sui locutus sit; at gloria Regni, qua beatorum corpora afficientur, non extra, sed in ipsis gloriosis corporibus residebit. 7.

An totum Christi corpus, an facies sola splenduerit.

8. Splenduit autem non tantùm Christi facies, vt vult Tostatus, q. 47. in 17. Matth. splenduit totum corpus, quamuis corporis splendor obiectu vestium sit fractus. Cur faciem, præ reliquo corpore, splendere voluisset Dominus? quin verò ipse candor vestium corporis splendorem prodidit, omnino ille ex hoc deriuatus creditur, & quia oppositis vestimentis, quasi frangebatur; quantus in facie videbatur, in vestimentis deprehendi nequiuit. Fortè ob hunc totius corporis splendorem non meminit *faciei* S. Marcus, sed simpliciter Dominum dicit *transfiguratum*; & mox ad albedinem transit vestimentorum. Quidquid sit, vt Neotericos prætereamus, hæc B. Hieronymi videtur esse sententia, Epist. 61. ad Pammachium, vbi sic loquitur; *Dominus noster in monte transfiguratus est in gloria: non vt manus ac pedes, cæteraq; membra perderet; & subitò in rotunditate, vel solis, vel sphæra volueretur; sed eadem membra solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos perstringerēt. Vnde & vestimenta eius mutata sunt in candorem, non in aërē: ne fortè & vestes eius asseras spiritales. Et facies ei*, inquit, *fulgebat vt sol. Vbi autē facies nominatur, existimo quod & cætera mēbra cōspecta sint.* Ita Hier.

An splendor fuerit tantùm in superficie Corporis Christi.

9. Vtrum verò in superficie externa carnis Christi hic splendor tātùm fuit? an totū quoq; corpus penetrauit? eo, videlicet, modo, quo ignis ignitū carbonem, calor corpus calidum? Nō erroris arguerim, qui id astruxerint. Et de corporibus gloriosis, post extremū Iudicij diem, id libenter admittimus, cum grauissimis Theologis: verùm, cur id de Christi corpore passibili, in hac Trāsfiguratione fateri debeamus, quæ nos cogat, vix vlla vrgens est ratio. Ad id, quod Domino propositum fuit, in hac Transfiguratione, tam potuit sufficere sola, quæ in superficie tantùm fuit, claritas; quam quæ totum corpus penetrasset. Quid si hoc insinuare voluit Euangelista, quando *transfiguratum* dixit Dominum? Neque enim clam est *figuram* terminum tantùm esse, & extremam quantitatis qualitatem.

Quando Christi corpus splendere cœperit.

10. Incœpit hic splendor carni Christi inesse, quando transfiguratus est. Errant, & quidem grauiter, qui semper affuisse credūt; quamuis non semper visum, sed, vt plurimum, humanis oculis subtractū. Ita quidē se res habuit in Christo, post gloriosam ipsius Resurrectionē, vt splendor hominum oculis fuerit subtractus, quemadmodum B. Augustinus docet, 22. de Ciuit. Dei, cap. 19. verū longè aliter ante Resurrectionem; quando necesse fuit ipsum languores nostros, in carne mortali & infirma portare; quemadmodū & verè portauit, Isaiæ. 53. Iam non claritatem, quam habuit & abscondit, ostendit: sed as-

sumpsit,& ostendit,quam non habuit.

Quocirca,quod Damascenus,Oratione de Domini Trāsfiguratione,dicit *carnē Christi gloriam obtinuisse, simulatq; ex nihilo in ortu producta est*: Rursus *transfiguratum esse Christū;non quod non erat assumendo; neq; in id,quod non erat migrādo;verùm id quod erat,Discipulis declarādo;eorū nimirū oculos aperiens*, &c.non significat claritatē & splendorē semper corpori affuisse;sed nunquam ipsi hypostaticā vnionē defuisse. hanc verò vnionis hypostaticæ gloriā, propter carnis passibilitatē fuisse occultatā;& in Transfiguratione esse manifestatam,non in se, sed per radios gloriosæ claritatis ab illa manantes. 11.

Quando desijt splendere corpus Christi.

Transfiguratione absoluta,carnē Christi claritas reliquit.Quàm enim infirmitatib9 Christi caro subiecta fuit, antequā hac claritate choruscaret:tā fuit,postquā choruscauit.quocirca quēadmodū tum claritate alijsq; beati corporis dotibus instructa non fuit,ita neque fuit post Transfigurationem. 12.

Et in Transfiguratione ipsa,Christi caro mortalium infirmitatibus subiecta fuit,dicet aliquis.Ita est.Prorsus,vt ante,& post; ita in ipsa quoq; Transfiguratione fuit subiecta. Ergo,& ante eadē claritate fuerit prædita atq; post,nō minus quàm in ipsa. Videtur id minimè sequi:quia claritas,qua Christi corp9 in Trāsfiguratione fuit perfusum, non naturalis tū ipsi fuit;sed prodigiosa atq; miraculosa. 13.

An splendor & claritas Christo fuerit naturalis,an præter naturam.

Prodigiosa dico fuit,& præter naturam illius carnis,& corporis: quāuis etiā dū lumine hoc perfunderetur,ipsa Christi anima nō minus beata fuerit, quàm aut statim,post gloriosam à mortuis Resurrectionē;aut modò, quando ipse ad dextram Patris in cælis residet in summa gloria atque maiestate. 14.

Atque vt tunc diuina dispensatione factum est,vt infirma,atq; & mortalis caro splenderet;ita diuina dispēsatione impeditum est, ne ipsa splenderet post resurrectionem à mortuis. vtrobique miraculum agnoscimus.Non minus prodigiosum fuit carnem Christi non splendere,quando à mortuis resurrexit:quàm splendere,antequam mortem,pro hominum salute sustinuit. 15.

Rationem huius diuersitatis Tostatus, q.31.in 17. caput Matth. ex animæ Christi conditione colligit.*Post Resurrectionem illa*, inquit, *duplici modo fuit impatibilis, videlicet:& quantum ad partem rationalem qua nō corpori alligata;& quantū ad vim sentiēdi,atq; vegetādi qua corpori, adhæret atque affixa est:ideoq; dotiū,qua corporum sunt gloriosorum,tunc capax fuit natura sua. At verò ante Resurrectionem, si quoad priorem partem* 16.

 fuit

fuit impatibilis, certè quoad posteriorem non minùs, quam miseri mortales, corporalibus molestijs fuit exposita. Quocirca dotium, quæ corporum sunt gloriosorum, minimè fuit capax.

17. Ex dictis colligitur facilè, qua ratione hæc claritas in Christo prodigiosa & miraculosa tunc fuisse dici debeat. Miraculosa fuit, & ratione status Christi, & ratione formæ, siue ipsius claritatis. Christus in statu erat mortali & fragili; claritas per se immortali atque impatibili conuenit. Rursus, Modus ipsius postulat; vt sit constans & permanens; in Christo verò fuit permodum transeuntis qualitatis, & leuiter, quasi, subiectum afficientis. His adde (quod ad miraculum etiam facit) quod sit data sine alijs gloriosi corporis dotibus.

18. Et quia per modum formæ transeuntis non autem permanentis in Christi carne fuit: hinc est vt quamuis tum in Christi corpore fuerit claritas gloriæ, corpus tamē eius non debeat dici gloriosum. Gloriosa corpora non facilè dixeris, nisi in quibus dotes, quæ beatorum corpora sequuntur, per modum qualitatum permanentium inhærent. Atque hoc est, quod in Qualitatis Categoria docuit Aristoteles, quando à *passionibus* negauit denominari subiecta.

19. Longè igitur aliter se habebit claritas in corporibus Sanctorum, qui in cælis, cum Christo, regnabunt, quàm fuit in corpore Christi. Non illa prodigiosa erit: nō per modum passionis inhærebit. Aderit & inerit corporibus Sanctorum, veluti constans & permanens qualitas. Et non solùm claritas erit gloriæ: sed quoque efficiet, vt Sanctorum corpora & verè sint, & verè dicantur gloriosa; non minus quàm Christi, à gloriosa Resurrectione, gloriosum fuit.

An magnus splendor in Christi corpore fuerit.

20. Porrò magnus admodum fuit hic splendor: magna hæc corporis Christi claritas. Patet hoc tum ex eo, quod solis splēdori confertur, cum quo non nisi quæ clarissima sunt, conferuntur: tum, quòd ille etiam Domini vestes illustrarit & penetrarit. Et conueniens profectò fuit vt non minor esset, quàm aut Sanctorum, in cælo cum Christo Regnantium erit; aut fuerit Moysis, quando à Domini conspectu dicitur redijsse cornutus. horum verò splendor non paruus aut erit, aut fuit. De Sanctis sic loquitur Laurentius Iustinianus, lib. de disciplina & perfectione monasticæ conuersationis, cap. 23. *Nimia claritate*, inquit, *fulgebit corpus gloriosum, ita vt solis septies trāscendat splendorem.* De Moyse docet Apostolus. 2. Corinth. 3. quod *non potuerint filij Israël intendere in faciem eius propter gloriam vultus eius.* Et ipse

ipse Moyses, si quando volebat loqui populo, *ponebat velamen super faciem suam*, vt dicitur, Exod. 34. quòd alioquin *eandem non ridissent filij Israël.*

An maior splendore solis.

Quantus verò fuit hic splendor? An solis maior? Omnino id sentit de Sanctis iam citatus Iustinianus. quis dubitabit de Christo? Sed diserta est hæc B. Augustini sententia, lib. 3. de Mirab. sacræ Scripturæ, cap. 10. quod solari fuerit splendidior. 21.

Neque huic assertioni aduersatur, quòd facies Christi dicatur resplenduisse *sicut sol*; quasi Euangelista insinuarit splendorem Christi inferiorem fuisse, quemadmodum inferiora semper sunt, quæ cum præstantissimis rebus comparantur. Soli enim confertur; non quia sole hic splendor inferior; sed quia nullus in rerum natura alius inueniebatur, cum quo posset comparari. Similem ob causam splendorem corporum iustorum cum solis confert Propheta Daniel, cap. 12. quamuis ex sententia Laurētij Iustiniani illorum sexties sit solis superaturus. 22.

An claritas & splendor hic eiusdem sit rationis cum illa quam Sancti habituri in cælo.

Eiusdem rationis hæc carnis Christi claritas fuit cum claritate corporum Sanctorum: & cum claritate gloriosa corporis Christi iam gloriosi Argumento esse possunt, quòd speciem quandam, atque ideam corporum olim in cęlo gloriosorum Dominus hîc dederit: & quòd beatitudinem animæ Christi videatur esse secuta, sicut & illa gloriosorum corporum animæ fælicitatem sequetur. Quòd verò illa corpora penetrabit, hęc in superficie resederit: rursus, quòd illa constans sit futura, & diuturna; hæc ad breue tempus durauerit accidentarium est, & ad rem parum facit. 23.

An eiusdem rationis cum claritate solis.

A solis verò claritate multum discrepat. Prorsus alterius est rationis. Hæc ordinis est supernaturalis: illa naturalis, quocirca & alterius ordinis est à quacunque, quæ in naturalibus rebus inuenitur qualitate: siue harum claritas eiusdem sit rationis cum claritate solis, siue alterius. Hoc Scriptura insinuat Apocalip. 21. vbi, cum cælestem beatitudinem describit Sanctissimus Ioannes, hanc beatorum corporum claritatem à solis distinguit. *Ciuitas illa*, inquit, *neque eget sole, neque luna, vt luceat in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus.* Insinuat & ad Philip. 3. Doctor gentium Paulus, quando claritatem, qua perfundendi in cælo sunt iusti, comparat, non cum claritate solis, sed corporis Christi. *Reformabit*, inquit, *Christus*, 24.

stus, corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ: suæ, non solis.

An eiusdem rationis cum claritate, qua resplenduit Angelus, testis Resurrectionis Christi.

25. Sic & alterius fuit rationis à claritate, qua Angelus resplenduisse dicitur post Christi resurrectionem; de quo sic Matthæus Euangelista, cap. 28. *Erat aspectus eius, sicut fulgur*, quoniam quæ fictis Angelis, vt ita dicam, vel fictis Angelorum corporibus claritas inesse obseruabatur, non ex dotibus erat corporum glorificatorum; aut Angelorum beatitudinem sequebatur, vt dotes felicitatem animæ; sed corporum assumptorum variam constitutionem & temperamentum, &c.

An eiusdem rationis cum claritate, qua resplenduit facies Moysis.

26. An quoque alterius fuit rationis à claritate, qua facies Moysis resplenduit, quando à Domini conspectu rediјt, cum legis tabulis? Verisimile admodum est fuisse. Neque enim, qui Deo fruitus in monte fuit, Moyses, diuinæ vision is, in qua felicitas consistit, factus fuerat particeps; aut certè, si fuit, quando radijs choruscans populo videbatur, diuina adhuc, secundùm animam, visione perfruebatur, vt ob id ex animę felicitate claritas hæc in faciem redundare potuerit. Itaque naturalis ordinis erat claritas, qua rutilabat Moyses; supernaturalis, qua rutilabat Christus. Cuius & illud haud exiguum iudicium; quod claritatem vultus Moysis non ferrent Iudæi, vt patet Exod. 34. claritatem vultus Christi ferrent Apostoli. & Iudæorum oculi fuissent læsi intuitu Moysis; Apostolorum, intuitu Christi recreati. Ita bene Tostatus, q. 33. in cap. 17. Matthæi. Quanquam & alijs rationibus claritas Moysis à Christi differebat. Moyses tantùm habuit claritatem faciei, eamque talem, quæ velamine apposito faciei non transparuit: Christus verò in toto corpore tantam habuit, vt ea transparente, vestimenta eius viderentur esse candida, sicut nix.

Quæ causa efficiens claritatis Domini.

27. Causam etiam prodigiosæ claritatis, & fulgoris, qui in Transfiguratione Domini est obseruatus, inquiramus. Et causam, non finalem, de qua postea, sed efficientem. Quę igitur illa? duplex assignari solet. Altera est Christo communis cum omnibus Sanctis, qui gloriosis aliquando corporibus cælestem curiam ornabunt. altera est illi propria, &, præter ipsum, nemini competit. Illa est gloria animæ: hæc vnio hypostatica. Nam & à gloria animæ, & à diuinitate corpori coniuncta claritas hæc, & splendor in animã dicitur redundasse. Prioris meminit B. Augustinus, Epist. 56. ad Dioscorum: posterio-

sterioris,cum priori Damascenus,Oratione de Domini transfiguratione.Ita sentiunt,& loquuntur doctiores.

Verùm difficultatem habet, quonam modo ipsa animæ beatitudo in corpus redundare dici rectè posit. Quid enim est in beata anima,quod claritatis huius sit efficiens causa?An forsitan *lumē gloriæ*,(quod vocamus,) qua diuinæ visionis anima fit particeps? an ipsa beata visio?an quid tertium,præter hæc?Tertium, præter hæc, nullum datur.duobus verò illis vis hæc claritatem producendi tribui non debet.Non lumini;quoniam qualitas spiritalis est, quæ ex sua natura tantùm eius operationis est principium, in qua felicitas consistit,principium,inquam,beatę visionis,non gloriosi corporis. Nec visioni beatæ,quoniam illa,actio est immanens, & ex se nō habet,vt à facultate, in qua residet,aut ipsa discedat,aut aliquid sui aliô transmittat. 28.

Simili ratione intelligi nequit, quomodo ex diuinitate claritas ad Christi corpus redundet. Si enim consideretur diuina persona, quatenus subsistentia est,vnita illi corpori, vt sic,non est principiū alicuius Physicæ actionis *ad extra*,vt loquimur in scholis.Principiū actionis ad extra est,quatenus voluntatem habet, & omnipotentiā, cùm Patre,atque Spiritu sancto communem. Quocirca,non ab illa,vt corpori vnita,claritas hæc ad corporum deriuatur, nec quod Physicè deriuetur dici debet. 29.

Hæc cùm ita sint,quòd vel ab anima beata,vel à diuinitate claritas hæc deriuari dicitur, non intelligendum censeo de propria, ac physica dimanatione.Dicetur potius deriuari secundùm quandam rationem debiti,fundatam vel in merito,vel in cōnaturali proportione inter animam,& corpus: inter beatitudinē animæ, & beatitudinem corporis:inter diuinitatem & corpus,cui illa coniuncta est, vt ob id ita ad vtrumque gloria hæc se habere dici posit, quemadmodum gratia habitualis,aliaque Spiritus sancti dona , ad gratiam habent vnionis hypostaticæ:quæ ab illa dimanari dicūtur;nō,quòd hæc physicè ipsa producat;sed quia omnino conuenit , vt illam sequantur,& cum illa sint coniuncta. 30.

Ex quo inferimus propriam physicamque effectricem causam esse illum ipsum,qui & felicitatis animæ est causa,& vnionis hypostaticæ,Deū,scilicet,Opt.Max.Et rectè. Cùm enim claritas hæc veluti passio quædam sit,atq; proprietas:quemadmodū illos passionū atq; proprietatū causas propriè dicimus,à quibus ipsa sunt passionū atq; proprietatū subiecta;ita claritatis atq; splendoris huius illam,à qua & felicitas ad animā deriuatur, & ad corpus vnio hypostatica, quam Deum Opt.Max.profitemur. 31.

Atq;

32. Atque hæc intelligenda sunt de emanatione cõnaturali; per propriam & connaturalem actionem. Nam si sit sermo de actione instrumẽtaria, facilè intelligitur etiam animã Christi habere vim ad efficiendam gloriam in suo corpore: sed tamen hanc vim non habet propter beatitudinem suam. nec solum per illam; sed propter vnionem ad verbum, & per suam substantiam, vel voluntatem, vel per visionem, si voluerit. Sed hæc ad scholas pertinent.

Quæ & quanta vis claritatis & splendoris Christi fuerit, & ad quæ se diffuderit.

33 Vnum restat definiamus, quæ, & quanta fuerit vis agendi huius splendoris. Plura verò hic in quæstionem vocantur. Vtrum, videlicet, splendor hic in Christum egerit: egerit in nubem: in præsentes Christi collocutores, Moysen & Eliam: in Apostolos. Et de Christo dubitatur, an ipsum aliqua affecerit molestia: de nube an hoc splendore, & luce claruerit: de Apostolis, an ipsorum oculos perstrinxerit, vt solis radij solent oculos intuentium.

34. Christum igitur, siue Christi corpus nulla molestia splendor hic claritasque affecit: non quod Christi corpus tam à molestijs, quæ extrinsecus solent afferri, esset liberum: (verè infirmitatibus & miserijs huius vitæ subiacebat:) nec, quod illa tum ipsi esset naturalis; (erat propter naturam, & prodigiosa:) sed quia ea huius claritatis est ratio, vt subiecta, quibus aduenit, perficiat; non destruat, non dissoluat.

35. In præsentes collocutores se transfudit. vt Moyses ex Domini præsentia splendorem in vultu contraxit (quemadmodum Exod. 34. dicitur) ita claritas splendoris Christi deriuata est in Christi præsentes collocutores. Sed tamen hoc differre videtur splendor Moysis à præsenti collocutorum Christi, quod ille in Moyse fuerit diuturnior, idque propter duram Iudæorũ gentem, quam hoc Moysis Dominus voluerit terreri; hic non ita fuerit diuturnus, & statim Domini collocutores reliquerit, quàm primùm ipsi Dominum reliquerunt.

36. Transfudit etiam se in nubem, vt censet Caietanus, quæ præsentes Christo inuoluit. Et hæc lux putatur intelligi, qua *nubes luxisse* dicitur, ab Euangelista Matthæo, cap. 17. Quid enim opus aliunde adsciscamus claritatem pro nube, cum ad illam illuminandam hæc Christi potuit sufficere? & præterea ad maiestatem claritatis Christi facit, quòd non Christum solum, sed & nubem, & præsentes collocutores illustrarit.

37. An & ad Apostolos deriuata sit difficiliùs dicitur; propterea, quòd

quòd remotiores illi à Domino fuisse videntur. Hoc certum quòd conspexerunt splendorem, atque claritatem: & quantus quantus in Domino fuit, conspexerunt: & oculis corporeis conspexerunt: & conspexerunt nullo opposito velamine, vt pictores quidam volũt. An etiam cum oculorum aliqua læsione? Nulla prorsus. Alia illius splendoris (quemadmodum & gloriosorum corporum) conditio est, alia solis. De illo loquens Laurentius Iustinianus. *Non lumine suo*, inquit, *se intuentium reuerberabit aspectum, sed ineffabili quodam modo cõfortabit, clarificabitq;.* Ita Laurentius, lib. de disciplina & perfect. monast. conuers. cap. 23.

De vestimentorum Christi candore.

Et hactenus de splendore vultus Domini. De cãdore vestium sic 38. Matthæus, cap. 17. *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Lucas autem, *Et vestitus eius*, inquit, *factus est albus, & refulgens.* At Marcus paulò clarius, cap. 9. *Et vestimenta eius*, inquit, *facta sunt splendentia & candida nimis, velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Hic quamuis non ita multa; aliqua tamen vtiliter quæruntur: quid, videlicet, nomine *vestimentorum* intelligatur: &, vtrum vnũ aliquod an omnia fuerint candida atque splendentia: quis item candor, qui in vestibus apparuit: & quantus ille, præterea, vnde ad vestes deuenerit: quando item in vestibus esse incæperit, atque esse desierit.

An omnes Christi vestes canduerint.

Sunt qui nomine *Vestimentorum* vnam tantùm Christi vestem intelligunt; & quidem externam illam, quę in oculos intuentiũ Christum incurrebat. tum, quod non nisi duas vestes Dominus habuisse dicatur, tunicam, videlicet, inconsutilem, & vestimentum, quod in quatuor partes diuiserunt milites, idque hic intelligi, non tunicam inconsutilem dicunt nomen insinuare: tum etiam, quod splendor & candor, qui in Christi veste est obseruatus, non nisi in extrema veste potuerit obseruari; non alia, quæ sub hac fortè latebat. His si obijcias pluralem numerum *vestimentorum*, (quo plures canduisse significatur,) respondent pluralem pro singulari positum, communi Scripturæ phrasi. Verùm quidquid sit de verborum Enalloge, nomine *vestimentorum* non vnam illam extremam, in quatuor partes diuisam hîc accipi, omnino credi debet, (quamuis credi velit Tostatus, q. 48. in 17. Matthæi) maximè si à corpore, vt dicemus, ad extremam vestem splendor Transfigurationis est deriuatus. Extrema vestis ab extremo corpore illustrari non potuit, nisi & inter media fuit illustrata. 39.

Nec est, quod extrema vestis dicatur potuisse tantùm in videntiũ 40.

Oo oculos

oculos incurrere.quia etsi illa,maxima sui parte incurrerit,alias tamen, secundum aliquid sui,potuisse incurrere non abest à vero simili. quia, scilicet,præ illa,extare potuerunt.Sed nec nesse est, vt incurrerint in oculos, si splenduisse debent credi.quoniam eo ipso splenduisse dici debet,quod splendor à corpore sit diffusus in extremam per medias.

41. Splenduerunt igitur, ad minimum,vestes duæ:exterior,quæ totum corpus tegebat;atque in oculos primum incurrebat: & inconsutilis illa,quæ,vt Euthymius notat, à Matre creditur facta,& cum Domini corpore creuisse. An splenduerunt quoque aliæ? Solutio huius,aliud supponit:videlicet,Dominum,præter has,alias habuisse.Et profectò si habuit(vt habuisse est admodum verisimile) non dubium, quin & illæ eandem ob causam, quam priores, splenduerint,& canduerint.

Quis candor fuerit in vestimentis Domini.

42. Sed quis candor,qui in vestibus?Quidam albedinem, verùm colorem intelligunt,propterea;quod vestimenta dicuntur facta candida,& conferantur cum niue albissima.& horum ij,qui Christi vèstes volunt fuisse per se albas,dicunt priorem albedinem accessione nouæ,in Transfiguratione,factam intensiorem:alij,quia non albas fuisse contendunt, innatum colorem; qualis,qualis ille fuit,radijs externi luminis ita illustratum asserunt,vt albus apparuerit; quemadmodum & nigerrimus simili illustratione splendet; & quasi à se ipso degenerat. Verùm quidquid sit de colore vestium Christi;non color propriè;sed splendor fuisse dicendus est, à quo & vestimenta candentia, & vt nix candentia; & ita candentia,qualia fullo non potest facere super terram,fuisse leguntur.

43. Magnum pro hac re argumentum præbent Euangelistæ. Nam quæ *candida* dicunt;eadem vocant *splendida*. Et nos quæ insigni claritate splendent,*candida* solemus dicere:quamuis reuera candida, & alba non sint.Et quod noster Interpres vertit quod *candida* fuerint, *vt nix*,græcus textus habet,quod *splendida* fuerint,*vt lux*.

44. Et rectè hoc dicitur, si in vestimenta à corpore splendor deriuatus est. Magnus enim splendor (vt est solis,& fuit ille,quo Christi corpus claruit)si per obscurum corpus,quale sunt vestes, percipiatur,non tam rutilans fulgor;quam albicans candor apparet; quòd obiectu inter medij corporis radij eius frangantur, & quasi debilitentur.

Quantus fuerit candor in vestimentis Christi.

45. Ingens autã hic fuit in Christi vestimentis splendor.Euangelistæ hoc

hoc duplici cōparatione insinuant. Nam & niui, siue luci illū conferunt; & negant fieri posse vlla fullonis arte, vt æqualis illi reddatur. Inde quoque hoc manifestum est; quod cum lumen maius minus soleat obscurare, summus in Christi corpore splendor, hunc, qui in vestimentis fuit, non obscurarit.

Veruntamen quamuis excellens fuit, non tamen fuit tantus, 46.
quantus ille, quo Christi facies, adeoque totum corpus radiabat. Nec mirum. Vnaquæque res præstantior est in suo proprio principio, quam alijs: calor maior in igne, quam aqua, quæ beneficio ignis calorem habet. Cùm igitur splendor vestimentorum à corporis claritate sit deriuatus, illustrior vtrique in corpore, quàm vestimẽtis fuerit.

Vnde candor ad vestimenta.

Fortè dubitatur, vtrum à corpore ad vestimenta sit diriuatus. 47.
Dubitatur ab aliquibus: ab aliquibus etiam contrariū astruitur. Verùm nos ad sententiam accedimus B. Augustini, atque Euthymij Augustinus, lib. 3. de Mirab. Scrip. cap. 10. sic loquitur; *fortè vt per carnem diuinitas foris illuxit, sic & caro illuminata, per vestimenta radiabat.* Euthymij sunt sequentia verba, *Vestimenta eius facta sunt candida; diffuso etiam in illa splendore.*

Ex quo facilè colligitur, nō eadem ratione in vestimentis, atque 48.
Christi corpore splendorem fuisse. Corpori fuit intrinsecus: vestimentis extrinsecus; eo propemodum modo, quo solis radij in corpore, quod cadunt. Et corpori Christi sua natura conueniebat, cùm felici anima beatum esset: vestimentis nulla ratione debebatur, vt quæ beatitudinis nullius sunt capacia.

Quando vestimenta Christi cæperint esse candida, & quando esse desierint.

Colligitur & illud mox splendorem illum in vestimentis Chri- 49.
sti inesse cæpisse, quam primùm corpus inuasit. Item mox in vestimẽtis esse defuisse, quàm primùm corpus reliquit. Cùm enim ab eo, qui in corpore erat penderet, cum eodem & incæpit, & desijt. Hæc de ipsa Apparitione, atque Transfiguratione Thaborina.

CAPVT SECVNDVM.

De Antecedentibus Christi Thaborinam Apparitionem; quæ sunt præcipuè duo, Oratio & Actiones Christi, & ostenditur:

1. Apparitionem Thaborinam duplicia antecessisse videtur: Oratio Christi, cuius meminerunt Euangelistę, in Apparitionis descriptione; atq; Operationes, quæ toto tempore, antequam ad gloriā hanc veniret, perpetrauit. Et quāuis Oratio magis ad ipsam videatur pertinere; Operationes tamen & Actiones, si diligentius expendantur, non sunt ab eadem excludendę. Vtrumq; igitur inter Antecedentia Thaborinæ Apparitioni accipiamus.

2. In vtroque verò plura sunt, quæ vtilem habent disputationem. In Oratione hæc: Qualis ipsa fuerit: pro quibus instituta: quid in illa petierit: an petita obtinuerit: an sola oratione obtinuerit, aut etiam alijs modis: quæ orationis fuerit necessitas: & cur in oratione voluerit transfigurari, atque gloriosus apparere. In Operationibus quæritur, An his Transfigurationem hanc meruerit: an omnibus meruerit, aut quibusdam certis: & quænam illæ præ reliquis fuerint. De Oratione primum.

Orandi modos varios esse.

Orationis non vna est conditio. Nunc mentis in Deum ascensum di-

ſum dicit,& eleuationem:nunc gratiarum actionem Deo,ob accepta beneficia factam : nunc alicuius boni à Deo poſtulationem. Nã & qui à Deo aliquid petit; & qui pro beneficijs à Deo acceptis gratias agit; & qui mente atque cogitatione in rerum diuinarum contemplatione occupatur, orare dicitur. Priores duos modos complexus videtur B. Auguſtinus, lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 7, quando orationem definit *pium mentis in Deum affectum*. poſtremũ Baſilius, homil. in Marty. Iulitam, vbi docet orationem eſſe *boni cuiuſdam* petitionem, quæ ad Deum à pijs funditur.

Chriſtum omnibus modis oraſſe.

Omnibus his modis Dominum aliquando oraſſe certum eſt. & prima illa oratio ipſi fuit aſsidua, propterea, quod à Dei diuinarumque rerum contemplatione mens ipſius nunquam ceſſauerit; non ob viſionem tantum beatificam, verùm etiam ob ſcientiam infuſam, & liberum charitatis actum, qua omnia in Deum referebat. Sic gratias ipſum cæleſti Patri aliquando egiſſe docet Scriptura: *Confiteor*, inquit, Matth. 11. *tibi Pater, Domine cæli & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus: & reuelaſti ea paruulis.* Et excitaturus à mortuis Lazarum, Ioan. 11. *gratias tibi ago*, inquit, *quia audiſti me.* & ſanctiſsimum altaris myſterium primum peracturus, gratias legitur egiſſe. Lucæ. 22. Denique & quædam à Patre petijt. *Pater*, inquit, Ioan. 17, *clarifica filium tuum.* & Matth. 26. loquitur. *Abba Pater, ſi poſsibile eſt, transfer à me calicem.* & de eodem ſic ad Hebræos Apoſtolus Paulus, cap. 5. dicit, *quòd in diebus carnis preces ſupplicationeſq; ad eum, qui poſſit ipſum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis obtulerit, & exauditus ſit pro ſua reuerentia.* Sed quale orationis genus, quod Apparitionem Thaborinam anteceſsit? 3.

Qualis fuerit Chriſti oratio, quæ Apparitionem Thaborinam præceſsit.

Dubium non eſt, primum fuiſſe, vtpote, quod in omni oratione inuenitur. Nam ſiue Deo ob percepta beneficia agas gratias; ſiue ſupplices pro accipiendis, ſemper neceſſe eſt mens ad cæleſtia tranſcendat, ſi oraſſe dicendus ſis. 4.

An quoque in hac oratione gratiarum interuenit actio? Interueniſſe admodum eſt veriſimile. Nam & aliàs Dominum gratias in oratione egiſſe conſtat: & qui ſummam Patris erga humanum genus agnoſcebat beneuolentiam & intuebatur beneficia, non videtur non potuiſſe fuiſſe gratus, in diuturniori, vt hæc fuit, oratione: præſertim, quando quæ mortalium generi per Patrem collata ſunt beneficia, non alia quam ſua potuit exiſtimare. 5.

7. An etiam interuenit petitio? & desiderium alicuius boni, quod exspectare potuit, Patri patefecit? Et hoc crediderim interueniſſe: propterea, quod *oraſſe* dicatur; orare autem hi indicentur, qui ab omnipotenti Deo aliquid petunt: vnum & orationem definit Baſilius *petitionem boni*. & Dominus modum orandi præſcribens, complectitur res, quæ petuntur. & à B. Auguſtino, ſerm. 36. de verbis Domini reprehenditur Phariſæus. qui Lucæ 18. dicitur *tēplum aſcendiſſe oraturus*, & à Deo nihil petijt: quamuis gratias Dei egerit, quod non fuerit, ſicuti cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulter.

Pro quibus Chriſtus orauerit.

8. Verùm, ſi quid oratione ſua Dominus petijt, pro quo, quæſo petijt? an pro ſe? an pro mortalibus? & quibus illis? Quid in hac Thaborina acciderit, incertum eſt. Alias ipſum pro *varijs* cæleſtem Patrem obſecraſſe docent diuina eloquia. Orauit pro *ſe*; quando nunc petijt à ſe transferri calicem, Matth. 26. nunc, vt clarificaretur claritate, quam habuit ante mundi conſtitutionem. Ioan. 17. Orauit pro *Apoſtolis*, eodem capite, vt conſeruentur à malo. Orauit pro *inimicis ſuis*, & ſe crucifigentibus; dum petijt ijs ignoſci delictum; propterea, quòd, quid facerent, neſcirent, Matth. 27. Orauit pro *ijs, qui per Apoſtolorum prædicationem fidem eſſent ſuſcepturi*, vt ſint vnum: ſicut ipſe in Patre, & Pater in ipſo. Ioan. 17. Pro his *alias*, quando Patri ſupplicauit, orationes obtulit. An in hac pro his omnibus, vel aliquibus incertum: quamuis veriſimile, quod neminem excluſerit, qui totius mundi onus in ſe iam ſuſceperat; & venerat Omnes ſaluare, omnes ad agnitionem veritatis perducere.

Quid in oratione Chriſtus petierit.

9. Sic incertum quid non in oratione hac petierit. Certè ſuorum, id eſt, noſtram fidelium cauſam egiſſe, non temerè creditur. Qui enim redimere nos venerat, haud dubium, quin abundanter voluerit redimere, vt *copioſa noſtra eſſet*, ſicut ſcriptum eſt, *redemptio*: & Filius Dei dici poſſet, non ſolùm pro nobis ſatisfeciſſe, nec ſolùm nos redemiſſe; ſed etiam noſtram ſalutem meruiſſe & impetraſſe.

An quæ in oratione hac ſua Dominus petijt, impetrauit.

10. Porrò quidquid hac oratione *abſolutè* Dominus petijt, impetrauit atq; obtinuit. Quidni quiduis impetraret talis Filius talem Patrem orans? Filius Patri dilectus, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & orans Patrem miſericordiæ & miſerationum? *Ego autem ſciebam*, loquitur in quodam loco Filius, Ioan. 11. *quia ſemper me audis*. Et *poſtula à me*, loquitur Pater, Pſal. 2. & *dabo tibi gentes hæreditatem: & poſſeſſionem terminos terræ. In diebus carnis ſuæ orans*, inquit Apoſtolus, ad Heb. 5. *exauditus eſt pro ſua reuerentia.* An

An quæ oratione impetrauit, etiam meruerit Dominus.

Et quod oratione impetrauit & obtinuit, non solùm oratione impetrauit; sed eadem & meruit: quemadmodum & alijs suis actionibus meruit, quæcunque per ipsum habemus beneficia. Oratio ipsius & vim habuit impetrandi, quâ oratio fuit: & vim merendi, quâ iusti hominis optimum opus fuit. 11.

An, & quomodo necessarium fuerit Christum orare, ad obtinendum quædam per orationem.

An verò ita impetrauit (quæcunque tandem illa sunt, quæ impetrauit) vt nisi orasset, non impetrasset. Sunt, qui existimāt Christo nullam necessitatem incubuisse ad orandum, vt obtineret, quod oratione obtinuit: omnemque orationem censent ob trium aliquā causam susceptam; vt, scilicet, orando se hominem demonstraret, & Patrem inferiorem: (hanc rationem S. Thomas, 3. part. q. 21. art. 1.) doceret se Filium Dei, quemadmodum testatur Hilarius lib. 10. de Trinitate: & bene colligit ex oratione Christi, (Ioannes 11.) vbi dicit se orasse propter circumstantem populum, vt is crederet Christum à Patre missum: denique vt exemplo suo nos orare doceret: vt habet B. August. Tract. 104. in Ioannem. Ita quidem aliqui de Christi oratione: sed tamen præter has causas nolumus negare, quin & necessitas illi incubuerit orandi: ita, vt non nisi oratione, quędam obtinere potuerit. quod quidem non malè videmur colligere vel ex illo, *Postula à me, & dabo tibi gentes*. His enim verbis haud obscurè insinuatur orationem *medium* esse, qua quædam Christo obtinenda fuerunt. 12.

Necessitas hæc diuinam prouidentiam sequitur; non infirmitatē personæ Christi. Nec quia quædam necessaria oratione obtinuit, negatur alijs rationibus obtinere potuisse. Potuit multis alijs modis obtinere, quæcunque oratione obtinuit. Et quamuis homo esset, non minus, quam nos; fuit tamen & verus Deus. quocirca & quæ Deus potuit, potuit ipse. Simpliciter igitur oratione non indiguit. Atque hoc insinuat ipse Ioan. quando gratias Patri agit, dicitque. *Sciebam, quod me semper audis*. Hæc enim benè S. Chrysostomus eo sensu dicta existimat; vt iudicaret eandem suam esse, & Patris voluntatem: & ob id, quæ Pater posset, & vellet; se posse, & velle. Oratione ergo opus habuit; quia vt oratione quædam obtineret, diuina prouidentia, quæ in sui dispositione non fallitur, cōstitutum; 13.

stum. Habuerunt quæcunque quouis modo ad salutem nostram faciunt, siue iustitiam illa nostram antecedunt, siue sequuntur: quia vt Apostolus loquitur ad Ephes. 1. *Benedixit nos Christus omni benedictione spirituali*, adeoque, vt idem loquitur, *Dei sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis*. Ephes. 2.

An meruerit etiam sibi.

Constitutum sit tertiò eundem sibi quoque meruisse. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. Nonne, *quia de torrente bibit, idcirco exaltauit caput?* Psal. 109. Nonne, *quia dilexit iustitiam & odio habuit iniquitatem, idcirco Deus vnxit illum oleo lætitiæ præ consortibus suis?* Psal. 44. Nonne, *quia animam suam pro hominibus posuit; idcirco Pater cælestis illum dilexit?* Ioan. 10. Nonne, *quia humiliauit se, factus obediens vsq; ad mortem, nomen accepit, quod est supra omne nomen?* Phil. 2. Sic optimè dictum ab Apostolo, ad Hebr. 2. *Vidimus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* 18.

An eadem sibi & alijs meruerit.

Veruntamen, (quod quartò constitutum sit) alia sibi Dominus meruit, alia mortalium generi, siue hominibus. Sibi nihil eorum, quę hominibus meruisse diximus, meruit. non gratiam, aliaque bona, qua sanctißima ipsius anima instructa fuit & ornata: non gloriam atque beatitudinem, qua fruitus est à primo conceptionis instãti: multo minus vnionem hypostaticam, qua factum est, vt anima ad tantam dignitatem eueheretur, vt ad maiorem non potuerit. Alia sunt quæ sibi meruit: quæ haud obscurè ex superiùs allatis Scripturis colliguntur.

An meruerit sibi gloriam Transfigurationis.

Cùm igitur hæc ita sint: cum Dominus & sibi meruerit, & alijs: 20.
sibi autem non meruerit aut gloriam, aut gratiam, aut vnionem hypostaticam, non frustra quæritur, An, saltem hanc Transfigurationis gloriam meruisse sibi, dici poßit, & debeat? Verentur id quidam concedere, ne Christum mercenarium cogantur confiteri, aut asserere, sui magis, quam hominum salutis causa venisse. verùm, non video cur negari hoc debeat, si & gloriam sui corporis, & nominis sui exaltationem meruisse propriè dici poßit, & propriè dicatur.

Et quidem illa meruisse concedunt Doctores. Nec malè. quia 21.
pro gloria corporis est illud Lucæ 24. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* pro nominis exaltatione illud Phil. 2. *factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis. propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur; cælestium, terrestrium, & infernorum.* Ex his porrò colligi

hanc Transfigurationem Christi meritis tributam esse non inficiabitur; qui illam ad gloriam corporis valuisse, & indicium esse gloriæ illius, qua nunc in cælo gloriosum Christi corpus perfunditur, agnouerit.

22. Tribuũt Christi meritis, doctißimi Theologi; quòd à cælesti Patre publicum testimonium diuinitus acceperit in baptismo: quod in Natiuitate Angelorum hymnis, & melodia sit celebratus: quòd à tribus Magis mysticis muneribus sit honoratus: quòd peracto peregrinationis cursu, & cum gloria à mortuis resurrexerit; & ad cælos ascẽderit, cum insigni triumpho: quòd in extremo illo die, cùm maiestate venturus sit, & iudicaturus viuos atque mortuos: quidni igitur & Transfigurationis gloriam eius meritis asscribamus? in qua nec testimonium Patris defuit, nec Angelorum obsequium, nec honor Prophetarum, nec dignitas atque inusitatus splẽdor corporis? Meruerit igitur sibi Dominus hãc Trãsfigurationis gloriam.

Quibus actionibus Christus gloriam Transfigurationis meruerit.

23. Sed quibus, quæso, actionibus? Hoc secundò quæritur. Multa Christi fuerunt merita, quæ Transfigurationem antecesserunt. quin imò, quæcunque in mortali corpore aut egit, aut passus est, inter ipsius merita nõ malè recẽsueris: siue illa egerit passusue sit in adulta ætate, siue in pueritia, siue etiam adhuc in vtero matris virginis existens. Nullum opus à meritis rectè excluditur. Omne fuit virtutis; omne plenę & deliberatæ rationis: omne gratum Deo: omne Patris promißione illustre.

24. Addo, quòd non solùm multa merita Christi hanc Transfigurationem præcesserunt; sed quoque dici posśit omnia, & singula eandem promeruisse. Si enim sempiternam nominis exaltationem quodlibet potuit meruisse: si quodlibet corporis dotes perpetuas, & multis modis hanç Transfigurationis gloriam superantes, quidni quodlibet merebitur, vt breui tempore, paucis præsentibus, & facies splenderet, vt sol; & vestimẽta fierent candida, sicut nix; & Patris publicè audiretur vox, quòd Filius esset dilectus?

25. Veruntamen quamuis Christi actiones omnes hanc Transfigurationis gloriam meruisse dici posśit: & nulla ex toto genere fuerit, cui non optimo iure posśit tribui: quædam tamen sunt, quæ præ alijs illa sibi vendicare vidẽtur, non minus, quàm salutẽ humani generis sola sibi Christi paśsio vendicat, quamuis nullum opus fuerit Christi per quod pro salute generis humani, si ita Deus voluisset, non abundantißimè satisfecit.

Quibus potißimum actionibus Dominus Transfigurationis gloriam meruerit.

Et quæ

Et quæ hæ actiones? Suspicor illas esse, quæ magis Christi humilitatem arguunt, & produnt. Siquidem gloria, humilitatis est comes: & qui se humiliauerit, ille meretur, vt exaltetur: sicut, vt humilietur, qui se exaltauit. Quę igitur actiones gloriæ magis sunt aduersæ; & quibus præcipuè Dominus humilitatis suæ argumenta clariora præbuit; illis instius hác Transfigurationis gloriam tributam esse dicemus. 26.

Argumentum Assertionis in similibus causis obseruamus, in quibus contrarijs meritis, contraria tribuuntur pręmia. Gloriam suam intrare dicitur Dominus non propter miraculorum patrationem, aut diuini verbi doctrinam, aut aliud aliquod excellens opus, sed propter passionem. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suã.* Lucæ 24. Sic nomen sortitus est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur; non quia in cunis vagijt; præsepe non abhorruit, &c. sed *quia fuit obediens vsque ad mortem, & mortem Crucis,* Philip. 2. Sic factus est iudex viuorum & mortuorum; quia impiorũ aduersus se iudiciũ subiuit. &c. Eodẽ ergo modo hęc Trãsfigurationis gloria humilioribus Christi, præ alijs actionibus tribuenda est. 27.

CAPVT TERTIVM.

De Coniunctis Apparitionis Thaborinæ in genere, & de Pesonis in specie.

Antecedẽtia Thaborinam Apparitionem discussimus, sequitur examinemus Coniuncta cum eadem. Ad quinque genera hæc reuocamus.

Personas, quarum quinque inueniuntur.
Res, in quarum genere sunt nubes & vox.
Actiones, quò referimus sermonem Apostolorum, &c.
Passiones, quò eorundem timorem referimus.
Ordinem, qui in his omnibus locum habet.

De his omnibus agendum in sequentibus: sed hoc capite de Personis tantùm. Vbi ostenditur prima parte de Apostolis.

1. In personis primò ipsarũ explicanda conditio; tũ cur has prę alijs Transfigurationis suæ testes voluit esse adhibitos. Prius illud, si nõ in omnib⁹, in aliquibus difficultatẽ habet nõ paruã; posterius non tantã. Personarum quædam ad nouum Testamentum pertinent; quædã ad vetus. In hoc ordine sunt Elias & Moses: in illo Petrus, Iacobus, Ioãnes. omnes in vniuersum quinque. De Apostolis primo.

Quales Apostoli assumpti ad testes Transfigurationis.

2. Petrus igitur ille est, qui ante Simon dictus, postea à Christo Cephas, siue Petrus appellatus est. ille, cui Christus regni cælorum claues cõcredidit: quem gregi suo præfecit. Princeps Apostolorum, & vniuersalis Ecclesiæ caput; quemadmodum cum alia Scripturæ loca plura docent, tum præsens hoc ipso indicat, quod Ioanni atque Iacobo præponatur; quemadmodum & præponitur semper, quando Apostolorum Catalogus texitur.

3. Ioannes alter, filius fuit Zebedæi, singulariter Domino dilectus discipulus: qui, quod præter ipsum nulli Apostolorum contigit, obtinuit, vt & Apostolus esset, & Euangelista, & Propheta, & Virgo & Martyr.

4. Iacobi quidẽ duo nunerantur inter Apostolos: vnus Alphæi, qui & Minor dicitur; alter Zebedæi, qui dicitur Maior. Testis Transfigurationis hic, non ille Alphæi est, sed Zebedæi; quia frater Ioannis, qui Zebedæi fuit filius, dicitur. Quocirca cuius hîc fit mentio, non ille est, qui dicitur *Frater Domini* à Paulo; & scripsit primam Epistolam Canonicam, quem Paulus coniungit Petro & Ioanni, Gal. 2. Hîc enim Dominus assumpsisse dicitur *Iacobum, & fratrem eius Ioannem.* Itaque in æquiuocatione nominis lapsus est B. Augustinus, scribens in Epist. ad Gal. de Iacobo, cuius ibi cum Petro & Ioanne fit mentio: *Petrus*, inquit, *Iacobus & Ioannes, honoratiores in Apostolis erant; quia istis tribus se in monte ostendit in significatione Regni sui.* Errasse in ipso nomine etiam videtur D. Ambrosius, hoc loco scribens super Lucam: quando Iacobo, cuius hîc fit mentio, tribuit illud, quod primus conscéderit solium sacerdotale; quod dicendum erat de Iacobo Minore, qui primus fuit Hierosolymorum Episcopus, nisi fortè hic successerit Iacobo Zebedæi ab Herode interempto.

5. His tribus Apostolis, solis, hoc beneficium collatum, vt Dominicæ Transfigurationis essent testes, quẽadmodũ & aliàs ijdem soli Domino affuerunt, quando nunc ad vitam reuocauit filiam defuncti Archisynagogi; nunc in horto, sudore sanguineo, iam cru-

cifigen-

c'figendus, terram humectauit. Veri igitur testes, & infirmitatis Christi,& potestatis,& maiestatis.

Quatuor verò circa hos quærũtur. Primò, Cur Apostolis Dominus hanc suæ Transfigurationis gloriam voluerit notam esse, & non omnes, vt aliquos, ab eadem excluserit, Secundò, Cur non voluerit eidem præsentes esse omnes, adeoque omnibus notam. Tertiò, Cur notam tantum tribus? Quartò, Cur his tribus præ alijs, Petro scilicet, Ioanni, Iacobo. 6.

Cur Apostolis Dominus gloriam Transfigurationis ostendit.

Ad primum facilis est respõsio ex dicto Christi Ioa. 9. quo se *lucē* 7.
appellat. *quamdiu sum in mundo*, inquit, *lux sum mundi*. Etenim lux fuit non solum verbo & doctrina; sed etiam miraculis, adeoque rebus gestis omnibus. Cùm verò lucem oporteat lucere; cùm lucerna nõ ponatur sub modio, sed super candelabrum; oportuit quandoque innotescere quæ faciebat, & prædicanda super tecta, quæ audita in tenebris. Quapropter oportuit, vt & hæc Transfigurationis gloria innotesceret; & testes qui eandem mundo promulgarent, haberet: hæc inquam; quæ tantũ faceret ad Christi diuinitatem, non Apostolis solùm, verum etiam vniuerso orbi persuadendam. Per quos verò commodiùs mundo potuit innotescere, quàm quos diuinitatis suæ præcones vniuerso orbi, cum auctoritate esset daturus?

Cur non omnibus Apostolis ostendit gloriam Transfigurationis.

Omnes tamen discipulos, imo nec omnes Apostolos eidem voluit adesse Dominus. Suspicantur quidam Iudam huius causam præcipuam esse; qui visione hac fuit indignus: qui ne confunderetur, maioremque acciperet occasionem insaniendi, si ob impietatem suam se vidisset exclusum, cum eodem excluduntur alij: non sua culpa, sed vt proditori subtracta esset suspicionis occasio. At etiam Apostoli sine suo merito potuerunt ad hanc gloriam contemplandam admitti. Potuit & Iudas negotiorum causa aliò, ad tempus, mitti, cum Domini ageret Oeconomum, atque ita ad visionem admitti Apostoli alij. Præterea demus hîc omnem causam impietati Iudæ; quid opus erat tot à visione arceri? tam paucos admitti? Igitur non admisit omnes Dominus; quia omnes admittere noluit: & præterea, quia mysterium hoc ad tempus voluit esse occultum; meliùs verò occultum esse potuit, quando pauci, quàm quando multi illud cognouerunt. 8.

Cur tribus tantùm Apostolis ostendit.

Tres verò Dominus assumpsit: tum, quòd hac ratione silentium 9.
meliùs seruaretur; tum etiam, quòd per hos sufficiens testimonium

Transfigurationi,& Apparitioni Thaborinæ,post Resurrectionem daretur. Ratio prioris est,quoniam,vt diximus, per pauciores facilius,quàm plures seruantur secreta, quæ in vulgus nolumus spargi. Ratio posterioris, quoniam quamuis duorum testimonium sufficiat ad fidem faciendam; in rebus tamen grauioribus (qualis fuit Domini Transfiguratio)quoniam difficiliores sunt mortales ad fidem accommodandã,plus valent,& maius robur habent tres,quàm duo testes. Sunt,qui tribus testibus omne genus hominum, quod à tribus Noe Filijs descendit,designari volunt, atque indicari ex singulis aliquos ad visionem Dei,in quo felicitas consistit, admittendos. Sed hoc mysticum sensum sapit;quemadmodum & illud,quòd tres fidem Trinitatis significant,sine qua visio cælestis non contingit.

Cur præ alijs Dominus suæ Transfigurationi voluit adesse Petrum,Iacobum & Ioannem.

10. Sed esto, conueniens fuerit non fuisse omnes; non etiam fuisse duos,aut vnum;sed tres:cur ex duodecim Hi tres, Petrus, inquam, Ioannes & Iacobus assumpti fuerunt,& non alij? An fortè hi primũ, relicto mundo,Dominum secuti fuerunt? At Petrum, vt & alios duos, præcessit Andreas, qui tamen à conspectu Transfigurationis exclusus fuit. An cognationis aliquam rationem habuit Dominus? At habuerit in Ioanne, & fratre eius Iacobo; in Petro habere non potuit. Nec potest dici,quòd Petrum cognatis adiũxerit; quasi tertius,qui adiungeretur,defuerit;quia affuit Iacobus Alphęi,non minus, quàm Ioannes atque alter Zebedæi Iacobus (vt alios taceam) cognatione coniunctus. Cur igitur hi præ cæteris assumpti? Fortè, quia hos Dominus voluit: cæteros noluit: absque horum iniuria, cùm illis hoc non debebatur: cum illorum gratia, qua præ cæteris ipsos afficere placuit.

11. Quòd si etiam coniecturæ hîc locus est, rationes fortè pro hac assertione possent dari. & primam suppeditabit dilectio, qua præ cæteris hi Christum prosecuti videntur, & ob id præ cæteris digniores fuisse hac Trãsfigurationis gloriosę visione. Et hanc dilectionẽ Petrus passim rebus ipsis demonstrauit;à Domini verò resurrectione,tertiò à Christo interrogatus testatus etiam verbo. Ioannes eandem declarauit,quando omnibus fugientibus,Christo in cruce pẽdenti affuit. Iacobus eo ipso, quòd primus pro Domino mortem obiuerit. Sed & singularia priuilegia,quæ hi præ cæteris, à Christo obtinuerunt,hanc dilectionem haud obscurè testantur. Quæ verò illa? Quòd Petro commissa cura gregis dominici,& claues regni cęlorum

lorum datæ: Ioanni mater Dei tradita custodienda, & discipulus dicatur præ cæteris dilectus; speculator etiam fuerit altissimorum mysteriorum. & denique Iacobum Martyrij primum dignatus sit. Hanc rationem Chrysostomus indicat.

Deinde secreti hi videntur fuisse tenaciores; cuius in hac Apparitione rationem fuisse habendam Domini oratio cōfirmat, qua, absoluta Transfiguratione vrget Apostolos, ne mortalium vlli illam patefaciant, nisi postquam ipse, consummato redemptionis humanæ officio, gloriosus à morte resurrexisset. *Nemini*, inquit, *dixeritis visionem, nisi Filius hominis à morte resurrexerit*. Hanc Theophilactus dat. 12.

Maior quoque fides videtur fuisse necessaria in spectatoribus Thaborinæ Apparitionis: fides, inquam, qua quamuis gloriā Christi corporis in monte conspicerent, non tamen deinceps dubitarent, quin verè pateretur, & verè languores nostros in suo corpore portaret. At fide, præ reliquis, hos claruisse pluribus argumentis fit verisimile. 13.

Ardentibus etiam creditur fuisse horum studium pro Christi gloria. Id Petrus demonstrat, quando suā, pro Christi anima, offert; & homo piscator inter militum cohortem stringit gladium: Ioannes autem & Iacobus, quando ignem percupiunt diuinitus mitti, qui absumat ingratam, & hospitium Domino negantem ciuitatem. Et hoc etiam ipsos, si non admisit, fortè vt facilius admitterentur, effecit. 14.

Ijdem tres Apostoli Domino familiariores fuerunt. & Dominus ob id ijs familiarius vsus. plura quoque ijsdem credidit, quemadmodum & hanc Apparitionis gloriam. Familiaritatem hanc in Ioanne & Iacobo potuit auxisse ius cognationis: in Petro, Domini erga se studium. Et Petrus illam prodit, quando Domino passionem suam prædicenti, respondet indignum esse ipsum pati: *Absit*, inquit, *à te Domine*, &c. Matth. 16. Ioānes & Iacobus. quādo sibi præ reliquis petunt tribui dextram & sinistram in Christi regno. Matth. 20. 15.

Quòd si dictis rationibus mysticas licet addere, dicere possumus his tribus designari, quinam diuina illa visione, verè beata æternaq; censeantur digni. Illi, scilicet sunt, qui cum Petro ardente flagrant in Deum charitate; qui cum Ioanne mundo sunt corde, & virginitatis propter Christum studiosi sectatores; qui cum Iacobo stolas suas lauant in sanguine Agni, mortemque pro Christi nomine obeunt. Sed ad viciniores testes Thaborinæ Apparitionis accedamus, illos scilicet Veteris Testamenti Patres. 16.

Altera:

Altera hac parte Capitis duo veteris Testamenti, viciniores que Christi testes examinantur: & ostenditur,

17. ERgo duo referuntur ab Euangelistis, Moyses & Elias? Notus est vterque: sed tamen quid de vtroque Scriptura, non obest audiuisse. De Elia igitur sic Ecclesiasticus, cap. 48. *Elias propheta quasi ignis; & verbum ipsius, quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem: & imitantes illum inuidia sua pauci facti sunt. Non enim poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cælum, & deiecit à se ignem terræ. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter gloriari tibi? Cui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis;* in

in verbo Domini Dei. Qui deiecisti Reges ad pernitiem, & confregisti facile potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo. Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defensionis. Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorũ. Qui inscriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad Filium, & restituere tribus Iacob. Et paulo post: *Elias, qui turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus eius. In diebus suis nõ pertimuit Principem; & potentia nemo vicit illum; nec superauit illum verbum aliquod: & mortuum prophetauit corpus eius. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est,* &c. Ita de Elia Ecclesiasticus.

De Moyse sequentia, Cap. 45. Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. *Similem illum fecit in gloria Sãctorum, & magnificauit eum in timore inimicorũ: & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit eum in conspectu Regum: & iussit illi coram populo suo: & ostendit illi gloriam suam. In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum: & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim eum, & vocem ipsius; & induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & disciplinæ, docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israel,* &c. Quia verò Dei Spiritu sunt dictata, nosq; de rebus magnis admonent, frustra nec scribuntur, nec leguntur, nec audiuntur. Atque hi vicinissimi testes Apparitionis Thaborinæ. 18.

Variarum autẽ quæstionum hi sua præsentia sunt causa: nos præcipuas persequimur. Inter illas prima est. Vtrum verè in propria persona dicti, Elias, atque Moyses affuerint. Secunda, vnde ad Thaborinum montem venerint. Tertia, quo vsi ductore atque vectore. Quarta, qua maiestate apparuerint. Ad has vbi responsum fuerit, explicãdum erit, cur hos duos ex tot Prophetis & Patriarchis testes assumpserit Dominus. De Elia primùm inquiramus. 19.

An Elias in propria persona affuerit Transfigurationi Christi.

Hunc non in propria persona apparuisse; sed Angelum eius personam sustinuisse, efficto, & aptato ex aere corpore (eo modo, quo Angeli aliquando rebus mortalibus intersunt, in effictis corporibus) docuerunt quidam, vt patet ex glossa super Lucam. Melius illi sentiunt, qui αὐτοπροσώπως & personaliter volunt Domino affuisse; propterea, quòd Elias dicatur Domino affuisse; & cur ipsus affuisse dici non debeat, causa dari iusta non posit. 20.

Et adfuisse in propria persona, ob id facilius credi debet; quòd mortuus nondum sit Elias: sed alicubi vitam, si non omnino beatã, certè non miseram, agat; vnde facilè ad hunc Transfigurationis lo- 21.

cum potuit venire. Et de priori dubiũ nullum est apud Patres, qui magnã partem vitæ suæ in Sacrarũ literarũ studio posuerunt. Constanter docent Eliam nondum vita functum esse; verè adhuc viuere. Ex multis producimus tres: B. Augustinũ lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 3. Hieronymum, Epist. 61. ad Pammachium, Ambros. lib. 4. de fide cap. 1. Et omnino horum sententiæ fauet Scriptura. Nam 4. Reg. 20. refertur, Deum transtulisse Eliam *per turbinem in cælum.* Et Eccli. cap. 48. dicitur *receptus, & tectus in turbine: & inscriptus in iudicijs temporum,* &c. Quod verò inde ad locum Thaborinæ Apparitionis venire potuerit, non negabit; qui meminisse volet Abacuc ex Iudæa subitò translatum in Babylonem, ibidemque prandium messoribus paratum exhibuisse Danieli: Daniel. 4. & Philippum ab Eunucho abreptum per Angelum translatum esse in Azoto. Act. 8.

Vnde venerit Elias ad montem Thabor.

22. Vnde porrò venit? Ex eodem, vbi degebat, loco. Quis ille? forte Cælum, quòd in cælum raptus dicatur 4. Reg. 2. At in cælum raptus dicitur, quòd ex terra per aerem, qui cælum quandoque dicitur, à sociorum conspectu sit subtractus. alioqui in cælum beatorum domicilium non translatus Elias, quemadmodum nec beatus mox fuit, postquam ab hominibus est sublatus. *Elias,* inquit B. Augustinus lib. 9. de Genes. ad literam cap. 6. *nondum habet, quod ex hac vita rectè gesta in fine habiturus est.* An fortè inferus locus? At mortuorum ille tantùm erat receptaculum. mortuus verò nõ erat Elias.

23. Locus, vnde prodijt Elias, paradisus fuit, vel quis similis paradiso: siue ille alicubi in aere sit, vt quidam volunt; siue in superficie terræ, vt probabilior habet opinio. Et paradisi incolam ipsum fuisse docent Irenæus, lib. 5. Iustinus Martyr, q. 89. ad Orthodoxos, Athanasius in Epistola quadam continente decreta Concilij Nicæni, Augustinus, lib. 1. de peccatorum meritis cap. 3. & Hieronymus, Epist. 61. ad Pammachium. Alij, qui paradisum aquis diluuij volunt esse destructum, alium illi, paradiso similem, locum videlicet amœnũ, vbi carnis & spiritus magna quiete vitam agit tribuunt: vt plerique Recẽtiores, post Rupertum, lib. 3. de Trinit. cap. 33.

Quis dux itineris Eliæ fuerit ad mõtem Thabor.

24. Ex hoc verò loco ad montẽ Thabor nõ absq; itineris duce venit Elias. Quomodo, quæso, viam inuenire potuit? præsertim, si longius à monte Thabor, vt est verisimile, habitationem suam habuit?

Est

Est & hoc verisimile, quòd qui dux itineris fuit, idem vectoris officio sit functus, vt dici debeat Eliam ita ad hûc locum raptum, quomodo aliquando ex conspectu discipuli sui idem abreptus est, 4. Reg. 2.

Quomodo ad montem Thabor Elias venerit.

Et vectorē idcirco ipsi libentius concedimus; quòd vt per se, sine vectore, venerit vix credi posit. Scimus quidem Sanctos homines olim, quando sua resumpserint corpora, dono agilitatis esse instruendos; & quocunque volunt loco posse se transferre, nullis adiutos externis præsidijs: at hoc donū Eliæ nondum collatum erat, quādo coram Christo apparuit; quéadmodum nec hac hora; propterea quòd vera beatitudine animę, quam donum hoc sequitur, nōdum perfrueretur; quāuis interim, vt B. Bernardus loquitur, serm. de Ascens. Domini, *soli Deo vacaret intelligendo, diligendo, fruendo.* 25.

Dux verò itineris, atque vector idem hic fuit Eliæ. Non fuit opus diuersis. Qui viam nouerat, tantas vires habebat, vt Eliam quoque in montem Thabor transportaret. Quia scilicet fuit ex Spiritibus vnus eorū, qui *Administratorij* vocantur, quorum & magna scientia, & egregiæ vires. 26.

Et fortè idem hic fuit cum illo, qui olim Eliam ex conspectu Elisei abripuit, & in paradisum transtulit. Sed tamen si fuit, non ea maiestate restituit, (suspicor) quā abripuit. Sublatus est in curru igneo, per igneos equos; per quos nō restitutum fuisse arguit summū Euangelistarum silentium, qui tantam rem, tantum Christi gloriā illustrantem, non præterijssent. Idem probat Tostatus, q. 53. ex eo quòd nec aduenire, nec discedere visus sit Elias ab Apostolis 27.

Veruntamen quamuis eo apparatu ad Transfigurationis locum Elias non venerit, non tamē Apparitioni, sine apparatu affuit. docet hoc Euangelista; quando testatur hūc cum Moyse *visum in maiestate.* Et omnino conueniebat, ne sodalitium aut famulatum sordidum haberet Dominus tanta gloria choruscans. 28.

Qua maiestate Elias affuerit Domino in Transfiguratione.

Sed quæ illa Maiestas? Suspicor splendorem fuisse, quo & Elias, & Moyses claruerunt; qui vtrum omnis ex Christo ad illos sit deriuatus, an verò etiam proprius quidam in ipsis fuerit, difficulter dixeris. Verisimile vtrisque etiam suam vultus venustatem, atque grauitatem fuisse Hæc de Elia. 29.

De Moyse difficilius est ad prædictas quæstiones respondere: maximè ad illam primā, qua quæritur, vtrum autoprosopos, personaliter affuerit Domino transfigurato. Sūt, qui rē leuiter expediūt: 30.

& quod de Eliæ nos superius docuimus, etiam in Moyse admittūt, propterea, quòd quemadmodum Elias, ita cum Elia Moyses, in paradiso vitā degerit: ideoq; & Domino, eodē, quo Elias, modo affuerit. Et horū quidā negāt aliquando mortuū fuisse Moysen; sed viuū translatū ad paradisum, vt cum Elia secundū Christi aduentū annūtiaret. ita sentit Hilari9, can. 20. in Matth. & Amb. li. 1. in Cain & Abel, cap. 2. & Greg. Nyssenus, lib. de vita Moys. Alij mortuum quidem volunt, sed mox ad vitam reuocatum. Ita Rabbi Samuel, lib. de Aduentu Mess. cap. 13. Horum sententia, si cum veritate constaret, optimè quemadmodum de Elia dictum dicere liceret, Moysem eodem modo, quo Eliam personaliter apparuisse.

An Moyses, qui apparuit in Domini Transfiguratione fuerit aliquando mortuus.

31. Sed, principio, dubium non est, quin verè mortuus fuerit Moyses. Diserta pro morte ipsius sunt diuinarum Scripturarum eloquia. Deut. 34. sic dicitur: *Ascendit Moyses super montem Nabo, mortuusq; est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino.* Iussio verò hæc Domini habetur, Deut. 32. vbi sic Dominus ad Moysen: *Ascende in montem Nabo, & morere ibi*; quę verba de vera morte intelligenda esse sequentia indicant. *Montem*, inquit Dominus, *conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est frater tuus Aaron in mōte Hor, & appositus populis suis.*

An Moyses statim post mortem ad vitam sit reuocatus.

32. Sic certum; quòd post mortem mox ad vitam reuocatus non sit. Ad quid enim reuocandus erat? vt Domini aduētum secundum fortè, cum Elia & Enoch prædicaret? Ita quidem Catharinus, Genes. 5, & Ioannes Arbor. in Theosoph. lib. 11. cap. 11. & ante ipsos Hilar. can. 20. in Matthæum. sed vtrum hoc ita sit nō omnino certum: hoc certum necesse non fuisse, vt mox, quod deposuerat corpus resumeret, etiam si secundi Domini aduentus præco esse debuit. An reuocandus vt Domini Transfigurationem sua præsentia honestaret? at quid opus vt tot seculis ad vitam reditus præcederet?

33. Hæc cùm ita sint: cùm & Moyses olim mortuus verè fuerit, & ad vitam ante Dominicam Transfigurationem non sit reuocatus; necesse est omnino alio loco animam Moysis, alio corpus fuisse. quocirca & hîc difficulter constituitur, vtrum vt Elias, ita & Moyses, *personaliter* Domino affuerit. Quæstio ergo hîc quadruplex oritur. Prima est, Verène secundùm animā Moyses affuerit Transfigurationi. Altera, An præter animam corpus quoque aliquod ibidem fuerit.

rit. Tertia, An proprium hoc corpus Moysis fuerit, an potius aliud aliquod, opera Angelorum ex aere similiue materia formatum. Quarta, An si proprium fuit, eidem anima Moysis affuerit, & informarit; vt informauit olim, quando communem cum Israelitis vitã egit.

An Moysis secundùm animam præsens fuerit dominicæ Transfigurationi.

Censent quidam animam Moysis non affuisse, sed Angelorum aliquem Moysis personam sustinuisse, atque exhibuisse; quemadmodum & boni Angeli aliquando, & mali frequentius defunctos exhibent, quamuis defunctorum animæ destinatis sibi locis conseruētur; qui tamen ad superos ab inferis redijsse, & humanis rebus interfuisse bene dicuntur, quòd ipsorum imagines per spiritus viuentibus exhibentur. Hanc sententiam secutus videtur Hugo Cardinalis in 9. Lucæ. sed ad minimum animam affuisse, vt haud obscurè insinuat Scriptura (dum *Moysen & Eliam affuisse* commemorat) ita disertis verbis asserunt Patres, inprimis B. Augustinus, lib. de Cura pro mort. agenda, cap. 15. qui cùm probaturus esset, animas mortuorum interdum ad superos redire, & hoc exemplo Samuelis, sed incerto docuisset, mox certum in Moyse subiungit. *Quid de Moyse*, inquit, *dicturi sumus; qui & in Deut. mortuus, & in Euangelio, cum Elia, qui mortuus non est, apparuisse legitur.* 34

An affuerit tantùm secundùm animam.

Secundùm animam verò non nudam affuit Moyses. quomodo, quæso, sub conspectum Apostolorum illa venire potuit? Quemadmodum *spiritus carnem & ossa non habet*; ita neque coloribus, per quos res in oculos incurrunt, informatur. Omnino igitur cum corpore apparuisse, & in corpore, atq; per corpus visus esse credi debet. 35

An affuerit in proprio corpore, vel alieno.

An verò proprium Moysis corpus illud fuit, quod olim circumtulit, an alienum? Alienum quidam censent, opera Angelorum, ex aere similique materea formatum, eoque veluti vestimento animam indutam fuisse: sicuti & aliena corpora Angeli induunt, quãdo mortalium rebus sub spectabili forma intersunt. ita B. Thomas ar. 3. q. 45. in 3. p. & Abul. q. 54 & 55. in 17. Matth. Hoc quamuis admodum dicatur probabiliter, nunc tamen liceat quærere, quid prohibeat, cur in proprio apparuisse nec dici, nec credi possit? 36

Fortè fieri non potuit, vt ad proprium rediret defuncti anima? At omnium omnino mortalium Spiritus ad propria sunt reuersuri. Fortè vt rediret non conueniebat? At conueniebat maximè 37

vt Moyses, quemadmodum alter, Transfigurationis testis Elias, in proprio corpore Domino adesset: vt & hic, sicut Elias, testis esset oculatus: & hic secundùm animam & corpus, quemadmodum secundùm animam & corpus apparebat Elias.

38. Adde, quòd hæc sententia ad phrasim Scripturæ magis accedat. Etenim *Moyses* dicitur visus esse. at Moysen non propriè dixeris animam Moysis. adde & illud, quòd duabus promißionibus olim Moysi factis, in hac Transfiguratione, Deum satisfecisse Sancti viri doceant; vtraque autem ad *totum Moysen*, & non Moysis animam tãtùm, videatur pertinere. Prima est, quòd Exod. 33. cùm petijsset sibi ostendi gloriam Domini, responsum acceperit hoc: *Cùm transibit gloria mea, videbis posteriora mea*: altera, quòd Nũ. 12. dicitur: *Os ad os loquor ad eum, in specie: & non in ænigmate*. & priorem promißioné docet hîc expletam Tertull. lib. 4. contra Marcio. cap. 22. posteriorem Irenæus, lib. 4. contra hæres. cap. 37.

39. Atque hæc sententia est Auctoris lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ, falsò B. Augustino ascripti. Is lib. 3. cap. 10. sic habet: *Sed dum Elias manens in corpore ad talem conductionem venerit, quid de Moyse dicendum? vtrum in corpore iterum ad hanc ostensionem aderat, an ex aëre simulatum, sicut Samuel visus est, habitum fingebat: & si suo corpore venit indutus, si hac vice resurrectionem suam, quæ cæteris non nisi in nouißimo est futura, compleuit? De qua quæstione auctores vna eademq́; sententia prolata non differenter dicunt, quòd cùm Dominus cum tribus discipulis & Elia, non cum imaginatiis, sed veris corporibus conuenisse non dubitantur; & ipse Moyses in vero suo corpore de sepulchro resumpto videtur. Sed Dominus Iesus primogenitus mortuorum rectè dicitur: Moysi iterum post hanc visionem corpus sepulturæ commendatur, vt ipsum in nouißimo die, quando resurgent mortui, assumere poßit.* Hæc ibi.

An Moyses verè fuerit vitæ restitus.

40. In proprio igitur corpore apparuerit Moyses. An quoque proprium hoc etiam animæ veré fuit vnitum? veréne ipse ad vitam redijt? veréne viuus homo fuit? Si in proprio apparuit, profectò proprium animæ vnitum fuit: profectò verè ad vitam redijt: verè rediuiuus fuit. Atque ita sensisse videntur etiam illi, qui communem mortuorum resurrectionem, etiam ex præsenti hoc Moysis exemplo astruunt, quemadmodum astruxit Damascenus, orat. de Trãsfiguratione Domini.

An Moyses personaliter affuerit Christo transfigurato.

41. Ex dictis quid ad principalem quæstionem, qua quæritur, vtrum autoprosopos, personaliter, apparuerit, respondendum sit, clarum est.

est. Apparuit autoprosopos, non minus, quàm Elias: quia apparitioni Christi non secundùm animam tantùm, verùm etiam secundùm proprium corpus affuit; & viuus verusque homo affuit; quemadmodum verus viuusque homo affuit ipsius socius Elias. Iam reliqua persequamur.

Secundò igitur quæritur, vnde ad montem Thabor venerit. Et 42. hic difficilior est de Moyse, quàm Elia responsio; propterea, quòd hîc duo loca distinguenda propter animæ Moysis & corporis diuersa, quibus detinebantur, loca; vnus autem fuerit, qui viuum continuerit Eliam. Et de anima quidem facilius respondetur; quòd certa animarum post mortem sint receptacula: de corpore difficilius; quòd sepulchrum, corporis quasi domicilium, ignotum sit.

Vnde Moysis corpus acceptum, quando anima debuit in Christi Transfiguratione coniungi.

Et ita prorsus se res habet de corpore. Dici nō potest, vnde ipsum 43. ad montem Thabor venerit; propterea, quòd quis locus sepulturæ eius fuerit, ignoretur. Quod quidem magnis iustissimisque de causis Deum voluisse dubium non est: quæ porrò illæ sint, quamuis nō ita certum, non tamen ita procul à veritate errare videtur B. Chrysostomus, qui homil. 1. in Matthæum idcirco ignotum censet sepulchrum Moysis, ne Iudæi corpus eius adorarent, & diuinis honoribus prosequerentur.

Vnde anima Moysis adducta ad suum corpus.

Animarum verò quatuor receptacula à doctis distinguuntur; 44. cælum, infernus, purgatorium, limbus Patrum. Verùm ex his quatuor, primum illud vsum, apud ipsas, nullum ante Christi gloriosum in cælos ascensum habuit. quocirca certum est nequaquam Moysis ad Transfigurationis locum peruenire potuisse.

Ex Inferno, damnatorum loco, eam prodijsse multo minus dici 45. debet: propterea, quòd in damnatorum numero Moyses habendus non sit: vt qui & Sanctorum Catalogo asscriptus sit à S. Paulo, ad Hebr. 11. & egregiam admodum commendationem habeat ab Ecclesiastico: & Dei, in veteri Testamento. & Christi in nouo, ore atq; oratione sit prædicatus non rarò.

Sic nec credi debet ex Purgatorij loco redijsse. Tanto tempore 46. tantus vir purgatorij pœnas sustinuisset? à die inquam obitus, ad Christi Transfigurationem per annos plus minus 1500.

Lim-

47. Limbus igitur Patrum fuit, vnde egressa anima, ad Domini venit Transfigurationem; limbus, inquam, sub terra constitutus, quem sinum Abrahæ vocat Euangelista. qui *Patrum* dicitur; quòd iustorũ Patrum animas ex corporibus egressas, si nulla in ipsis superesset expurganda peccatorum labes, exciperet, & conseruaret; ad Christi vsque ad inferos aduentum, à quo deinde eripiendæ, & in ciues cælorum erant asscribendæ.

Quonam modo anima Moysis cum suo corpore coniuncta sit.

48. Quo verò duce hinc ad Christum venit. Hoc quidem tertiò explicandum erat, sed tamen prius necesse est doceamus, quo modo anima prius fuerit corpori coniuncta; & præterea, per quemnam coniuncta. Neque enim vnus modus esse debuit quo corpori fuit coniuncta; neque de vno authore, sed pluribus esse potest quæstio, qui corpori ipsam coniunxerint. Nam in posteriori potest esse disputatio vel de Angelis, vel de Deo, vel de anima ipsa. In priori intelligi vel animam ad locum, vbi corpus quiescebat accessisse, ibidemque eidem vnitam: vel corpus translatum esse ad locum animæ. vel vtrumq; , animam, scilicet, & corpus, translata esse ad Trãsfigurationis locum, ibidemque vnionem factam, rediuiuamq; extitisse Moysen. Quid verò de vtroque? Quod ratione, & coniectura assequimur, dicimus.

49. Primum igitur verisimile non est corpus ad animę locum, id est, Patrum limbum descendisse, ibidemque ipsi coniunctum fuisse. Quid nouo opus miraculo? vt, videlicet, corpus magna terræ spacia penetraret? Quid etiam frustra iter à sepulchro ad infera loca suscipiendum? & hinc rursus ad supera, quæ monti Thabor (vbi Transfiguratio exhibita) fuerunt viciniora, redeundum? præsertim, quãdo facilius anima ad corpus, quàm corpus ad animam peruenire potuerit?

50. Verisimile quoque non est, & animam & corpus Moysis, separata, ad locum Transfigurationis fuisse translata, atque ibidem inter se vnita: tum quòd hic plurium ministeria frustra debuerũt requiri, quæ pauciorum opera potuerunt perfici: tum etiam, quòd credi cum ratione possit ita ad Transfigurationis locum venisse Moysen, quemadmodum Elias venit, iam plenus perfectusque homo.

51. Probabilius igitur dicitur, nudam Moysis animam ex limbo venisse, sepulchrum suum repetijsse, ibidemque priori suo corpori vnitam: atque inde vnà cum corpore ad Maiestatem Christi condecorandam montem Thaborinum petiuisse.

Quo auctore anima Moysis ad corpus redijt, eidemq; vnita est.

Quo

Quo porrò authore hæc perfecta? Non vno suspicor, eodemq;. 52.
Habuit hic suas partes & anima, & Angelus, & Deus Opt. Max. sed alias & alias vnusquisq;. Anima sui motus ex limbo ad sepulchrum, fortè, præcipuum fuit principium (quamuis Angelus & hic operã suam locarit.) Angelus pulueres, in quos corpus resolutum fuisse potuit, collegit. Deus Opt. Max. animam corpori coniunxit, vitãq; restituit. Hæc hîc idcirco accidisse putam⁹, quòd his similia in mortuorum Resurrectione communi accidere credamus.

Quo duce & vectore Moyses venerit ad locum Transfigurationis.

His nunc sic constitutis, facilior est ad tertiam quæstionem, de 53.
duce itineris atque vectore responsio. Dux hic atq; vector fuit Angelus: Ille ex sepulturę loco Moysen ad montem transuexit quemadmodum alius Eliam duxit & vexit. Indiguit Moyses duce, qui viam demonstraret: indiguit vectore, qui tam breui, vt iter hoc confectum creditur, tempore ad Transfigurationis locum transferret.

Qua maiestate Domino adfuerit Moyses.

Et cum maiestate Domino adfuit Moyses, visi sunt (loquitur de hoc & Elia Euangelista) in maiestate: maiestate quæ ex Domini cla- 54.
ritate ad ipsos peruenit, vt superius dictum est Capite primo Num. 35. qua profectò conueniebat eos Domino adesse, & ad maiorem gloriæ Christi commendationem; & ad hoc, vt intelligerent gloriã, quam in Christo videbant, non illi fore propriam; sed communicãdam etiam his, qui Christum in Cruce ferenda sequuntur: quemadmodum per hanc Christus in suam gloriam erat ingressurus.

Atque hæc de Personis, quæ cum Transfiguratione fuerunt cõiunctæ, dixisse sufficiat. Nunc causas præsentiæ harum inquiramus. 55.
Hîc aliæ esse possunt, cur duos testes Apparitioni suæ gloriosæ voluerit esse præsentes Dominus: aliæ, cur voluerit adesse ex alio mũdo: aliæ, cur præ cæteris hos duos Eliam & Moysen delegerit. Triũ igitur causæ inquirendæ.

Cur Dominus duos testes gloriosæ suæ Apparitioni voluerit adesse.

Primum illud maximè voluisse videtur ad Apostolorum fidem de Domini Transfiguratione confirmandam. Minus, profectò, du- 56.
bitare potuerunt, quando non solum Dominum in gloria viderũt; verùm etiam cum Domino præclarissimos viros, eosque gloriæ Domini factos participes; & cum Domino de rebus grauissimis, & ad salutem humani generis pertinentibus differentes.

Cur ex alio quasi mundo hos testes assumpserit.

 Alterius

Alterius illius, cur ex alio mundo testes asciuerit, Hilarius hanc dat causam; quòd Resurrectionis fidem, suscitatu Moyse voluerit confirmare. Alij, quibus hæc ratio nõ arridet, volunt hís duobus
57. ad viuum repræsentatum esse Christi futurum Regnum, sub cuius aduentum duo testes sint mittendi.

Cur ex omnibus assumpserit Eliam & Moysem.

Tertij plures causas asignant S. Patres. Chrisost. hom. 57. in Matthæ. Hilarius can. 17. in Matth. Damascenus, Oratione de Transfiguratione, Leo Magnus sermone de Transfiguratione, D. Thomas
58. ex ijsdem septem asignat, art. 3. q. 45. 3 partis his verbis. *Moyses,* inquit, *& Elias, in medium adducuntur propter multas rationes. Prima est hæc. Quia enim turbæ dicebant eum esse Eliam aut Hieremiam, aut vnum ex Prophetis, capita Prophetarũ secum ducit, vt vel saltem hinc appareat differentia seruorum & Domini. Secunda ratio est: quia Moyses legem dedit. Elias pro gloria Domini æmulator fuit. Vnde per hoc, quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Iudæorum accusantium Christum, tanquam transgressorem legis, & blasphemum, Dei sibi gloriam vsurpantem. Tertia ratio est; vt ostendat se habere potestatem mortis & vitæ: & esse Iudicem mortuorum & viuorum, per hoc quod Moysen iam mortuum, & Eliam adhuc viuentem secum ducit. Quarta ratio est, quia, vt Lucas dicit, loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Hierusalem, id est, de passione & morte sua. & ideo vt super hoc discipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium, qui se morti exposuerunt pro Deo. Nam Moyses cum periculo mortis se obtulit Pharaoni: Elias verò Regi Achab.* Quinta ratio est, quia volebat, vt discipuli sui æmularentur *Moysis mansuetudinem, & Celum Eliæ. Sextam rationem addit Hilarius can. 17. in Matth. vt ostenderet, scilicet, se per legem, quam dedit Moyses, & per Prophetas, inter quos fuit Elias præcipuus, esse prædicatum. Ita S. Thomas.*

Et sextam hanc rationem ad hoc plurimum valuisse quidam docent, vt calumniam Pharisæorum retunderet, qui Dominum legi, & prophetis dicebant esse contrarium. Omnino hos refutat, dum
59. vetus Testamentũ pro se adducit; quod facit, quando hos duos pro se habet: Vetus .n. Testamentũ lege & prophetis cõtineri, pluribus Scripturæ locis clarum est. S. Paulus *iustitiam Dei in Euangelio manifestatam, dicit testificatã à lege & prophetis.* Rom. 3. &, Philippus, Ioan. 1. dixit Nathanaeli: *Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ, inuenimus Iesum à Nazareth.* & frequenter Dominus legẽ & Prophetas cõiungit, significans totam veteris Testamenti Scripturam. *In his,* inquit, *duobus mãdatis vniuersa lex pẽdet & prophetæ,* Matth. 12. &, *hæc est enim lex & Prophetæ,* Matth. 7. &, *Omnes enim prophetæ & lex vsq; ad Ioan.* Matth. 11.

Dictis

Dictis omnibus rationibus aliam addit Leo Magnus, sermo. de Transfiguratione Domini. Apparuisse vult legislatorem; vt ostenderetur possibilia fieri mandata per gratiam: & Eliam insigné Prophetam, vt doceretur prophetiam verá fieri per Christi præsentiam. 60.

Adde ex Tertuliano, lib. 4. contra Martio. cap. 22. apparuisse Moysen & Eliam, quando Pater dedit testimonium Filio, eumque nos audire præcepit, *vt intelligatur* (inquit) *facta translatio auditionis à Moyse legislatore, & Elia, æmulatore legis, à Creatore, in Christum eius secundum decessionem veteris, & successionem noui Testamenti. Tradit igitur Pater Filio discipulos nouos; ostensis prius, cum illo Moyse & Elia, in claritatis prærogatiua, atque ita dimissis, quasi iam officio & honore perfunctis*. Hanc rationem, tetigit etiam, Epiphan Hæres. 42. confut. 17. 61.

Adde ex Tostato, q. 51. in ca. 17. Math. quòd horum duorum præsentia Christi potestas & dignitas maximè demonstraretur. Neque enim hi paruo loco, imò præcipuè inter eos fuerũt, quos Vetus Testamentum celebrauit. Nam Moyses quidẽ magnorum; operũ atq; prodigiorũ multorũ fuit patrator: *Non surrexit*, dicitur Deut. 34. *vltra Propheta in Israel, sicut Moyses in omnibus signis & prodigijs*: Elias verò non minus, quã Moyses rebus præclarè gestis claruit: Ipse primus mortuũ ab inferis ad vitã reuocauit. 3. Reg. 17. Ipse lõgo tẽpore prodiosè à coruis, ita Deo volẽte, past9 est. ibidẽ. Ipse diuinitus fecit descẽdere ignẽ super sacrificia, 3. Regũ 18. Ipse & super duos quinquagenarios euocauit ignem è cælo quo miserabili casu cũ suis illi consumpti sunt. 4. Reg. 1. 62.

Idẽ Tstaotus aliam rationem ex horum, & Christi similitudine, hîc putat habuisse locũ. Quẽadmodũ enim Dominus 40. diebus ieiunauit; ita Moyses quadraginta dies mãsit sine cibo, *Exo*. 32. & *Deut*. 9. ita & Elias, sumpto pane subcinericio, in eius fortitudine quadraginta diebus & quadraginta noctibus ambulauit. 3. Reg. 19. Et quidem hi soli tale ieiunium sustinuerunt; quemadmodum & soli dominicæ Transfigurationi fuerunt præsentes. 63.

Verissimã, inquit, Maldonatus in 17. Matth. *ego causam, cur Moyses & Elias apparuerint, esse arbitror, quam doctus quidam nostri temporis interpres indicauit, quod voluerit Christus futuri aduẽtus sui imaginẽ repræsentare: Ante secundum autem eius aduẽtum Moyses & Elias venturi sunt, quẽadmodũ, ex Apocalyp. cap. 11. haud obscurè colligitur. Et dabo*, inquit, *duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis, sexaginta amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini stantes. Et si quis eos nocere voluerit, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. Et si quis vo-* 64.

luerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælū, ne pluat diebus prophetiæ ipsorū (quibus verbis Elias) & potestatem habent super aquas conuertēdi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint (quibus verbis Moyses apertè describitur) Ita Maldonatus. Nos alias de hac re.

CAPVT QVARTVM.

De duplicibus rebus, Nube, scilicet, & Voce, quæ cum Thaborina Christi in gloria Apparitione fuerunt coniunctæ, & priori parte de ipsa Nube inquiritur.



1. SEcundus ordo eorum, quę cum Transfiguratione Domini fuerunt coniuncta, continet res duplices, quemadmodum superius cap. 3. dictum est: Nubem, scilicet, & vocem. Vtriusque meminerunt tres Euāgelistæ; qui & officium Nubis in hac Transfiguratione indicarūt, & materiam Vocis prodiderunt. Sic enim loquuntur: *Hæc autem adhuc illo loquente; Ecce facta est Nubes lucida: & obumbrauit eos: & timuerunt intrantibus in Nubem. Et ecce Vox facta est de Nube dicens. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite.* Nos vtramq; scrutabimur, & primò Nubem.

2. Nubes autem triplicium quæstionum postulat solutionē: quarum aliæ sunt physicæ, & conditionem ipsius inquirunt: aliæ historicæ, & ad veritatem rei gestæ pertinent: quędam morales, & causas

vrgent,

vrgent, quæ Christo in Nube, & tali Nube assumenda propositæ esse potuerunt. Vbique verò sunt plura, quæ interrogantur.

3. Physica esse possunt; vtrum hæc nubes, vera fuerit, quales sunt, quæ mediam aeris regionem obsident: Cuius item ordinis fuerit: Quanta fuerit mole & magnitudine: Quæ ipsius figura: Quis color; per quem sub aspectum venerit: Quis eiusdem auctor, siue cuius ministerio & producta, & figurata: An, & quid in ipsa fuerit insolitum & præter naturam.

Historialia sunt: Quodnam fuerit officium, seu munus Nubis. In quos hoc officium exercuerit: Quo tẽpore exercere cœperit: Quò deuenerit: Quando exercere desijt. Hæc omnia ad historicam veritatem faciunt. 4.

Inter Moralia pauciora sunt, & prę̨ter duo vix alia. prius est, Cur ad Transfigurationis gloriam Dominus Nubem voluerit esse adhibitam. posterius, Cur splendidam esse voluerit. Quòd si quæ alia sunt, ex dictis ipsorum solutio manifesta est. A Physicis ergo initium faciamus. 5.

An vera Nubes fuerit in Domini Transfiguratione. 6.

Nubes igitur hæc vera Nubes fuit; eiusdem cum ijs, quę in media aeris regione resident, speciei. Et hoc quidem primum nomẽ ipsum Nubes insinuat: tum deinde ratio cõfirmat; cùm, cur verã fuisse negare debeamus, causam habeamus nullam; & hæc, quemadmodum superę illę ex vapore, vi astrorum ex humentibus locis euocato, atque circumstante frigore coacto producta esse posit; ne dicam ex supero ad Transfigurationis locum translatam.

Cuius ordinis Nubes illa fuerit. 7.

Cùm verò duplicis ordinis Nubes sint: quædã ficciores, quas infœcũdas dicere possumus; quòd quãuis ventis incitentur & impellãtur, non tamẽ aquã effundant, sed euanescant in naturam aeris: quædam irriguo magis humore scatentes, proindeq́; fœcũdę, & ad pariẽdã pluuiã idoneę, hęc ex priorũ ordine esse videtur; propterea quòd nulla pluuiæ ratione habita ad Thaborinã Trãsfiguratione͂ sit ascita.

Quanta fuerit eadem Nubes. 8.

Magna ipsa fuisse nõ potuit. Vt quid enim opus erat molis magnitudine excelleret? Suo finu debuit tres tantũ homines excipere, & quidem loco non multum distantes, quemadmodum mistus inter ipsos sermo probat. Quocirca quantum illi spatium, tantum Nubes, aut non multo maius, hoc est, paruum debuit occupare.

Quæ eius fuerit figura. 9.

Hinc etiã, quæ figura eius fuit licet conijcere. Lõgè alia fuit, quã

 illius

Quosnam Nubes in se susceperit.

Quos verò *in se* suscepit? quos obumbrauit? De tribus videtur 35.
quæstio esse posse: de Christo, de Apostolis tribus, de duobus alterius sæculi testibus. Postremi hi habent satis magnum pro se argumẽtum: Christus aliquod: Apostoli minus. Nam pro primus est S. Lucas, qui ipsos dicit introijsse in nubem. Pro Christo sunt pleriq; Patres, qui nube Apostolis opposita existimant effectum esse, vt maiestatem vultus ipsi potuerint intueri. Pro Apostolis videtur esse S. Matthæus, cuius oratio, vtrum Eliam atque Moysen comprehendat, an Apostolos, dubitari potest. Sed vt vt hoc sit, etiam Apostolos fuisse in nube, & per nubem obumbratos, disertè asserit Tostatus in 17. Matthæi, Euangelij verba exponens.

Apostolos tamen nubes non comprehendit. Quoniam non nisi 16.
hæc officia nubes habere potuit. scilicet, vel testari sua præsentia diuinitatem Christi; vel impedire, ne splendore vultus Christi, Apostolorũ oculi perstringerentur: vel esse vehiculum testiũ Christi ad sua loca: vel instrumentum orationis & vocis, testantis præsentem Christum, dilectum esse Filium Patris. Quid hîc habent Apostoli?

Comprehendit autem Eliam atque Moysen. Id quidem pluralis 17.
numerus indicat, quo dicũtur *ipsi* obumbrati à nube: sed clarius Lucas; dum dicit ipsos nubem *ingressos*. Et profectò horum causa potuit maximè nubes fuisse adducta; vt beneficio vel officio nubis hi ex Apostolorum oculis raperentur; quemadmodum post ex Apostolorum oculis Christus, quando cælos ascendit. de quo Lucas in Actibus Apostolorum.

An etiam Dominum comprehendit? pictores, qui literatorum 18.
oculis Transfigurationem Domini offerunt, ita illam exprimunt, vt Christi totam Apparitionem peractam insinuent in nube. quocirca ex horum sententia clarum est à nube Dominum obumbratum fuisse. Idem clarius indicant Auctores illi, qui, quando nubis causas afferunt, inter alias hanc assignant, quod quasi fregerit radios splendoris faciei Christi, atque ita effecerit, vt firmius in illam oculorum aciem potuerint intendere.

Verum pictorum arte parũ mouemur. Tritum est illud. Pictori- 19.
bus atque poetis *Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Et parum etiam pôderis habet ratio allata. Quoniam quãuis eximia claritate & luce Domini facies radiarit, nullã tamen molestiã illa Apostolis potuit afferre; propterea, quòd, non illa conditio sit splendoris corporũ gloriosorũ (qualis hic Christi fuit) quæ est solis, aliorũq; inferiorũ corporum. hic aciem oculorum hebetat: ille, quamuis maximus, recreat.

Et

partem,in destinatum à Deo ipsis locum:quomodo idem olim dictus est translatus *in cælum,per currum igneum*,igneósque equos.

Pro hac re egregium argumentum præbet B. Petrus, qui 2.capit. 26.
1.vocem,quam nubes reddidit,*diuinitus*,siue *de cælo* dicit factã: quia scilicet,nube iam altius à terra eleuata,vox ex ipsa audiri visa est. Idem insinuant Euangelistæ,quando de nube dicunt vocem factam: quasi ex altiori nube deorsum ipsa sit lapsa. Hæc pro veritate historiæ.

Causæ restant explicandæ, cur & nubes Dominicæ Transfigurationi affuerit:& nubes hæc lucida fuerit. Hæ ad quæstiones Ethicas,siue morales,pertinent. Posterioris autem facilius dari possunt, quia,fortè,sunt pauciores,& non ita à voluntate pendentes:prioris difficilius;quia plures,& magis voluntariæ. 27.

Cur in lucida Nube Transfiguratio perfecta.

Lucida igitur, & candida nubes esse potuit ; quia splendorem à 28.
luce,quam Christi corpus diffundebat, accipiebat: aut etiam, quia rarior erat,ideoque,vt cæteræ rariores,illustrior. Quòd si hæc cum caliginosa illa,in qua Deus,legem daturus,Moysi apparuit, conferatur;& huius diuersitatis causa quæratur, mysticam hanc dare possumus ; quòd vtriusque Testamenti proprietas hac nubis differentia significetur: detúrque intelligi vetus plenum esse vmbris; nouũ exhibere ipsam veritatem.in illo Deum se præbere metuendum,in hoc amabilem.

Cur Nubes adhibita est, & quibus illa seruiuit.

Porrò nubes ipsa varias ob causas adhibita fuisse videtur.Et aliæ 29.
quidem testibus Transfigurationis, Moysi, & Eliæ seruiunt: aliæ Christo,aliæ voci, quæ Christo testimonium dedit: aliæ Deo Patri:quædam etiam Apostolis: Testibus fuit quasi vehiculum: Christo decus & ornamentum: voci quasi instrumentum : cælesti Patri quasi os: Apostolis quasi vmbraculum.

Abripiendi erant testes à Christo,& Apostolis. Commodius, quã 30.
per nubem,auferri non potuerunt. Quemadmodum non sunt visi Dominum accedere,ita conueniebat,vt non viderentur discedere à Domino.hoc,quomodo,quàm per nubem,potuit commodius fieri? Neque enim conueniebat, vt disparerent, aut inuisibilium Angelorum opera inde raperentur , ne in dubium ipsa Apparitio veniret,cuius testes,an verè affuissent,sic dubium esse potuisset.

Ad Christi verò gloriam non parum fecit. Sic Deo Patre non iu- 1.
dicatur inferior; [illegible] vt illi,ita Christo [illegible] bes deseruit. Seruiuit & Domino,ad deponendam,cum minori admiratione Apostolorum,

Si vultus

vultus vestiumque claritatem. Et conueniebat, vt quemadmodum Apostoli non viderunt Dominum gloriam vultus, splendoremq; vestium assumentem; ita non viderent deponentem: quod beneficio Nubis potuit fieri commodissimè.

32. Voci quoque, quæ Christo testimonium perhibuit, seruiuit. Neque enim hæc in Nube tantùm, sed quoq; per Nubem facta est. Hoc quia in altera huius Capitis parte docendum, hic pluribus presequi necesse non est.

33. Et cælesti Patri seruiuit. fuit enim ad ostēsionem præsentiæ Dei Patris. Vnde & vox Patris è Nube dicitur facta, quæ non ita potuisset cognosci, cuius fuisset, nisi Nubes Dei præsentiam declarauisset. Nec enim nouum est Nubem præsentię Dei argumentum esse. pluribus Scripturæ locis id doceri potest. Nec huius ratio desideratur. cælestibus Nubes res est vicinior, ideoque Dei quasi tabernaculum dicitur, *Nubes & caligo*, dicitur Psalm. *96. in circuitu eius*. Et Salomon, cùm templum Nubes, siue nebula impleßet, *Dominus dixit*, dicebat, *vt habitaret in nebula*.

34. Apostolis Nubem hanc seruiuisse docet Ambrosius; vt, scilicet, loquentis Dei maiestatem, interposita Nube ferre possent. & bene. Nam eandem ob causam etiam Moysi Dominum per Nubem locutum legimus. *Veniam*, dicitur Exod. 19. *ad te in caligine Nubis, vt audiat me populus loquentem.*

Altera, sequenti parte agitur de Voce Patris audita in Apparitione Thaborina: & inquiritur,

De voce

De voce, quæ diuinitus in Domini Transfiguratione est audita.

NVbem vidimus,& inspeximus. Sequitur Vocem audiamus,& discutiamus.illa De Euãgelistę duo insinuãt: Vnde videlicet profecta;& quòd ipsius argumentum: Primum quidem his verbis: *Et ecce vox facta est de Nube:* alterum verò sequentibus: *Hic est Filius meus dilectus,in quo mihi bene cõplacui,ipsum audite.* Vtrumque dignum attentiori consideratione.docet hoc Aduerbium demonstrandi *Ecce.* 35.

Et quamuis posterius plus ponderis habeat, magisq; nobis commendatum esse debeat; prius tamen non leuiter prætereundum à veritatis studiosis,qui vt hic plura velle possunt scire, ita ipsis pluribus est respondendũ. Ostendendum verò, Anne aliqua externa hæc vox fuerit, quæ ad Apostolorum aures peruenerit: Vera etiam atque propriè vox fuerit: Cuius fuerit: Quis ipsius auctor: Vbi formata: Quo loco Nube existente formata; Quanta fuerit; Cuius idiomatis; Quando prolata. 36.

An externa vox fuerit,quæ audiri visa est in Transfiguratione Domini.

Primùm non sine causa quæritur: Quemadmodum enim contingit, vt videre nobis quædam videamur, quæ extra visum non sunt; sed vel species sui tantùm in oculis habent, vel imaginatione tantùm accipiuntur interna: ita & audire quædam, quæ vel in solo sunt auditu, vel sola imaginatione. Quæritur igitur, An in horũ genere sit nostra, quæ Domino testimonium dedit, Oratio & Vox? Respondetur verò externam Vocem fuisse; & ab externo corpore ad Christi Apostolorumque aures translatam: quoniam vt Euangelistæ loquuntur, *de Nube*, quæ vtique extra Apostolos fuit, descendit. 37.

An vera vox fuerit.

Sed tamen quę externa vox fuit, auresque Apostolorum ferijt, non vera Vox fuit, si Vocis nomen propriè accipias. Multa requiruntur ad Vocem, quæ hîc desiderantur, imprimis illud, quòd animantis non fuerit. Vox igitur dicitur, ad similitudinem vocis. quẽadmodum Imperatoris imago Imperator: quia Imperatoris similidinem exprimit: & spicæ atque vaccæ, quas Pharao vidit *spicæ* dicũtur, & *vaccæ*, non rei veritate, sed veritatis similitudine. Alioqui, si propriè loquendum, melius articulatum sonum dixeris, quàm Vocem viuentis. Ita B. August. epist. 102. 38.

Patris autem Vox fuit. Hunc ipsa prodit. Quemadmodum enim 39.

Ioseph prodidit Patrem suum esse Iacobum, dum se in Filium eius compellunt; ita vocem hanc esse suam Deus Pater; quando Filium esse Christum hac voce testatus est. Et quis, quæso, alius dixisse potuit: *Hic est Filius meus*, nisi Pater, qui eundé genuit; & solus genuit? De hac Voce pulchrè Cyprianus serm. de Baptis. sic. *Huc vsque Domine sancte Pater, non audiuimus te ita loquentem; vt personaliter tibi assignetur locutio, quam proferres: Hanc Vocem à paternitate tua delatam nemo est, qui ambigat. Non est, qui sibi hoc verbum audeat arrogare.*

40. Patris autem Vox fuit, quia in Patris persona prolata est: non quia Pater ipsius author & architectus fuit. Quemadmodum imaginem hanc Imperatoris dicimus, non quia ab Imperatore picta; sed quia imperatoris personam repræsentat. Non plus in voce hac formanda operæ posuit Pater, quàm Spiritus sanctus: quàm & ipse Filius, si quidem diuinitatis eius ratio habenda sit; cùm *opera Trinitatis*, vt dicimus, *ad extra sint indiuisa.* Sed tamen Spiritus sancti hanc Vocem non dixeris; qua non huius Filius Christus est: multo minus Christi dixeris; quia non ipse sibi Pater est. Patris optimè dixeris, quia in persona Patris, non Spiritus, aut Filij, prolata. Ita Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 9.

Quis auctor fuerit Vocis auditæ.

41. Quis igitur auctor eius? Angelorum aliquis, qui vt hominum, ita sunt Dei administratorij Spiritus: per quos, quemadmodum Deus frequentissimè in veteri Testamento fuit exhibitus & auditus, ita hîc non quidem exhibitus, sed tamen auditus.

42. Nec tamen falsum quid, aut impium Angelus hîc loquitur; quasi Christi ipse pater sit; nec Christus ipsius dilectus Filius; quia quod loquitur, non in sua, sed Dei Patris persona loquitur; cuius verus naturalisque Filius fuit Christus. Sic neque impia & falsa fuit oratio illius Angeli, à quo prodijt vox hæc: *Ego sum Dominus Deus tuus.* De hoc plura in lib. de Apparitionibus Spirituũ & de Diuinis Vet. Test. Apparitionibus.

Cur Pater Filio testimonium dedit.

43. Sed cur Pater Filio testimonium dare voluit? Nonne sufficiens fuisset, si Angelorum aliquis id in propria persona præstitisset? Angelus dixisset *Hic est Filius Dei dilectus, in quo ipsi complacuit.* Et cur eadé forma testimonium non dederunt, qui in maiestate Christo præsentes erant, Elias & Moyses? Respondeo, rei grauitas talem testem postulabat. Et optimè Filio testimonium potuit dare, qui optimè filium, & solus, bene Filium nouerat, Pater. Generationem enim quis, præter Patrem, enarrabit?

Tu:

Vnde constabat vocem esse Patris, quæ audiebatur.

Et vnde constare potuit Apostolis, Patris vocem esse, quæ audiebatur? cùm vocem tantùm audirent, neminem autem viderent? Quid si illis impositũ fuisset? Respondeo iam ante de Christo ipsos opinionem habuisse, quòd Patris cęlestis esset Filius. hîc verò Patris vocem fuisse, quę audiebatur, potuisse conijcere, tum quòd aliâs, in Christi baptismo hac ratione Patris vox esset prodita; tum quòd non ignorarent in Veteri lege hanc consuetudinẽ habuisse Deũ, vt de Nube mortalibus loqueretur: tum etiam, quòd nubes præsentiæ Dei maximum esset argumentum. Taceo, quòd iniectus ipsis terror etiam hîc valere potuit, quemadmodùm & valuit apud Israelitas, Exod. 19. & præterea nubis maiestas; quæ quanta fuerit, indicat Petrus 2. cap. 1. quando eandem vocat *magnificam gloriam.* 44.

Vbinam formata Vox.

Formata est Vox in nube: non extra nubem. Optimè, quia de nube prodijt. Quæ verò in nube formata est, in nube non hæsit: illã egressa peruenit ad aures discipulorum. *V*trum per se, an per nuntium, id est, sui speciem, ex quantitate eiusdem iudicium accipiendũ. Peruenerit per se, si validior fuit: peruenerit per sui speciem; si remissior. 45.

Quando formata.

Verùm quoniam nubes non eundem locum semper obtinuit; sed nunc terram quasi lambit, nunc à terra fuit eleuatior, queritur, Vtrum ex nube vox prodierit, quando terræ adhæsit, & Dominum cum testibus complexa fuit; an potius, quando iam altius erat eleuata à terra. Respondetur ex nube prodijsse, quando iam in Cælum altius fuit eleuata. Insinuant hoc quidem Euangelistæ, quando *de* nube dicunt vocem factam; sed apertius ostendit B. Petrus, dum asserit vocem hanc *è cælo lapsam* 2. cap. 1. De cælo enim vox rectè labi non dicitur, quæ non ex supero loco descendit. 46.

Quanta fuerit Vox.

Sed an validior fuit? an remisior, & amica? validiorem fuisse vix credi potest: quod nõ, quemadmodũ olim, timorẽ voluit incussum sua voce Israelitico populo Deus, ita eundem nunc velit esse in animis Apostolorum. Amorem iam Dominus postulat, potius quàm timorem. Olim ipsius vox fuit, *Quis dabit vt talem timorem habeant semper*, Deut. 5. nunc alia Filij (vtique & Patris) *Venite ad me omnes. Discite à me quia mitis sum*, &c. Matth. 11. 47.

Nec opus erat voce grandiore. Apostolis vox facta est. Apostoli illam intelligere debebant. At hi non ita multum à Domino dista- 43.

bant. Potuerunt igitur remissiorē ... intelligere. Est forsitan & hoc argumētū remissioris V... ... ... hi tantū, qui pręsentes Domino fuerunt, vocem intellexerint; nō illi, qui longius dissiti.

Quo idiomate Vox prolata.

49. Hæc facilius dicuntur, difficilius, forsitan, illud, quo idiomate Pater sit vsus. Sed nec hoc tam difficile. Eo vsus est, quod intelligere potuerūt Apostoli. quia, vt ab his intelligeretur, loquebatur. An igitur Germanico vsus? Non fuisset intellectus. an Gallico? Nec hoc callebant Apostoli an Italico, Hispanico, alieno peregrino? At quis hæc hisq; similia in idiotis requireret piscatoribus? Quo igitur vsus Pater? Hebraico, si non Syriaco, quod tum in vsu apud Apostolos aliosque Iudæos. Vide de diuinis vet. Test. Apparit. lib. 2.

Quando prolata vox.

50. Vnum de voce restat dicamus, Quando videlicet prolata sit. Quando igitur? Post Apparitionem gloriosam Christi suorumque sociorum. Ita docent Euangelistę, & docere intelliget, qui diligentius verba ipsorum voluerit expendere. Nec aliud permittit sententiamus, ratio ipsa. Neq; enim potuit aut ante apparitionem, aut in ipsa Apparitione vox esse facta. Non ante: quia non ante nubes ipsa, vnde vox prodijt, quemadmodum nec apti, qui vocem perciperent, auditores. Non in ipsa Apparitione; quia cùm tres in maiestate apparerent, de quo sermo esset, potuisset grauis & iusta esse disputatio; cùm vnus tantùm vocetur dilectus Filius, non tres filij dilecti. Iam verò post Apparitionem factam, quando solus conspiciebatur Dominus; non Elias, non Moyses; optimè dici potuit, *Hic est Filius meus dilectus*, quia nulla iam erroris occasio, quando vnus tantùm cerneretur, in quem demonstratiuum pronomen *Hic* conueniret. Hæc curiosiora forsitan: sed tamen scitu necessaria. Nunc salubriora inquiramus: materiam, scilicet, & argumentum Orationis paternæ.

Quodnam argumentum orationis Patris.

51. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: Ipsum audite*, Argumentū hoc, & materia orationis Testimoniū, scilicet, Patris de Filio. Egregium sanè; planeque diuinum quo vniuersa humani generis salus continetur. Sed testimonium curiosius scrutemur.

52. Duas ergo res oratio siue vox Patris ex nube facta continere videtur. Altera ad intellectum pertinet: altera ad voluntatem. Priore instruitur mens, vt sciat quid sentire debeat: Posteriore affectus perficitur, dum Deum sequitur. Absoluta, scilicet, oratio. quia non auditores tum apud Deum iustificantur; sed etiam factores.

53. Et fidem quidem duobus modis *oratio Patris* vrget, primò, quādo hunc

do hunc Filium suum esse demonstrat. Quis enim Patri asserenti nõ credat? & cur aliquid Pater asserit, nisi vt asserenti credatur? secundò, quando Filium docet audiendum: hoc prorsus idcirco, vt loquenti credatur.

Quomodo Christus Filius Patris.

Est verò Dominus, Filius cælestis Patris per naturam; nõ per adoptionem; quo modo nos filij Dei Patris dicimur: quia vt naturalẽ 54
matrem habet in terra, siue Patre; ita naturalem habet Patrem in cęlo, sine matre: & quemadmodum ex matre in tempore factus est verus homo; ita ex Patre ante omnia tempora non factus, non creatus; sed genitus verus Deus; eiusdem omnino cum Patre substantię, voluntatis, potentiæ, sapientiæ, intellectus.

Et solus ipse Patris est Filius secundùm naturam. præter hunc 55
Pater nullum habet Filium: nullum habuit Filium; nullum habiturus est Filium: nullum habere potest Filium.

Qui tamen Patris est per naturam; etiam noster est per gratiam. 56
Neque enim errauit, qui dix[illegible]r *natus est nobis. Filius datus est nobis.* Isa. 9. Et datus est in socium, in edulium, in pretium, in pręmium. In socium, quando natus; in eduliũ, quãdo vltimò cœnatus: in pretium, quãdo in crucem suspensus: in præmium, quando feliciter absoluto huius peregrinationis cursu cæleste Regnum ingrediemur.

Quomodo Christus dilectus Filius

Dilectus hic Filius Patri diligendus nobis. Et meritò: propter eximia, quæ per ipsum habemus beneficia. Dilectus verò Patri; quia 57.
Filius: & non Filius, quia dilectus: quo nos à Christo distamus. Nos enim, quia diligimur filij: non quia filij diligimur: idcirco enim in adoptiuos filios ille nos assumit, quia nos diligit. & nos filij Patris, & Spiritus sancti, & ipsius: ipse solius Patris.

Duo grata vocabula, inquit B. Cyprianus, sermo. de Baptis. *Filius & dilectus*, ipso Deo dictante *nostris sensibus imprimuntur; vt communio nominum nos associet collegio munerum: & tanta dulcedinis nomina nostrum emolliant animum, accendantq́ deuotionis affectum.* 58.

Cur in Filio complacet sibi Pater.

Et non dilectus solum: etiam *complacet sibi* Pater in Filio: non ita 59.
tantùm, quia Filium vnicè amat: quia illo valde delectatur: quia in ipso quasi quiescit; sed potius, quia per illum placandus, & reconciliandus sit mundo. Hic Filius est, in quẽ, cùm intuebitur Pater, omnem iram atque offensionem deponet. Itaque per vocem illam cælitus.

ficus factam declaratum voluit Pater, & quòd hic sit eius Filius: & præterea, quorsum eum miserit: vt tantò, scilicet, libentius ab hominibus susciperetur.

60. Sed ad nos maximè pertinet, quod dicitur, *Iesum audite.* quo quidem non simpliciter auditum exigit Pater, sed fidem quoque atque obedientiam. Notum est verbum *audire*, sæpe in Scripturis poni pro morem gerere, atque credere.

Cur hic præcipitur audiendus Filius, non in Baptismo.

61. Et quidem hîc ad Patris vocem illud additum est: non quando eadem Patris vox audita est super baptizatū Christum. Fortè propter votum Petri, dolentis ab ira Moysen & Eliam. Fortè etiam ad confirmandos discipulorum animos, ne detrectarent ei credere, & obedire, etiam in his quæ docturus erat, aut in speciem diuersa ab his, quæ docuerunt lex & Prophetæ, aut carni inimica. Sed & propterea etiam additum esse credi debet hîc potius, quàm in baptismo, quòd ibi vox soli Ioanni facta videatur, cui ad omnia paratissimo, mandato opus non esset, vt a[illegible]et Filium dilectum, à qua perfectione abfuerunt fortè Apostoli. Rursus idcirco, quòd Christus in baptismo tantùm videatur fuisse demonstrandus primùm; hic tanquam doctor proponendus & legislator.

An solus Filius audiendus.

62. An verò ita Filius audiendus, vt præter ipsum alius nullus? Certè Caluinistæ hæc verba in memoria figenda dicunt, ne alium, quàm ipsum Christum audiamus. Sed ineptè. An non audiendi Parentes? *Audi fili mi*, inquit Salomon, *Pro. 1. disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* An non audiendi præpositi? *Obedite præpositis vestris*, inquit Apostolus, ad Heb. 13. *& subiacete illis: ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* An non audiendi Sacerdotes? *Qui superbiuerit*, dicitur Deut. 17. *nolens obedire Sacerdotis imperio; ex decreto Iudicis morte moriatur homo ille, & auferes malum de Israel; cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.* An non audiendi Apostoli, Apostolorumque successores? Christi oratio est: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit me, spernit.* Lucæ 10.

63. Dictis addendum, quòd sicut in Christi baptismo Trinitatis mysterium reuelatum est, Patre per vocem, Spiritu sancto per columbam demonstrato: ita & hic tota Trinitas sese voluisse ostendere videtur, Spiritu sancto in nube apparente. Ipse enim est illa nubes obumbrans, qua obumbrata Virgo Maria, Christum concepit: quæ nubes & nos obumbrans, carnalium desideriorum æstum in nobis extinguit, & ad cælestia à terrenis nos subleuat.

Et bene quidem in baptiſmo Chriſti, quod fuit ſacramentum primę regenerationis, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ apparuit: in Transfiguratione verò eius, quæ eſt ſacramentum ſecundæ regenerationis (quæ erit in corporum reſurrectione) in nube obumbrante: quia in prima regeneratione dat innocentiam; in ſecunda verò ſubleuatis in cælum dat ab omnibus malis ſecuritatem. 64.

Quantum robur teſtimonij, quod Pater filio dedit.

Hæc pro Teſtimonio Patris, pro inſtituti noſtri ratione. Ex his colligitur quanta eius fuerit auctoritas & grauitas. Id breuiter dicimus, Multos fuiſſe, qui Chriſti diuinitati teſtimoniũ dederint, nullius verò ad Patris cæleſtis, quòd expoſuimus acceſsiſſe. Non Iſaiæ, qui dixit cap. 9. *Et vocabitur Deus fortis.* Non Archangeli Gabrielis qui *altiſsimi dixit vocandum Filium.* Luc. 1. Non Petri, cuius confeſsio his verbis extat, Matth. *16. Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Nõ Apoſtolorum, nunc Matth. 14. quãdo dicunt *Verè Filius Dei es*, nunc Ioannis 4. quando in hæc verba erumpunt, *Nos credimus & cognouimus, quia tu es Filius Dei.* Nõ Nathanaelis, qui ita ad Chriſtũ, Ioan. *1. Tu es Filius Dei tu es Rex Iſreel.* Non Marthæ, Ioan. 11. quæ interrogata à Chriſto nũ crederet, *Ego,* inquit *credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei, qui in hunc mundũ veniſti.* Non Cęci nati, qui & ipſe interrogatus, Ioan. 9. num Chriſtum Filium Dei crederet, ſimiliter reſpondit: *Ego credidi*, moxque fidem rebus ipſis eſt teſtatus, quãdo procidens in terram eundem adorauit. Non Centurionis qui, Matth. 27. *verè*, inquit, *Filius Dei erat iſte*. Non hominis obſeſsi, de quo Marcus 5. quod dixerit. *Quid mihi, & tibi Ieſu, Fili Dei altiſsimi.* Non diaboli, qui Marci 3. clamabat, *Tu es Filius Dei.* 65.

Excellentius eſt omnium iſtorum hoc, quod in Thaborina Apparitone accepit Chriſtus: ſiue attendas dignitatem & auctoritatem teſtantis; ſiue pręſentiam conteſtium: ſiue materiæ, quæ in teſtimonium veniebat magnitudinem: ſiue myſteriorum, quæ in eodem continebantur maieſtatem, quemadmodum ex dictis eſt manifeſtum. 66.

Tt CAPVT



CAPVT QVINTVM.

De Actionibus, quæ interuenerunt in Thaborina Christi Apparitione, ijs maximè, quæ linguæ ministerio perfectæ sunt, in quarum genere sunt Colloquium de Christi Excessu, & oratio D. Petri: & de priori quæritur.

1. TErtium genus Coniunctorum Thaborinæ Apparitionis Actiones continet. Quamuis autem hæ variæ esse potuerint, Euangelistæ tamen vnius generis maximè rationem habuisse videntur, earum videlicet, quæ linguæ officium postulant, & sermone atque oratione perficiuntur: quæ & hoc Capite nobis inuestigandæ sunt. & principio quidem illa oratio siue sermocinatio; quæ perhibetur fuisse testium alterius vitæ, Eliæ, & Moysis: deinde, quæ tribuitur Petro. horum enim, quòd locuti fuerint, expressa facta est mentio.

2. In priori illa quatuor explicanda. principio, Qualis oratio siue locutio fuerit. Deinde, qui vel quot locutores. Tertiò, quæ locutionis siue orationis materia. Denique, qui extiterint orationis Auditores. Nam de his, si non ita magna, aliqua est difficultas.

Qualis fuerit oratio siue locutio, quæ interuenit in Christi Transfiguratione.

3. De primo quæstio esse potest triplex: prior an verè fuerit locutio, quæ instituta dicitur à testibus Christi: posterior, quo idiomate

peracta.

peracta posterius hoc ex dictis Cap. præcedenti putamus esse clarũ. Eo, quo Dominus vtebatur, idiomate, Hebraico, scilicet, peractam credimus. Prius illud plusculum difficultatis habet apud eos, qui vel neutrum testium, vel alterum negant autoprosopos, personaliter, Apparitioni affuisse. Hi enim, cum Angelorum opera, aut vtrumque aut alterum velint exhibitum esse, necesse est ipsis locutionem, atq; orationem tribuant, quo modo illa tribuitur Angelis: impropriè scilicet. Verùm quoniam verisimilius est vtrumque autoprosopos, anima & corpore fuisse præsentem, verisimilius quoq; propriam orationem atq; locutionem hic fuisse.

Quinam locuti sint in Transfiguratione Domini.

Qui verò locutores? Primùm plures locutos fuisse dubium non 4.
est. Plurales numeri, *loquentes*, *loquebantur*, *dicebant*, quibus vtuntur Euangelistæ, hoc insinuant. Vix etiam dubium, quin vterque Testium locus sit. Omnino enim ad vtrumq; plurales illi numeri referendi videntur. An quoque locutus Dominus? Et hunc locutum esse, quamuis disertis verbis non indicant, & non obscurè tamen insinuant; quando Moysen atque Eliam cum Domino locutos asserunt. Præcipuæ tamen partes videntur Testium in hoc Colloquio fuisse; quod illi referantur *dixisse excessum.*

Quæ materia orationis habita in Transfiguratione.

Materiam Colloquij, siue orationis S. Lucas prodit. Fuit illa *ex-* 5.
cessus, quem Dominus subiturus erat in Hierusalem. Dicebant, inquit, *excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Excessum omnes exponunt *passionem*, siue mortem: & bene, vt Græcum probat ἔξοδον.

Verùm vnde excessum Testes illi scire potuerunt? vnde cognouisse Christum, qui excessum erat completurus? Et quoniam multa 6.
excessus ille in se complectebatur, an omnia oratione sua sunt prosecuti? an aliqua? & quomodo illa tractarunt? Cur quoque de excessu præcipuus sermo fuit? His respondendum breuiter.

An excessum Domini sciuerint Moyses & Elias
ante Transfigurationem.

Sciuisse Mesiæ siue Christi excessum dictos Testes, Moysen, at- 7.
que Eliam antequam ad Apparitionis locum venirent; & non ibidẽ institutos esse nemo, cum ratione, negauerit. Neque enim Euangelistæ referunt Christum retulisse suum excessum: sed potius Testes hos Christi excessum prædicasse, eiusque meminisse. An verò de re sibi incognita loqui potuerunt? Sed vnde scire potuerunt? Hoc primò quæritur.

Vnde Domini excessum sciuerint Moyses & Elias.

 Non

8. Non dubito, quin & illum, & de illo multa cognouerint, quando communem nobiſcum vitam egerunt; quorum memoria ipſos non reliquit. Prophetæ enim fuerunt: & quidem inter Prophetas facilè principes; & ex quorum alterius (Moyſis) libris Dominus multa pro paſsione ſua aſtruenda argumēta aliquando petiuit; quādo duobus diſcipulis Emaus petentibus neceſsitatem Paſsionis ſuæ demonſtrauit. Sed qui in hac vita conſtituti quædam cognouerunt; illos in alia, plura intellexiſſe, aut ab ijs, cum quibus communi loco detinebantur, aut etiam reuelatione diuinitùs facta, tā eſt veriſimile, quàm quod verum.

Vnde Dominum cognouerint Moyſes & Elias.

9. Adducti verò ad Thaborinę viſionis locum, Chriſtum, ſi iam facies, & eius veſtimenta ſplenduerunt, facilè potuerunt cognoſcere; præſertim, cùm, vt Appatitioni intereſſent, ex ſuis domicilijs ſe ſcirent euocatos. Quod ſi in ea maieſtate nondum Dominus erat, potuerunt inſtituti eſſe à vectoribus Angelis, aut diuiniori quodam inſtinctu & reuelatione; aut intuitu Chriſti; cuius vtique vultus diuinum quid præ ſe tulit, vt etiam Lentulus quidam notauit. Quanquam & ab ijs qui ad Moyſen circa illa tempora, ex hac vita excedentes, deſcenderunt, Dominus Moyſi (vt & alijs in Limbo Patribus) potuit eſſe deſcriptus.

Quid de Exceſſu Chriſti tractatum in Transfiguratione.

10. Præſentes ergo Chriſto, de Exceſſu eius colloquium inſtituerunt. An tale, quod vniuerſam eius ſeriem explicaret? Non ſuſpicor. Quāto enim ad hoc opus tempore? Capita aliqua attigiſſe eſt veriſimile; quemadmodum & alias Dominus, ſi quando de Exceſſu ſuo loquitur, ſumma & pauca, capita attingit: fortè, quod veriſimilius eſt, in genere, Paſsionis & Exitus facta eſt mentio.

An in Exceſſu aut didicerint aut docuerint aliquid Teſtes Transfigurationis.

11. Sed quo modo? vt vel diſcerent à Domino, vel Dominum ipſi docerent? Nec hoc, nec illo: ſi in genere de Exceſſu fuit ſermo. Sed neque, ſi ſumma capita ſunt tractata. Non eguit Dominus Magiſtro. à primo ſuæ conceptionis inſtanti non minus vniuerſam Exceſſus ſeriem futuram perfectè nouit, omneſque eiuſdem circumſtantias, quàm ſciuit, poſtquam omnia in ſuo corpore eſt expertus. Nec Teſtes dicti ad Dominum, tanquam diſcipuli venerunt, inſtituendi, ſcilicet de eius Exceſſu. Inſtituti abunde erant, vt diximus: & Exceſſum Chriſti, ipſe dicere non potuerunt (dixiſſe refert S. Lucas) ſi ignorarunt.

Sermo

Sermo igitur ipsorum cum Christo familiaris fuit; de rebus notis: non disciplinalis, non doctrinalis. Sed tamen didicisse aliquid Testes potuerunt: & Christus aliquid cognouisse ab ipsis singulare. Quid verò? Illi tempus passionis: hic grati animi significationem, & præterea, desiderium, quo petierunt perfici opus redemptionis humanæ. Est & hoc probabile quod gratias egerint Domino; tanquam insigni humani generis redemptori: & propositis eximijs fructibus Dominum ad sumendum passionis calicem animarint; quemadmodum in horto animauit Angelus. 12.

Cur in Transfiguratione de Excessu Domini sit tractatum.

Cur porrò hîc de Excessu potius sermo institutus, quàm alia materia; rationem quidam hanc dant: quòd abhorruerint Apostoli ad mentionem mortis Domini paulò ante factam; & illam veluti absurdam rem habuerint; vnde inquiunt, oportebat eos horum Testium auctoritate confirmari: vt intelligerent easdem illas Scripturas, quæ Christum promiserant, etiam hanc eius mortem prædixisse; & iam olim sic à Patre ordinatum esse, vt mortem subiret. Et hactenus de Colloquij materia. 13.

An Apostoli audiuerint Colloquium Christi, Moysis & Eliæ.

Restat adducamus Auditores Orationis habitæ. De Testibus, & Christo res certa est. Inter hos intercessit sermo. Dubium de Apostolis, vtrùm hi loquentes audiuerint Collocutores. Potuisse audiuisse probat Petri oratio ad Christum facta, cum tria petit fieri tabernacula, censetque bonum esse ibi degere. Quanta enim distantia Petri à Domino, Dominique collocutoribus; tāta illorum à Petro, & ob id vt Petri oratio ad illos; ita illorum ad Petrum potuit peruenire. 14.

Sed an etiam audiuerit? Audiuisse oportet; si ratio, modò, pro Excessu allata, vera est. Veruntamen, si Transfiguratio, & collocutio Apostolis somno oppressis accidit; &, vbi excitatus à somno, Petrus vidit Testes Apparitionis discessum parare, ideoque rogauit tria fieri tabernacula; quomodo sermonem de Excessu, vel ipse, vel Apostoli audire potuerunt? 15.

Rursus, post absolutam Transfigurationem, cur Dominus præcepit Apostolis tantùm hoc, ne mortalium vlli, *donec Filius hominis à mortuis resurgat*, reuelent, quam viderant Transfigurationem? *Nemini*, inquit, *dixeritis visionem*: Cur, inquam, tantùm prohibet reuelari quæ viderunt? non quæ audiuerunt? An fortaßis idcirco quia maiestatem quidem Christi, Christique Testium viderunt, orationem verò non audiuerunt? 16.

17. Mirum & illud videri potest, Colloquium hoc, siue sermonem, qui inter Christũ & Transfigurationis Testes institutus fuit, tanto silentio inuolutum esse potuisse; præsertim, quando etiam minimi, quos cum alijs Dominus habuit, literis, in posteritatis gratiam, sint consignati; & hic in tanta Christi, Christique Testium maiestate sit perfectus.

Vnde S. Lucas scire potuerit Colloquium in Transfiguratione fuisse de Christi Excessu.


18. Quocirca, quòd Euangelista Lucas de Excessu sermonem fuisse dicit, id vel Christi reuelatione generali potuit cognitum esse, vel obscura aliqua Apostolorum præsentium auditione perceptum, qui cùm maiestatem apparentium intuebantur, simul intellexerũt, de Excessu sermonem esse; quemadmodum sæpius cõtingit orationem aliorum audire, & orationis argumentum, non singula argumenti capita percipere.

Quæ causa argumenti de Excessu?

19. Quòd si verò ita, vt dictum, res se habet; certè ob aliam causam sermo de Excessu in Transfiguratione fuit institutus, quàm vt Apostoli mortis Christi horrorem deponerent; & sibi persuaderent iustißimũ, conuenientißimumq; esse supplicium crucis subire. Quam igitur ob causam aliam de Excessu fuit sermo? An quia conueniebat, vt quemadmodum sæpißime apud alios, ita apud hos de præcipuo opere, quòd pro humani generis incolumitate obeundum fuit, faceret mentionem? An quia, vt aliâs nunquam gloriam aliquam admisit, nisi difficultate & aduersitate simul aliqua illa condiretur, ita gloriam tantam Transfigurationis voluit memoria passionis respergere? An quia mortales hac ratione voluit docere in diebus bonorum, memores esse oportere malorum? An docere memoriam Paßionis suę iugem habendam, cuius ipse in summa maiestate noluit obliuisci? Hactenus de Oratione Testium Christi.

Altem

Altera parte, quæ est de S. Petri oratione in ipsa Transfiguratione, siue Apparitione Thaborina: quæritur,



Ltera oratio fuit Petri ad Dominũ. de qua sic Lucas. *Et factum est, cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum. Præceptor, bonum est nos hîc esse: & faciamus tria tabernacul[a], vnum tibi, & vnum Moysi, & vnũ Eliæ, nesciẽs quid diceret.* Eodẽ modo Matthæus & Marcus, nisi quod Marcus pro *Præceptor* habeat *Rabbi,* Matthæus *Domine:* Et hic, Matthęus, significet Petrum Domini consensum q. postulasse, dixit enim; Si vis faciamus hîc tria tabernacula. 20.

Sed hæccine solus Petrus locutus; an simul cum ipso, ipsius socij Ioãnes & Iacobus? & Cur præ cæteris Petrus locutus? Cur existimauit bonum, ibidem cum Christo esse? Cur etiam voluit fieri tabernacula? Cur tria fieri, non sex, vt sibi, & socijs quoque esset prouisum? Quomodo item nesciuit quid dixerit? an etiam hæc dicendo peccauit, Dominumq́; offendit. Quomodo etiam potuit cognouisse Eliam & Moysen fuisse, quos cum Domino in maiestate vidit? 21.

An solus Petrus locutus sit.

Soliùs Petri oratio fuit; quamuis fortè, non pro se solo. Et prius quidem inde est manifestum, quod Petro illa ab Euangelistis tribuatur: aliorum nulla fiat mentio; vt aliâs fieri solet, quando etiam Petrus perhibetur locutus. Posterius inde colligitur, quòd, cur alijs bonum illud potuerit inuidere nulla sit causa; cur debuerit fauere, & commune esse optare; plures. 22.

Cur præ cæteris locutus Petrus.

Præ cæteris verò loquitur; quia familiarior Domino fuit. Quam ob causã & aliâs sæpissimè locutus præ alijs creditur. vt Matth. 16. 23.

cùm

cùm excessus sui Dominus mentionem faceret, ille, *Absit*, inquit, *à te Domine*. & Matthæi 19. Ipse præ cæteris, *Domine*, inquit, *ecce nos reliquimus omnia*. Sic, Ioan. 6. Domino omnes interrogante, solus Petrus loquitur dicens: *Domine, quò ibimus, verba vitæ æternæ habes*. & rursus interrogatis omnibus Matth. 16. quid de Christo sentirent: solus Petrus loquitur, *Domine*, inquiens, *tu es Christus Filius Dei viui*; & rursus Domino significante futurum, vt omnes in ipso scandalizarentur, Petrus, *Etsi*, inquit, *omnes fuerint scandalizati, ego nunquam scandalizabor*, Matth. 26.

Quomodo existimauerit Petrus bonum ibi esse.

24. Existimabat autem bonum, *Ibi esse*, in monte Thaborino. Quomodo verò? *Bonum*, non quia vtile, aut tutum, vt quidam exponunt, qui Christum in monte, ex Petri opinione censent securum fuisse à Pharisæorum insidijs: sed *bonum*; quia iucundum & gratũ tali Christi præsentia perfrui. Placebat, scilicet, Petro gloriosus ille Christi, Moysis, & Eliæ status: in quo eosdem, fortè, permansuros credebat, si semper in monte commorarentur. Aliam causam S. Lucas videtur dare. ait enim Petrum hæc dixisse, cùm videret Moysen & Eliã discessum parare: quocirca in hanc vocẽ, *Bonum est*, &c. erupit, quòd eos discedere doleret, velletque semper ibi manere.

Cur voluerit construi Tabernacula.

25. Eandem priorem ob causam quidam suspicantur ipsum ibidem operam suam in *Tabernaculis* construendis obtulisse: quòd crediderit hac ratione futurum, vt Dominus à furore Iudæorum sit liber: à quibus paulò ante mortem inferendam Domino inuitus audiuerat: quasi in monte posset latere; & si opus esset, Moyse atque Elia protectoribus vti, quorum alter Aegyptios & Amalecitas; alter duos aut tres Centuriones cum suis socijs euocato cælitus igne consumpserat. ita Chrysostomus & Theophilactus. At forsitan meliùs dicitur hæc petiuisse, quòd felicitatem, quam ex Christi & Testium intuitu capiebat, voluerit esse perpetuam: nec desideraret se eandem cum alia commutare.

Cur Tria tabernacula voluerit construi.

26. *Tria tabernacula* petebat, pro numero trium: Christi, Moysis & Eliæ. Vnde & subiungit: *Tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum*. Pro his sollicitus: non pro se, non pro socijs, Ioanne & Iacobo: non attendens, quo vel ipse, vel socij tabernaculo exciperentur. fortè ob hoc dicitur *nesciuisse, quid diceret*: quanquam & idcirco dici potest *nesciuisse quid diceret*; quod tria pro tribus peteret tabernacula; cum tribus, tanquam intimis amicis, vnum potuerit sufficisse.

Quomodo nesciuit Petrus quid diceret.

Sed tamen maximè existimatur ideo *nesciuisse quid diceret*, quòd 27.
rude & puerile desiderium, magni licet amoris signum declarauerit:non considerans illis,qui tam gloriosi essent, opus non esse tabernaculis.Non autem considerauit;quia animo consternatus, & obstupefactus gloriæ ,quam conspiciebat, à somno excitatus, magnitudine.

Quomodo Petrus ignorans ostendit magnitudinem cœlestis gloriæ.

In hoc tamen Petri voto,quamuis inconsiderato, obseruandum 28.
id,quod Deus per ipsum demonstrare voluit:nimirum , quanta sit futuræ gloriæ maiestas.Si enim temporaria hæc,& imperfecta gloriæ Christi ostensio tanta voluptate conspicientium mentes perfudit;vt omnium iam obliti,extra se raperētur;quàm solida voluptas continget Sanctis,qui ipsum Dominum videbunt in decore Regni sui,non duobus stipatum;sed immensa Angelorum & Sanctorum multitudine? nec humanitatis tantùm gloriam contemplantes,sed ipsam etiam eius diuinitatem facie ad faciem conspicientes?

Quomodo oratione sua idem Petrus declararit discrimen gloriæ Legis & Euangelij

Obseruandū & aliud in hoc Petri voto,quæ sit differētia gloriæ 29.
Euangelicæ, & gloriæ veteris Testamenti. Cùm enim Israeliticus populus gloriam Dei,qui in montem Sinai descenderat, legem daturus, vidisset,& audisset;adeò sunt perterriti,& pauore concussi;vt dicerent Moysi,Exod.20.*Loquere tu nobis, & audiemus: Non loquatur nobis Dominus,ne fortè moriamur.*Et adeò non potuerunt ferre gloriā Dei,vt nec gloriam vultus Moysi ferre potuerint,nisi velamine apposito. Hi autem, etsi nonnullo pauore ob spectaculi insolentiam correpti essent,tamen tantùm abest,vt conspectam gloriam refugiant,vt eius perpetui cupiant esse spectatores.

An Petrus in oratione sua peccauerit.

Sed an hîc Petrus peccauit? valde soliciti quidam,vt Petri errata 30.
atque defectus colligant,& eundem apud omnes traducant.& sunt, qui errores ipsius 15. notârunt.Mirum tantum audere homines in Cœli Ianitorem.Ita quoq; hîc Petrum quidam accusant,quasi Moysen & Eliam Christi collegas,Christo voluerit pares facere.Sed profectò nec in mentem quidem hoc Petro venit.Et quamuis,præ cōsternatione *nesciuerit quid dixerit*,præclarum tamen suum desideriū hac ipsa oratione declarat:quod his verbis Ambrosius, in Lucam scribens,testatur.*Ex deuotione,*inquit,*ad exædificanda Tabernacula tria impiger operarius communis obsequij ministerium pollicetur.Et quamuis nesciret,*

sciret, quid diceret, tamen obsequium pollicebatur. In quo non inconsulta petulantia; sed præmatura deuotio fructum pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit; quod promittebat, deuotionis.

Vnde Petrus cognouerit in monte Thabor, Moysen & Eliam.

31. Difficultatem maiorē habet, vnde Moysen & Eliam Petrus cognouerit. Neque enim viuos aliquando ipsos ante conspexit: neq; in imagine ad viuum vidit depictos, quòd imaginum apud Iudæos nullus vsus fuerit. Volunt quidam ex colloquio ipsos à Petro deprehensos: & Moysen quidem ex eo, quòd dixerit: *Tu es, cuius ego passionem occiso agno, & celebrato Paschate præfiguraui.* Eliam verò, quòd Christum esse eum dixerit, cuius ipse Resurrectionem suscitato filio viduæ denotarit. ita Theophilactus: aut, vt alij quidam recentiores, quòd Moyses dixerit, sic Christum in crucem sustolli debere; quomodo ipse in deserto exaltauit serpentem. Elias verò, quòd ita eundem oporteat expandi in crucem, quomodo ipse expansus fuit super mortuum puerum, vt illum viuificaret: & sic torrente passionum transito subleuandum in gloriam; quomodo ipse transito Iordane curru igneo raptus fuerit in cælum. Alij ipsos proprijs nominibus à Domino compellatos existimant, vt Iansenius.

32. Verùm dubium fortè, vtrum proprijs nominibus sint à Domino compellati. Dubium quoque an similia, qualia referuntur, ab ipsis dicta. & si dicta, an ab Apostolo audita. Nec dici potest, à Domino Petrum postea de Testibus edoctum esse, quoniam iam prius Petri de Testibus ad Dominū facta fuit oratio, quàm cum Domino sermonem de Testibus habere potuerit.

33. Quid si dicamus interna Dei inspiratione cognitos fuisse? Est pro hoc Tertullianus, lib. contra Marcionem, cap. 22. Quid si imagines ipsorū apud Iudæos fuissent? Docet id Euthymius. Nec huic aduersatur, quòd diuino mandato omnis imaginum vsus sit prohibitus, Exod. 20 Deut. 4. & 6. quoniam Iudæis non tam fuerunt prohibitæ imagines, quàm idola; quibus illi, relicto vero Deo, latriæ cultū impiè possent impendere. Vnde clarius alibi, Leuit. 18. dicitur: *Non facietis vobis idolū, & sculptilia: nec titulos erigetis: neq; insignē lapidem ponetis in terrā vestra, vt adoretis ea. Ego enim sum Dominus Deus vester.* Ita mādatū Dei exponit B. August. lib. 19. contra Faustū, cap. 18. & alij plures.

34. Sed demus imagines apud Iudæos non fuisse: & pro huius confirmatione sit, quòd constantissimè, postquam sub Regibus fuerunt, ijs restiterint, qui imagines Hierosolymis inferrent, (vt constat ex Iosepho, li. 17. Antiq. cap. 8. &, lib. 18. c. 3. & 4. & lib 2. de bello Iudaico, cap. 8.) quid prohibet Eliam (de illo primùm constituamus) ita Petro fuisse cognitum, quemadmodum idem olim, & nō visus, cog-

nitus fuit Ochosiæ Regi 4.Reg. 1. ex habitu scilicet? vbi enim Rex audiuit virum, qui seruos prohibuisset accedere Beelzebub, Deum Accarō, *virum esse pilosum, & zona pellicia accinctum renibus*, mox intulit, & bene: *Elias Thesbites est.* quidni & Petrus hac forma, hocq; habitu Eliam vidit, & cognouit?

Similiter ex externa forma potuit depræhensus fuisse Moyses: & forte eadem, qua iam pingitur; & qua olim identidem visus, radiāte scilicet vel cornuta facie; virgam manu gestare? quæ illi meritò tribuitur, quaque rectè cognoscitur; quòd & hac sit Aegyptum ingressus; & per eandem mirabilia admodum sit operatus. 35.

CAPVT SEXTVM.

De pasſionibus siue Affectibus, qui in Testibus Apparitionis Thaborinæ sunt obseruati, atque notati ab Euangelistis, & præcipuè de Timore: quæritur verò hîc,

An omnes, vel aliqui ex Apostolis timuerint. Num. 2.
Qualis fuerit Apostolorum Timor. 3.
Quantus fuerit. Num. 4.
An fuerit omniū æqualis Timor. 5.
Quādo Timor Apostolos inuaserit. 6.
Quæ causa huius Timoris apud Apostolos. Num. 7.
Quidnam Timor hic apud Apostolos effecerit. Num. 9.

PAsſiones quoque inter Coniuncta Apparitionis Thaborinæ recensuimus. Et quamuis hæ variæ potuerint fuisse: vnus tamen Timor tantùm est discutiēdus, quo compræhensi dicuntur Apostoli, prout omnes testantur Euangelistæ: Et Matthæus quidem his verbis. *Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas, & timuerunt valde*: Marcus seqētibus: *erant timore exterriti*: Lucas, dum sic loquitur: *Hæc autem illo loquente facta est nubes, & obumbrauit eos; & timuerunt introeuntibus in nubem.* Dominus quoque hunc Apostolorum timorem prodit. Nam in terram prostratos sic alloquitur: *Surgite, nolite timere.* frustra hortatur, timorem deponāt, si non timebant. 1.

An omnes, vel aliqui ex Apostolis timuerint.

Quotnam ex Apostolis timuerint in controuersiam vocari non debet. Vnus quidē Petrus locutus est: sed nō vnus Petrus timuit. Timuerunt omnes tres, qui Transfigurationis spectatores fuerunt. Nā plures timuisse dubiū non est. Nec est ratio, cur duos potius, quàm tres timuisse dicamus. Disputari verò potest, Quis hic Timor fueit: Quantus item fuerit: An etiam omnium fuerit æqualis: quando 2.

Apostolos inuaserit: Quam ob causam inuaserit: Quid in ipsis effecerit: & deniq; Cur Domin⁹ voluerit Apostolos timorē deponere.

Qualis fuerit Apostolorum timor.

3. Solent Theologi, cum *Magistro Sententiarum*, Petro Lombardo in 3. dist. 34. quadruplicem Timorem distinguere. Vnum *mundanum* vocāt; de quo intelligitur illud Matth. 10. Nolite timere eos, qui corpus occidunt: alterum *Seruilem*, cuius meminit S. Ioannes, 4. cap. Epist. 1. dum inquit, *Timor non manet in charitate*: tertium *Filialem*, quem Sapiens cupit inesse suo Filio. *Fili*, inquit Eccles. 2: *sta in iustitia & timore*: quartum *Initialem*, de quo Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini*. Hæc cùm ita sint, quis ille, qui Apostolos in monte Thabor inuasit? aliquis ne ex dictis? an præter dictos alius? Non ex dictis aliquis, alius à dictis. Dicti vel boni sunt, vel mali: qui Apostolos inuasit, nec bonus fuit, nec malus. Qualis ergo? Naturalis, dictis illis natura prior, qualis homines mox, vbi insolida percipiunt, occupat.

Quantus timor ille fuerit.

4. Magnus admodum fuit hic Timor. Indicat hoc & oratio Euangelistarum, & probat multitudo atque magnitudo rerum insolentium, quę Timorem pepererunt. Matthæus dicit illos timuisse valde: Marcus timore exterritos. Quantæ verò res, quæ Timorem incusserunt? Dei vox de nube tonans; lux, splendor tantus in corporibus & vestibus, tantorum, quos coram intuebantur, virorum præsentia.

An præsentium omnium fuerit æqualis timor.

5. Non omnium autem æqualis fuit Timor. Maior aliorum fuit, quàm Petri: quia ad primam Timoris causam, quam splendor præbuit, non ita Petrum, vt alios, timore exterritum fuisse, ipsius oratio & aliorum fortè silentium probat. Quòd si Petrus etiam tunc non minus alijs timuit, certè animū sumpsit, & timorē superare voluit.

Quando Timor Apostolos inuesit.

6. Quòd ad vocem Patris de cælo factam Timor ipsos inuaserit, clarum est. Ita enim Matthæus: *Audientes discipuli ceciderunt in faciem.* Verùm, vtrum tunc primùm timere incœperūt? Etiam prius timuerunt, quamuis non tantum. Nam & prius iustas causas Timor habuit, mox referendas. Sed & Marcus significat Petrum ideo in illam vocem erupisse, qua quid diceret, nesciebat; quia erat iam timore exterritus. Vox autem illa Patris de nube loquentis præcessit.

Qua:

Quæ causa Timoris Apostolorum in Thaborina Apparitione.

Causas Timoris ex dictis quiuis facilè collegerit. Quatuor fuisse 7.
videntur præcipuæ; iusti & magni timoris, omnes iustæ & magnæ. Prima fuit conspectus hominum alterius sæculi, quorum iam alter ante tot annos fuerat mortuus. Altera maiestas, & Christi, & dictorum alterius sæculi hominum. Tertia introitus eorundem in lucidam, & terræ adhærentem nubem. Quarta, vox Patris de nube erūpens. Omnes magnæ, maxima postrema. Quis eni loquentem audiens Deum non timeat? *Vocem tuam,* inquit quidm, Genes. *3. audiui, & timui.* & Propheta Psal. 28. *Vox Domini,* inquit, *inamute: vox Domini in magnificentia: vox Domini confringentis cedros: vox virtini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum.*

Creuit autem Timor pro numero atque ordine causarum. Nam 8.
principio aliquis Timor & pauor inuasit Apostolos; quando insolitos homines, & Dominum in maiestate viderunt: Auctus hic est per ingressum illorum in nubem: ad summum venit, quando superuenit vox Patris de nube, quemadmodum effectus mox subsecutus probauit. Quid igitur effecit?

Quid Timor effecerit in Apostolis.

Effecit, vt in facies ceciderint. Quomodo verò? an adorabundi, 9.
& Patrem quasi veneraturi? Ita quidē Beza, propterea; quòd *Hebraica,* vt inquit, *Phrasi* in terram cadere argumentum sit venerationis & cultus. Sed vt hoc plerumque verum est, ita semper verum non est. Nam 1. Reg. 17. Goliath in faciem dicitur cecidisse; non adorans, sed moriens: & Daniel, cap. 8. & 10. in faciem cecidit, non adorabundus, sed obstupefactus, & perterritus visione. Ceciderunt igitur in faciem Apostoli, quemadmodum cadere solent obstupefacti, & rebus insolitis consternati homines. Quocirca timoris, non venerationis, & cultus hic casus fuit. Atque hoc Euangelista declarat, dum mox quare ceciderint, aperit. *Timuerunt,* inquit, *valde, & accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq́, ijs. Surgite, nolite timere.*

Sed & his verbis Dominus monet Apostolos, vt Timorem de- 10.
ponant. Cuius quoque ratio danda esset hîc, vbi de Timore agitur. Verùm quoniam hæc Domini oratio Apparitionē secuta est, melius in sequentibus, quando de ijs agendum nobis erit, quę Apparitionem Thaborinam sunt sequu- ta, hæc explicabitur. Nunc ergo ad vl- timum Coniunctorum pergamus.

Vv 3. CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De ordine rerum gestarum in Apparitione Thaborina. quod est postremum inter coniuncta. hic fuit, qui sequentibus indicatur.

Ascensus Christi in Montem.	*Nubes obumbrans & innoluens Testes Transfigurationis.*
Christi in monte oratio.	*Testimonium Patris.*
In oratione Transfiguratio	*Confirmatio Apostolorum timore perculsorum.*
Visio Maiestatis Apostolis concessa.	

1. ORdo postremum est inter Thaborinæ Apparitionis Coniuncta. hic per totam, veluti sanguis per totum corpus, diffunditur Nam & in personis, & in rebus, & in actionibus atq; passionibus, de quibus hactenus actum, locum habet. Porrò ordo hic quæritur nō dignitatis, aut causalitatis, aut naturalis prioritatis & posteritatis; sed Temporis, quo ipsa Apparitio perfecta est: qui meritò inquiritur, cùm à diuersis Euangelistis descripta Apparitio, alio atque alio modo peracta esse videri posit. Modo igitur qui sequitur, se habuit, vt credimus.

2. Principio Dominus vnà cum tribus discipulis, orationis causa, pro consuetudine montem conscendit. Et ipse quidem, in mōte cōstitutus ad orationem (aliquantulum à discipulis remotus) se conuertit: discipuli verò in grauem somnum mox rapiuntur: vtrum præ tristitia, an lassitudine, an alia causa incertum: nō dubium, quin diuina dispensatione.

3. Existente iam in oratione Domino, & discipulis somno sepultis Transfiguratio accidit; atque, vt Euangelista Matthæus loquitur, *resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* idemque Testibus euenit, qui & ipsi cum Domino in maiestate fuerunt.

4. Excitantur sub hæc à somno Apostoli: & leuantes oculos Maiestatē atque gloriam vident, tam Testium, quàm Domini, & aliquātulum quidē se continēt, figentes oculos in viros gloriosos; fortè etiam sermonis ipsorum aliquid percipientes. verum vbi Testes discessum parare obseruat Petrus, mox in hanc vocē prorumpit: *Præceptor bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus tria tabernacula; Tibi vnum, & Moysi vnum, & vnum Eliæ.*

5. Voci Petri superuenit Nubes. hanc ingrediuntur Christus & socij: aut,

aut potius ipsa hos excipit, inuoluit, ex oculis Apostolorum eripit: moxque vocem Patris in ea loquentis, *Hic est Filius meus &c.* reddit: qua consternati Apostoli corruunt in terrã, nimio terrore perculsi.

Accesit dehinc, absoluta Transfiguratione, & sublatis Testibus, 6. discipulos Dominus tangit, ipsos iubet surgere, & timorem deponere. Animati illi Christi tactu & voce, animos sumũt; se erigũt; & leuãtes oculos pręter Iesum, neminẽ cõspiciunt. Hic rei gestę ordo.

Duo hic restant inquirenda. Vnum pertinet ad personas, quæ in 7. maiestate sunt visæ, alterum ad Apostolos, qui maiestatis speculatores fuerunt. De illis potest esse dubium, Vtrum simul cœperint in maiestate esse cum Domino; an Dominus ipsos præuenerit. De his, An simul à Domino excitati, maiestatis tantæ cœperint esse spectatores; an vnus altero prius, & quis quo?

Posterius hoc nouerint Apostoli, qui præsentes Transfigurationi fuerunt; & is, qui nouit omnia, Deus Opt. Max.: de priori hoc 8. videmur verisimiliter dicere (quòd si non ordinis naturæ, & causalitatis, sed temporis ratio est habenda tantùm) simul & Christum, & Christi Testes in gloria & maiestate esse cœpisse. Neq; enim probabile est, Christum voluisse Testes in hac gloria præuenire: probabilius voluisse eandem in ipsorum præsentia admittere: vt scilicet prius eius agnoscerent infirmitatem, postea gloriam. Quando verò ipse iam in gloria esse cœpit, mox ipsius gloria ad Testes se diffudit, nullo intercedente tempore; non secus, quàm radij solis, posito sito sole ipsum aerem terramque illuminant. Quocirca, quemadmodum sol lumen, quod diffundit, tempore non præcedit; ita neq; Christi maiestas maiestatem Testium; quamuis horum maiestas à Christi penderet.

CAPVT OCTAVVM.

De ijs, quæ Thaborinam Apparitionem sunt secuta, vt sunt:

Discessus Testium Apparitionis,
Animatio Apostolorum trium;
Præceptum siue Lex silentij:
Hic ostenditur,

Cur Dominus præsenti animo voluerit esse Apostolos, Num. 2.
Cur voluerit deponere eosdem timorem. 3.
Cur postularit silentium Visionis vsque ad Resurrectionem. 4.
Quonam, & quo duce Elias discesserit post Transfigurationem. 8.
An Moyses peracta Transfiguratione rursus sit mortuus, 11.

1. Antecedētia atque Coniuncta Thaborinæ Apparitionis absoluimus, sequitur persequamur Consequentia. Tria hæc pręcipuè sunt: Discessus Testiū Christi, animatio Apostolorum, & præceptum siue lex silentij, de non reuelanda visione ante Christi Resurrectionem. Posteriora duo minus habēt difficultatis; primum plurimum. & illorum tantùm causæ dandæ; primi & causæ, & modi. Posteriorum ergo causas principio demus, deinde primum diligentius scrutemur.

Cur præsenti animo Dominus voluerit esse Apostolos.

2. Animat igitur discipulos suos Dominus, & consternatos atque attonitos quasi, ad se reuocat tactu & verbis. Nam & *tetigit ipsos,* inquit Euangelista, *& dixit: Surgite, & nolite timere.* Priori, *tactu*, ostendit vim virtutemque carnis suę, quemadmodum & eandem ostendit, si quando alijs tactu vel sanitatem restituit, vel eosdem à grauibus morbis liberauit. Neque enim exigua carnis ipsius virtus est. Nec mirum, cùm diuinitatis infinitæ præsentissimum promptissimumque sit instrumentum, & quæ vnà cum diuinitate ad maximas & naturam omnem superantes effectus concurreret.

Cur voluerit deponere timorem.

3. Timorem autem iubet deponere Apostolos; docens longè aliam esse rationem veteris legis, & nouæ. Illa timorem in difficili & duro populo requirebat. vnde alicubi Dominus, Deut. 4. *Audiant sermones meos, & discant timere me omni tempore.* & ca. 5. *Quis det,* inquit, *talem eos habere mentē, vt* timeant me? Hæc trāquillitatem mētis postulat. Quocirca vt hîc Apostolos non vult timere Dominus; ita alibi Domini Angelus vult non timere mulieres, quæ ad vngendum mortuum Dominum venerant. Ad nouæ legis professores pertinet, quod Apostolus ad Rom. 9. *Non accepistis,* inquit, *spiritum seruitutis, iterum in Timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.*

Cur Silentium Dominus postulat Visionis vsque ad Resurrectionem.

4. Pręceptum Silentij tribus Apostolis datum, non absolutum fuit; nec perpetuo silentio Dominus Apparitionem voluit esse inuolutam. Prohibuit tantùm ante Resurrectionem, illam reuelari; post voluit promulgari. Posterioris huius in promptu causa est, quia incom-

incommodū, quod ante sequebatur, tunc sequi non poterat, & quia tunc totis velis Euangelium erat prædicandum.

Sed quæ prioris, quòd videlicet ante Resurrectionem, Visio nemini dicenda, causa? Aliam suspicor esse, si promiscui vulgi tantùm rationem habuit Dominus, vt habuisse insinuant Hieronymus, & Beda: aliam, si Apostolorum & aliorum; vt melius sentiunt plerique; & Euangelista insinuat. Dicit enim Marcus *verbum apud se tres illos Apostolos continuisse*: Et Lucas, *Et ipsi*, inquit, *tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex ijs, quæ viderant.* 6.

Et si vulgus promiscuum Dominus visionem tantùm tum latere voluit; ideò latere voluisse credendum est, quòd noluerit planè & apertè se Christum prædicari; ac vera diuinaque gloria conspicuū aliquando fuisse, donec iuxta Patris mandatum pro peccatis hominum morte sua satisfecisset. Cur verò hoc? primùm ob id, quia tūc nondum erat tempus suæ glorificationis. *oportebat enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Secundò, quia maius & incurabilius fuisset multorum scandalum in Cruce Christi, si ante crucem passim fuisset dictus & prædicatus esse Christus. Tertiò, quia huiusmodi prædicatione magis fuissent accensi Scribæ, & Pharisæi, ad persequendum Christum, quos sciebat populi fama, & miraculorū magnitudine, satis ad necessariam mortem sibi inferendam accendendos. Postremò, sicut Apostoli, ante pasiionē & Resurrectionem, non potuerunt intelligere mysterium aduentus Mesiæ, & Regni eius modum, communem Iudæorum opinionem excedentem; ita nec docere alios potuerunt, quomodo esset Christus, ac proinde conueniebat eos pœnitus silere, quis ipse esset. 7.

Apostolis autem reliquis noluit reuelari Visionem, ante Resurrectionem: quòd sensus haberent in fide minus exercitatos; & idcirco tantam reuelationem factam esse, narrantibus alijs, potuissent addubitare: Hanc rationem B. Hieronymus affert. At Damascenus, Oratione de Transfiguratione Domini id Christum fecisse, existimat; ne aliorum Apostolorum pectora mœstitia perfunderentur; qui se, præ alijs, tum à Domino neglectos esse potuissent opinari. Addit & hanc, ne inuidiæ stimulis concitarentur, &, vt Damasceni verbis vtar, *ne productorem inuidia rabies in furorem ageret.* 8.

Qui, & quo duce Elias discesserit post Transfigurationem.

Restat 2. Testes oratiōe sequamur, doceamusq́;, quo, & quomodo à Dom. discesserint. Et de Elia difficultas minor est. Discesit ille, vnde 9.

 venit,

venit, ad paradisum, videlicet, reuersurus in fine seculorum, pro fidelium confirmatione, & consolatione, in grauissima illa Antichristiana persecutione. Et discesit duce atque vectore eodem, quo venit, Angelo. Neque enim quamuis etiam cum Christo in gloria claruit, & nescio quid diuinum obtinuit, illo dono ornatus tum fuit, vt se propria virtute transferret, quo vellet, quali dono imbuuntur felices, & beati; quando ipsorum animæ proprijs corporibus fuerint restitutæ.

9. De Moyse difficultas maior. Nam non de illo tantùm quæstio est, quo aut quomodo discesserit; sed etiam vtrū rursus vitam deposuerit, siue mortuus secundo fuerit, an potius in viuorum hominum numero ex illo tempore manserit. Et hoc quidem prius constituendum; quam ipsi aut locus assignandus, aut demonstrandum quo duce vectoreque sit vsus. Etenim si mortuus rursus non est Moyses, vnus illi locus tribuendus, atq; vnus dux & vector. Si mortuus rursus, vt plura loca, ita plures forsitan vectores & duces.

10. Videntur autem tria de Moyse dici posse, quæ tamen (quemadmodum demonstrabitur) difficultatem nō leuem habent. Primum est, Ipsum, Transfiguratione peracta, non rursus mortuū esse. Secundū, cū Enoch ex Thaborino mōte translatū in paradisum. Tertium, exspectari quoque cum Enoch in fine seculorum, vt Christi Euangelij contra Antichristum sit preco.

An Moyses peracta Transfiguratione rursus sit mortuus.

11. Primùm ex pluribus sit verisimile: sed apud quosdam ex illo tertiò, quod venturus credatur viuus visibilisque preco, in fine mundi. Cùm enim ob id necessarium sit, ad vitam hanc ipsum reuocari; tum temporis reuocari necesse non erit, cùm iam in Christi Apparitione reuocatus sit, & ea vita, quæ tum sibi restituta, non minus, quàm Elias, cum Elia viuere possit.

12. Et omnino certum est, quod si venturus est mori non debuerit. Si enim post Apparitionem rursus mortuus est, & anima ad communem Patrum lymbum descendit, profectò à Christi passione, ipsa quemadmodum aliorum Patrum, felicitatem est consecuta. Cōsecuta autem felicitatem, quomodo primum circa finem mundi ad corpus, vt Christi præcursorem agat, redibit? An beata anima poterit in corpore mortali mortem fortè sustinere, vt præcursoris sustinere necesse est? an beatitudine fortè, quam semel consecuta est, ad tempus priuabitur? Neutrum dici debet. Quocirca vel beatitudo animæ Moysis non obtigit, cum alijs, si mortuus rursus fuit, quod mirum: aut se obtigit, illam aliquando amittet; vel ipsam habens, mortem.

mortem patietur. Omnia hæc paradoxa declinabit, qui Moysen mortuum negabit.

Sit hoc, quale quale argumentum, maius videtur sumi ab illorum exemplo qui cum Christo resurrexerũt, & sanctam ciuitatem die Resurrectionis Christi sunt ingressi. Resurrexerunt hi non rursus morituri: quid ni ergo & Moyses ad vitam à morte reuocatus, rursus non fuerit mortuus. Priores autem rursus mortuos negant plerique huius temporis Theologi, & bene. quia conueniens non erat, vt rursus morerentur Christi Resurrectionis testes. Quomodo enim alias firmi satis probatique huius testes esse potuerunt? Sed nec illis beneficium fuisset ipsorum resurrectio; quin imò maius tormentum, si iterum illis fuisset moriendum. Et profectò non parum iuuat hanc sententiam, quod ab Euangelistis non quibuslibet, sed *multis* dicantur apparuisse, *vt hi* (inquit Hieronymus) *viderent, qui cernere merebãtur*; alioquin si resurrexissent iterum morituri passim quibuslibet, sine discrimine apparuissent. 13.

Præterea, si rursus mortuus est Moyses, vbi mortuus esse potuit? ipsone loco Transfigurationis, vbi viuus cum Domino fuit, an potius eò, vbi prius cineres ipsius fuerunt reconditi? vt, videlicet, totus ex Transfigurationis loco ad sepulchrum suum sit translatus, in eo verò constitutus mox anima corpus reliquerit, & priorem locum, lymbum Patrum, repetiuerit. Vtrùm commodè dicetur? 14.

Quæritur etiam quanam morte potuerit secundò obijsse: naturali, an violenta. Violenta non est sine molestia. an hanc sua, in trãsfiguratione, præsentia meruit? Naturalis ipsi non ita subitò accidere potuit; cum non viuus solùm, sed sanissimus quoque Transfigurationi testis astiterit. Quid verò opus erat diutius post Transfigurationem viuere, & tandem mori? 15.

Etsi mortuus est, corpus, quod anima reliquit, mox ne redijt in cineres, vt redactum fuisse ante resuscitationẽ credi potest? an more nostrorum corporum aliquandiu integrum fuit, quemadmodũ & aliquãdiu integrum fuit, quando primùm anima ipsum reliquit, dum in desertò exspirauit? Plura pro hac re afferre necesse non est. 16.

An Moyses cum Elia translatus sit in paradisum.

Qui primum hoc de Moyse constituerit, in secundo illo admittendo difficultatem magnam non habebit. facilè sibi patietur persuaderi, vt credat cum Elia in paradisum eundem esse translatum. Vbi enim gentium locus alius ipsi tribuetur? an forsitan in cælo? At nemo Christum in cæli ingressu anteuertit. *Nemo*, inquit Dominus, Ioan. 3. *ascendit in cælum nisi filius hominis, qui de cælo descendit.* An in pri- 17.

 ori,

ori, quo olim exceptus fuit, sepulchro? at quis angustijs sepulchri Moysen concluserit. An redijt ad lymbum Patrum, vnde anima ad Transmigrationis locum ascendit? at animarum receptaculũ lymbus erat; non corporum: & domus mortuorum, non viuorum. An fortè in terra aliquis ipsi est concessus locus? at summum de eodem silentium illum non permittit.

An Moyses in fine Mundi venturus sit cum Elia contra Antichristum.

18. Ad paradisum igitur translatus fuerit cum socio Elia Moyses. Quam ob causam verò aliam, quàm vt cum Elia, in Antichristiana persecutione, Christi sit præcursor? pulchrè profectò. vt qui ijsdem cum Elia sedibus moratur, quique ipsius societate gaudet, eandem quoque viuendi rationem tenet; idem cum Elia officium aliquando subeat.

19. Temerè hoc non dicitur: nec hodie primùm excogitatur. Docuit id olim Hilarius, vir sanctissimus iuxta & Doctissimus, can. 20. in Matthæum. Docent nostro tempore doctores insignes Catarinus, Genes. 3. Ioannes Arboreus, in Theosophiam, lib. 11. cap. 11. qui Enoch & Eliæ adiungunt Moysen, in persecutione Antichristiana. Et profectò magnum pro se habet testimonium Moyses apud sanctissimũ Ioannem. quãdo enim testes describit, qui in fine seculorum se Antichristi conatibus oppositurí sunt, ijs coloribus depingit Eliam atque Moysen, vt de neutro nemo, cum ratione videatur posse dubitare. Verba ipsius hæc sunt cap. 11 Apocal. *Et dabo duobus test. bus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta; amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ eorum.* (vt Elias) *& potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunq; voluerint.* (vt Moyses) Hæc de Moyse & Elia intelligunt Gagneus, Maldonatus, & Iansenius.

20. Quæ si ita sunt, non difficilis est ad nostras quæstiones respõsio: quibus quæritur, & quo peruenerit, & quomodo peruenerit ad locum suum Moyses. peruenit ad eundem cum Elia. peruenit eodem modo, quo Elias. quia non alia conditio Moysis, alia Eliæ. vt ille cũ corpore & anima; ita cum corpore & anima, Angelorum ministerio, ad paradisum translatus est Moyses.

21. Verùm difficultatem magnam habent à nobis hoc loco asserta: & præcipuè illud tertium, quo Moyses dicitur venturus præcursor Christi, in Antichristiana persecutione futurus cum Elia. & prop-

ter

ter tertium etiam duo praecedentia, quae cum illo videntur corruere. Etenim non Moyses, sed Enoch passim creditus & dictus futurus socius Eliae in persecutione Antichristiana. An fortè plures duobus tunc erunt precursores? Duos tantùm futuros habet communis opinio: duorũ tantùm meminit Sanctissimus Ioannes, cap. 11. Apoc.

Sed audiamus quos & quantos viros pro se habeat Enoch: & qui 22. cum Enoch tantum Eliam exspectent; Moysis verò non meminerunt. Hic primùm est Ausbertus, cuius haec est pro se, & alijs oratio. *Hieronymus*, inquit, *& Gregorius Pontifex Romanus, cum praefato Elia Enoch venturum testantur: quod certè magis credendum cognoscimus: quia Scriptura, Geneseos, Enoch translatum, & Paulus Apostolus. Heb. 11. non solũ trãslatum: sed etiam viuere in carne designat, dicens: fide Enoch translatus est, ne videret mortem: & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus.* Eadem est sententia Glossae, Ambrosij, Haymonis, Ruperti, Anselmi, Thomae, & recentiorum. Andreas autem & Arethas & ipsi ita sentiunt, & veteres Graecos similiter sensisse confirmant. Arethas ait: *fertur autem ex traditione praeconum Christi, quod inuariabiliter in Ecclesia recipitur, ipsum quoque Enoch venturum cum Elia Thesbite. Venient enim ambo, vt protestentur ipsis, qui tunc erunt, ne fallacibus Antichristi signis fidem adhibeant.* Tertullianus, lib. de anima, cap. 28. *Translatus*, inquit, *est Enoch & Elias, nec mors eorum reperta est. dilata scilicet. Caeterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant:* Ambrosius in illud 1. Corinth. 4. Puto enim, &c. *Hoc*, inquit, *ideo persona sua deputat, quia semper in persecutione fuit necessitates & pressuras vltra caeteros passus: sicut passuri sunt Enoch & Elias, qui vltimo tempore futuri sunt Apostoli. Mitti enim habet ante Christum, ad praeparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias ad resistẽdum Antichristo: quos & persecutiones pati, & occidi lectio Apocalypsis testatur.* Idem habet Hippolitus Martyr, in oratione de Antichristo. Idem Hieronymus in Psal. 20. Idem Augustinus Tractatu de Antichristo, & lib. 9. de Genes. ad literã. cap. 6. Gregorius verò lib. 9. Moral. cap. 4. sic loquitur. *Duo illi praedicatores eximij, morte dilata, subtracti sunt, vt ad praedicationis vsum in fine reuocentur: de quibus per Ioannem dicitur: Hi sunt duae oliuae, & duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes: quorum vnum in Euangelio per semetipsum veritas pollicetur dicens, Elias venturus est, & restituet omnia.* ita B. Gregorius, quòd verò alterum intelligat Enoch, patet ex Homil. 12. in Ezech. vbi sic habet. *Sed quia Elia & Enoch praedicante, multi ex his, qui tunc ex Iudaeis in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redeunt: sicut de eodem Elia dicitur: Elias veniet, & ipse restituet omnia: qui vtrique per Zachariam duae oliuae, & per Ioannẽ duo candelabra nominantur, rectè quoque hic subiungitur: Cùm autem locu-*

tus fuero tibi aperiam os tuum. Tunc enim velut in extremo os propheta aperitur, cum in prædicatione Eliæ & Enoch Iudæis ad fidem redeuntibus prophetia sacri eloquij de Christo fuisse cognoscitur. Isidorus lib. de vita & morte Sanctorum, qui Deo placuerunt, cap. 3. *Manet autem Enoch,* inquit, *hactenus in corpore, & in consummatione mundi restituet cum Elia mortalem vitæ conditionem.* Ita Patres de duobus Testibus, excluso Moyse.

28. Pro Moyse quoque argumentum produci posset, quod plurimum illi Transfiguratio Christi, atque hic ad vitam reditus obfuisset, si non rursus mortuus fuisset. Quomodo verò? quia & animæ felicitate per tot secula (quot à Christi morte ad finem mundi erunt) caruisset, quæ alioquin, si ad vitam non redijsset, cum alijs, in lymbo ei obtigisset: & præterea ad vitam redijsset, quam non nisi cum magno cruciatu rursus in persecutione Antichristiana esset depositurus, vt deposituri sunt testes, qui tunc temporis pro Christo contra Antichristum se sunt oppostituri.

24. Igitur cum hæc ita sint; cum Moyses venturus non exspectetur in fine seculorum, cur existimabitur, cum Elia translatus in paradisum? Et si in paradiso illi locus non est nec extra, cómodus esse potest vt dictum, cur vitam illi tribuemus tot seculorum, post Transfigurationem? cur nó potius à viuis dicimus redijsse ad mortuos? rursus corpus deposuisse? secundum animam rursus ad lymbum Patrum descendisse?

25. Profectò vel hoc necesse est dicant, qui illum in fine seculorum nolunt exspectare viuum præcursorem, vel si non rursus obijsse affirmant alicubi ad tempus vitam degisse protigente ipsum diuina prouidentia, ad Christi in cælos Ascensionis diem; atque tum, cum ijs, qui cum Christo die ipso Resurrectionis ex monumentis egressi sunt, cælum vna cum corpore & anima conscendisse. Quod vt fieri commodè potuit; ita si factum dicamus, nó videmus cur reprehendi debeamus.

25. Ab his difficultatibus facilè se expediũt, S. Thomas, Tostatus, & illi, qui negant in proprio corpore, atque adeo rediuiuum apparuisse Moysen; sed corpus in quo visus est volunt fuisse alienum, opera Angelorum ex aere similique materia, pro persona Moyses aptatum. Ab his enim si quæratur, quo post Apparitioné Moysis deuenerit, respondebũt ad locum vnde prodijt, patrum scilicet lymbum. Si quæratur quo reuectore & reduce: respondebunt, Angelo, quo vectore & duce. Si quæratur, vbi corpus in quo apparuit relictum? respondebunt redijsse in priorem aerem, ex quo conflatum, nulla industria aut opera Angeli, sed propria sua natura.

CAPVT

CAPVT NONVM.

De Loco, qui est prima circumstantiarum Apparitionis Thaborinæ: Ostenditur verò

Circumstantiæ Thaborinæ Apparitionis restant discutiendæ, ex ijs quæ initio huius Apparitionis proposuimus. Hæ, præcipuæ, tres sunt, locus, tempus, & finis, ob quē Transfigurationē Dominus admisit. Loci & Temporis alicuius mentionem faciunt Euangelistæ: finis non item, vnde alius, atq; alius ab alijs, & alijs sacrarum Scripturarum Interpretibus assignatur. Hoc Capite locus inspiciendus est, & quæ cum loco quodam modo sunt coniuncta; vt est situs corporis. 1.

Locum indicant Euangelistæ, quando Dominum referunt cum suis conscendisse in Montem, antequam transfiguraretur, quo vtique, significant in Monte esse transfiguratum. Sed disertis verbis montem prodit Petrus 2. cap. 1. De Transfiguratione enim Domini loquens, *Accipiens* (Christus) inquit, à *Deo Patre honorem & gloriam, voce ad eum dilapsa huiuscemodi, à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in Monte sancto.* 2.

Quomodo Christus montes selegerit plerunque.

Et familiare admodum fuit Domino in Monte versari: magna quoq; in Monte peragere. Matth. 5. prædicationis diuini verbi mu- 4.

nus.

nus in Monte orditur; ibidemq; præcipua legis Christianæ capita tractat. Matth. 14. postquam quinque milia virorum quinque panibus, & duobus piscibus pauit, Montem orationis caussa conscendit. Matthæi 24. sedés super Montem Oliueti docet, & reuelat Apostolis signa aduentus sui, & consummationis seculi. Matthæi 26. in monte Oliueti prostratus, preces cum lachrymis fudit ad Patrem. Matth. 28. in Monte suis valedicit, indeque cælum gloriosus conscendit. Denique in Monte se sacrificium cælesti Patri obtulit, pro totius humani generis reparatione.

Quomodo in veteri Testamento Deus in Montibus pleraq; perfecerit.

4. Et in veteri Testamento Deus Montes delegisse videtur ad singularia quædam opera perficienda In Monte siquidem voluit sanctissimum Abrahamum sibi offerre filium Isaac. Genes. 22. *Tolle*, inquit, *Filium tuum vnigenitum, quem diligis* Isaac: & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super vnum Montium, quem monstrauero tibi. Exodi 3. imperat Moysi, vt in Monte Dei offerat sibi sacrificia; postquam populum de Ægypto eduxerit. Legem suam, cuncto populo circumstante, & attonito, dedit Moysi in Monte, Exod. 19. & 20. Sepissimè, quando cum Moyse locutus, in monte loquebatur. In Monte Hor voluit consecrari, pro patre Aarone, Eleazarum, Num. 20. Exhibuit se videndum in Monte Oreb Eliæ. 3. Regum 19. Denique Psalmo 73. dicitur Dominus *habitare* in Monte Sinai.

5. Ex hoc Dei studio Mortales ad Montes animos adiecisse videntur, vt & Deo in Montibus templa, atque altaria construerent, & in Montibus diuinum cultum peragerent. De Iosue legitur, Iosue 8. quòd ædificauerit altare Domino in Monte Hebal, ex mandato Moysis. De Salomone, quòd templũ cõstruxerit in Monte Moria, 2. Paralip. 3. qui demõstratus fuerat patri ipsius in area Ornan Iebusæi.

6. *Quomodo & Dæmones se in Montibus voluerunt coli.*

Et Dij gentium siue Dæmones in Montibus coli voluerunt. Nõne Balaam septem aras construxit in vertice Montis Phasgæ; quando à Balac ad maledicendum Israel est vocatus? Num. 23. Nonne Salomon concubinis in Montibus fana erexit? in Monte Scandalehamos idolo Moabitarum. 3. Reg. 12. & in Mõte Oliueti Astaroth, idolo Sidoniorum. 3. Regum. 12. Quoties Reges in Sacris literis reprehẽdũtur, quòd vel in Excelsis immolarint, aut idola ex Excelsis nõ sustulerint? Deniq; gẽtes Deos suos in Mõtibus excelsis coluisse, inde est manifestum, quòd Deut. 12. Moyses Israelitis præcipiat; vt

mox ingressi terram promissam, subuertant aras, & loca in Montibus & Collibus, in quibus Deos impiè colebant.

Cur Dæmones Montes delegerint pro suo cultu.

Porrò Dæmones Dei veri æmulatione montes delegisse videntur: quemadmodum in rebus omnibus Dei volunt esse simiæ; & vbique suas proximè cum Dei, sedes coniungere; ne scilicet. Deo habeantur inferiores, & diuinum ad se honorem deriuent. Deo autẽ, & Christo Domino, in veteri nouoque Testamento aliæ atq; aliæ rationes propositæ esse potuerunt. 7.

Cur Deus in veteri Testamento Montes selegit.

Profectò ad maiestatem Dei pertinebat, in veteri Testamento, quòd & in mõtibus suos cum hominibus haberet sermones, & cultum sibi in montibus excelsisque locis vellet exhiberi. Altissimo alta conueniunt: & Regibus altiora sunt solia. Et quemadmodum in nubibus altis, ita montibus altis se debuit exhibere mortalibus. 8.

Cur Christus pleraq; in Monte perfecerit.

Christo Domino non eædem rationes semper fuerunt propositæ, quia nec eadem semper ipsi proposita fuerunt negotia. Nunc in montibus docuit: nunc in montibus orationi vacauit: nunc in mõtibus gloriam suam (vt in Transfiguratione) exhibuit. Doctrinæ causa montem conscendit; vt suo ascensu demonstraret, altam & sublimẽ esse doctrinam, quam afferret; nec ab ijs, quorum omnis in terra terrenisque rebus cogitatio esset, posse capi. Orationis causa montem conscendit; vt doceret mentem à rebus his inferioribus abstrahendam, & transferendam ad cælestia; si quando Deum precaturi, ad orationem nos conuertimus: propterea, cauẽdum tumultum; & quærendam solitudinem; vt tanto arctius cum Deo se homo coniungat. 9.

Cur Dominus in Monte voluerit Transfigurari.

Cur Transfigurationis gloriam in monte admiserit, variæ ab Authoribus causæ dantur. Illæ nobis sufficiant, quas paucis complexi sunt Damas. Orat. de Domini Transfiguratione, & Euthy- 10.

 mius

mius super Matthæū. *Seducit illos* (discipulos) *in montem excelsum seorsum*, inquiunt, *vt à nullo alio conspici posit. Nihil enim faciebat ad gloriā: sed omnia ad vtilitatem.*

11. Discimus & hinc oportere à terrena subleuari humilitate eum, qui diuina contemplatione dignus habendus est. Item tantùm perfectis in charitate Deum fore manifestandum.

12. Addit Tertullianus, lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. hoc quod sequitur. *In Mōtem secedit. Nam & pristinum populum apud montem & visione; & voce sua Creator initiarat. oportebat in eo suggestu consignari Nouū Testamentum; in quo conscriptum vetus fuerat: sub eodem etiam ambitu nubis, quam nemo dubitauit de aëre Creatoris conglobatam. Nec nunc muta nubes fuit: sed vox solida de cælo; & Patris nouum Testimonium super Filium. de quo Psal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genuite: & in Isaia, cap. 50. Quis metuens Deum audit vocem filij eius?* Ita Tertullia.

In quo Monte Dominus Transfiguratus.

13. In monte igitur Christi Transfiguratio facta. Quo verò? Neque enim vnus tantùm mons in Iudęa fuit, sed plures. Quo igitur? Principio tria montium genera hîc necesse est excludere: ita tandem ad nostrum veniemus. Excludendi humiles, qui non ita multum se porrigunt in altum, vt, v.g. fuit Caluariæ mons, situs propè Ierusalem inter Septentrionem & Occidentem: deinde profani atque infames, vt v.g. mons Scandali in latere Aquilonari montis Olitieti, quatuor stadijs à Ierosolymis distans, in quo Salomon, vxorū gentilium instinctu, Chamos idolo Moabitarum fanum construxit. 3. Reg. 12. Denique Apostolis inaccessi, vt potuit fuisse mons, in quē Dominū Diabolus transuexit. Matth. 4. Primi reijciendi sunt: quia altus fuit, in quo Apparitio facta. sic enim Marcus: *Ducit Dominus, illos* discipulos, *in montem excelsum.* Secūdi: quia hunc *sanctum* vocat Petrus. *Hāc vocem nos audiuimus*, inquit, *cùm essemus cum ipso in monte sancto.* Tertij: quia, vt idem Petrus insinuat, Apostoli Christo præsentes fuerunt.

14. Verùm, quoniam in pluribus montibus cum Christo præsentes esse potuerunt Apostoli: plures etiam alti montes fuerunt, & plures sancti, restat ex omnibus vnus accipiendus, qui theatrum Apparitionis Christi fuit. Quis ergo ille? Soarez in 3. p. Tom. 2. q. 45. dis. 32. sect. 3 dicit ab Euangelistis nominari *montem Thabor* Iansenius melius ab Euangelistis non nominari. Quod tamen Thabor fuerit, habemus

bemus Traditione, cuius non parua authoritas est in Ecclesia.

Et profectò in hoc cum Christo Apostoli esse potuerunt. *Et altus* 15.
hic fuit: quia triginta stadijs consurgens in naui nauigantibus se exhibuit, teste Iosepho, lib.4. belli Iuda. cap.2. *Et Sanctus* dici potest: quia Christi vestigijs insignitus & consecratus, quomodo & aqua Iordanis Christi contactu sacrata dicitur, virtutemque accepisse abluendis criminibus salutarem.

An in Monte Thabor Transfiguratio facta.

In hoc monte Apparitionem factam esse iam olim Maiores nostri crediderunt; & Christi vestigijs consecratum, erectis templis reddiderunt sacratiorem. De Helena refert Nicephorus, lib.8.c.30. quod in Apparitionis memoriam tribus Apostolis pulcherrimum in hoc monte Templum extruxerit, (quod ex VVilhelmo Tyrio, lib.2 Bell.sa.cap.13. apparet fuisse Cathedrale) multamque pecuniam reliquerit in subsidium ijs, qui ibi manerent, locumque illum excolerent. Accesserunt postea huic Templo duo monasteria, vt hîc essent, quasi tria, ex Diui Petri desiderio, Tabernacula. Quorum vnum inuenitur fuisse Græcorum atque D. Eliæ consecratum: verisimile alterum Moysi fuisse dedicatum. Vide Theatrum Terræ sanctæ Christiani Adrichomij. 16.

Quis cultus Monti Thabor ob Apparitionem exhibitus.

Ob Apparitionem quoque Domini, mons hic in magna veneratione est habitus: multæque ad ipsum Peregrinationes à fidelibus sunt susceptæ, quemadmodum colligitur ex B. Hieronymo in Epitaphio Paulæ, vbi refert eam solitam esse montem illum religionis causa conscendere. Verba eius sunt. *Scandebat montem Thabor, in quo Transfiguratus est Dominus; adspiciebat procul montes Hermon, & Hermonium, & campos latißimos Galilea, in quibus Sisara & omnis exercitus eius, Barach vincente, prostratus est.* 17.

Eandèm ob Transfigurationis causam, locus huius montis, vbi Transfiguratio peracta creditur, muro hodie ambitur. quo etiam, qui pedem montis accolunt, propter religionem & obseruantiam loci, neminem accedere permittunt, quemadmodum idem Christianus in suo Theatro notauit. 18.

Deniq; Damascenus Orat. de trāsfig. intelligit tūc impletum esse

 illud

illud Psal.88.*Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Nam Hermon, inquit, *prius exultauit, quando paterno testimonio, Christo ad baptismum profecto, filij nomen tributũ est: nunc verò exultat, ac lætitia perfunditur Thabor, diuinus & sanctus ille Mons; non minus gloria, quàm altitudine sublimis.* vide ibidem Damasc.

Qualisnam Mons Thabor.

20. Insignem certè montem Dominus locum Apparitionis suæ delegit. Non parua est eius commendatio: sed magna & multiplex. Et prima quidem à situ loci sumitur. Nam in medio Galilęę campo situs, mira rotũditate ex omni parte æqualiter finitus, in summo vertice viginti sex stadiorum campestrem planitiem habet: semper cęli temperie saluberrimus. Secunda à frugũ abundantia: vineis enim, oliuis, varijsque arbustis & fructiferis arboribus totus vndique cõsitus est. Tertia ab amœnitate, quoniam semper arborum frõdibus versicoloribusq; herbis viridis: & suaui omnigenum florum odore fragrantissimus fuit; auium quoque frequenti concentu mirè auditores reficiebat. Quarta ab ædificiorum maiestate; quę quanta fuerit Palatiorum, turrium, nobilium domorum, adhuc hodie testantur ruinę. Quanta ab rerum circa ipsum gestarum magnitudine; quoniam ex hoc irruit in Sisaram exercitus Barac, & speciosam victoriam reportauit, de quo Iudicum 4.cap.

Cur dictus Sanctus.

21. Sed maxima est quæ ex Christi Apparitione ipsi accessit, à qua, quòd ab Apostolo Petro *Sanctus* dicatur, factum crediderim. Neque enim verisimile est antea *Sanctum* fuisse appellatum: & meritò Sanctus, tam sancta Apparitione atque colloquio, tam insigni & Dei
22. Patris testimonio consecratus.

Quòd si verò Sanctus dicitur, quia veneratione dignus, vt ἅγιος ab ἄγομαι indicat, profectò intelligimus & bene fecisse Maiores nostros, quòd *adorarint in loco vbi steterunt pedes Christi*: & malè facere hoc tempore quosdam, qui hanc venerationem ab idololatria non distinguunt. Sed nostra persequamur.

Quis Christi situs in Transfiguratione.

23. Locum habemus Dominicæ Transfigurationis. Quo situ, hîc se Christus Christique Testes habuerint; atque vtrum in superficie terræ,

terræ, an altiori loco peracta sit Transfiguratio, restat doceamus. Curiosius hæc scrutamur: veruntamen non temerè, quando nihil potest esse paruum aut negligendum in Christi actionibus & moribus, illis, quorum causa, quæcunque Dominus egit, magno cum consilio, & prudentia, egit? Quo situ igitur corporis, vt hoc prius constituam, Apparitio peracta?

Quadruplex situs potuit fuisse Domini (quemadmodum & sociorum) in Transfiguratione. Nam potuit vel sedisse, quemadmodum sedit, quando Euangelicam perfectionem primùm docuit, Matth. 5. vel stetisse, vt stetit in medio discipulorum, postquam à mortuis resurrexit, Lucæ 24. vel genibus fuisse flexis, vt fuit in horto, quãdo Patrem, pro auertendo calice rogauit, Matth. 26. vel pronus iacuisse in terra, vt in eodem horto iacuit. 24.

Et quòd omni modo se habuisse potuerit: verisimile fortè alicubi videbitur. Pro sessione & statione forsitan est Christi familiarior cum testibus sermocinatio. Pro genu flexione vel humi cubatione, oratio ad Deum facta, quam Transfiguratio occupasse videtur. Sed tamẽ quòd stante Domino Transfiguratio facta sit, si verisimilius ex S. Marco, cuius hæc est oratio, *Euigilantes*, inquit, *Apostoli, viderunt maiestatem eius, & duos viros stantes cum eo*, scilicet stãte: aut fortè steterunt Testes, & non stetit Dominus? 25.

An Transfiguratio facta in terra.

Hinc ad Posterius in promptu responsio est. In terra facta est Apparitio & Transfiguratio. ibi stare & figere pedes potuit Dominus cum Testibus: non item in aere. Quocirca parum fidei merentur pictores, dum ita rudium oculis Transfigurationem objiciunt, ac si à terra Dominus eleuatus in aere hæreat. 26.

CAPVT DECIMVM.

De Tempore, quod est secunda Circumstantiarum Apparitionis Thaborinæ: Inquiritur hîc

1. TEmporis etiam Euangelistæ in descriptione Apparitionis Thaborinæ rationem habuerunt. Nam diem, quo Dominus cum discipulis, montem conscendit, mox Transfigurationis gloria exornandus, indicant: sed diem non anni, aut mensis, aut septimanæ, quo ipsa peracta; sed qui à proximè descripto cum Apostolis sermone habito, ad tempus Apparitionis fuit.

2. In hoc etiam asignando non consentire inter se videntur. Nam Lucas octo dierum meminit; Mattheus & Marcus sex. Nos qui omnia propemodum de Transfiguratione prosecuti sumus, Tempus negligere non debemus. ideoque, quãtum hîc possumus, non solum quo die, ab habito Domini sermone, sed & quo anno, & quo mense, & quo mensis die facta sit scrutabimur.

Quo anno Apparitio Domini facta.

3. Ab Anno initium facimus hinc facilius ad alia descendemus. Fuit verò is ætatis Christi trigesimus tertius, si sententiam sequamur eorum, qui sub principium anni trigesimi quarti Christum mortuum docent. quam sententiam idcirco præ alijs amplectimur, quod & insignes habeat authores, & cum Euangelica historia probè consentiat. quæ hîc, quoniam alterius sunt loci, probare necesse non est.

4. Hac sententia ergo, tanquam fundamento, posita, dubium non est, quin trigesimo tertio anno Apparitio acciderit. Docet hoc, post Ammonium Alexandrinum in Euangelica Harmonia, Baronius, Iansenius, Christianus Adrichomius, & Soarez, alijque, qui vitæ Christi historiam descripserunt. & posset res ex Euangelica narratione demonstrari, sed quia maiore labore, quàm fructu, dictorum nos sententia contenti sumus.

Quare Christus distulerit Apparitionem ad finem vitæ.

5. Dubium verò esse potest, Cur ad finem propemodum vitæ Dominus illam distulerit: & non statim, quãdo primùm ex proposito diuini verbi semina cœpit spargere, admiserit. Nos quamuis huius certas causas asignare nequeamus; & solus Dominus, pro cuius voluntate Apparitio est transacta, illas dare posit; probabilem tamen illam existimamus, quòd illo tempore cõuenienter fuerit admissa, quo mors, certum humanitatis Christi argumentum, instabat, vt tum quoque certiori argumento de eiusdem diuinitate confirmarẽtur Apostoli: ad quod, si aliquid aliud, certè Transfigurationis Maiestas præbere potuit.

Sic &

Sic & conueniebat; vt qui Patris testimonio Filius Dei esset declaratus in baptismo, quando nostrę salutis opus seriò est aggressus: & eiusdem Patris voce esset clarificandus in fine, vt est clarificatus, Ioan.12. ita in medio sui operis cursu Patris acciperet testimonium in monte Thabor. vt tanto certius Patris esset testimonium, quando tertiò esset repetitum. Hoc de Anno. 6.

Quo Mense Transfiguratio facta.

Quo anni Mense acciderit, dubito, vtrum facilè posit constitui. Ecclesia Occidentalis festum Transfigurationis in Augusto celebrat, quemadmodum ex Breuiario Romano est manifestum. Eodem mense illud peragunt Græci, vt constat tam ex eorum Monologio, quàm ex constitutione Emanuelis Imp. quæ extat apud Theodorum Balf. in Nomoc. Phocij, Titulo 7. cap. 1. Verùm quoniam non semper necesse est eo tempore res accidisse, quo earum memoria institutis festis repetitur; hinc necessarium argumentum pro Augusto non sumitur. Accedit, quod Canisius significet in Iulio accidisse, vt paulò post dicemus. Quicquid sit de Mense, vix dubium accidisse in æstate; quoniam vt haud dubiè indicat S. Lucas, noctem illam, quæ Apparitionem est secuta, Dominus in Monte perseuerauit, & quidem vt probabiliter existimat Iansenius, orationis causa. Ita enim Euágelista loquitur, postquam iam Apparitionem descripsit. *Factum est autem*, inquit, *in sequenti die, descendentibus illis* de mõte occurrit &c. At hoc in æstate factum esse creditur probabilius, quando facilius in montibus noctes consumuntur. Forsitan & hoc tempus persuadet somnus, qui mox Apostolos in monte inuasit. 7.

Et conueniebat hoc tempus Transfigurationi: scilicet, quando sol plus viribus potest; & suo splendore, vt ita dicam, gloriatur, & triumphat: conueniebat, inquam, vt sic Maiestatem luminis, quo Christi facies radiabat, agnoscerent melius Apostoli; quando nec solis lumen, quamuis maximum, quòd conspiciebant, Christi posset obscurare, adde nec accedere. 8.

Quo die Apparitio facta.

Dies

9. Dies Apparitionis, fortè, difficilius, quàm mensis, assignatur. Ex festo die, quo memoria Transfigurationis recolitur, qui est sextus Augusti, parum videtur posse constitui, propter rationem superius datam; quòd alij sæpe sint dies rerum gestarum, alij memoriæ rerum. Hunc tamen Transfigurationi tribuit VVandelbertus, qui (vt scribit Trithemius, de viris illust. Ordinis S. Bened. lib 2. cap. 36.) vixit temporibus Lotharij Imp. circa annum Domini 850. in suo Martyrologio, quod carmine scripsit, Ita enim habet:

Idibus octauis (Augusti) *mortem passura crucemq́,*
Christi sancta caro athheream dedit ante figuram.

Verùm Petrus Canisi⁹ in Martyrologio suo, vigesimo septimo Iulij ipsam dicit accidisse. Ita enim loquitur: *Hodiernus*, id est, *vigesimus septimus, est dies, quo Christus Dominus in monte Thabor, coram tribus dilectissimis discipulis, Petro, Ioanne, & Iacobo, in præsentia Moysis, & Eliæ est trãsfiguratus.*

Quomodo octauo, & sexto die Dominus dicatur transfiguratus.

10. Diei etiam Euangelistę meminerunt; verùm non mensis, vt diximus superius, sed illius, qui fuit à Christi sermone habito. & Lucas quidem octo dierum meminit; Matthæus verò & Marcus sex. quæ dissonantia non malè ab Augustino, de consensu Euangelistarum, cap. 56. & Epiphanio, lib. 2. de Hæres. hæres. 66. & Damascenus, Orat. de Transfiguratione, alijsque Sacrarum literarum peritis soluitur, vt dicatur Matthæum & Marcum intermedios tantùm dies numerasse: Lucam verò etiam duos extremos: & illum scilicet, quo Christus locutus est, & illum, quo in monte est transfiguratus.

Quid significet, quòd octauo die Transfiguratio facta dicatur.

11. Cæterùm videtur etiam mysticam habere rationem, quare dierum numerum tam accuratè Euangelistæ annotarunt: videlicet, vt indicaretur, post sex mundi ætates, octauo die futuram omnium Resurrectionem; ac Christum in sua gloria venturum: cuius hæc Domini Transfiguratio velut primitiæ quædam, & indicium fuit. Sicut enim in octaua die facta est Apparitio Christi, ita & generalis Resurrectio octauo die futura est: quando, scilicet, completus erit cursus dierum, qui septenario numero semper recurrunt.

Cæ

Cur quidã Euangelistæ significent sexto die Transfigurationem factam. 12.

Et hæc quidem ratio mystica octonarij numeri. Theophilactus quoque non putat carere ratione, quòd alij Euangelistæ meminerint senarij. Verba eius adscribimus. *Tu autem disce*, inquit, *post sex dies, id est, post mundum, qui sex diebus conditus est, Dei contemplationem futuram.* Eadem est sententia Bedę: *Significat*, inquit, *ratione mystica, post sex mundi ætates, Sanctis ab omni labore quiescendum.* Eadem Hilarij. *Post dies sex gloria Dominica*, inquit, habitus ostenditur: *sex milium scilicet annorum temporibus euolutis, regni cælestis honor præfigurat ur.* Eadem & Rabani. *Meritò*, inquit, *post sex dies gloriam illam ostendit, quia post sex dies futura est resurrectio.*

CAPVT VNDECIMVM.

De fine, qui est tertia ex Circumstãtijs Apparitionis Thaborinæ, qui hîc multiplex fuit: videlicet significare,

Quæ merces Passionis & Crucis. Num. 2.	*Quòd verus esset Deus, quamuis pateretur.* 4.
Quod discrimen inter nouam & veterem legem. Num. 3.	*Quæ Christi corpori gloria debita fuerit.* 5.

TErtia & postrema Circumstantiarum Thaborinæ Apparitionis est finis: cuius vt in omnibus rebus; ita quoque hîc magna ratio habenda est. Nos quia meliora non possumus, quæ de hoc Doctores & Sancti Patres afferunt, proferimus. 1.

S. Thomas igitur hanc rationem, ob quam Dominus transfigurari voluit ex Venerab. Beda affert; vt scilicet hominibus ostenderet finem & terminum, quo per Crucem & passionem peruenturus esset, secundùm illud, Lucæ vltimo. *Hæc oportuit Christum pati; & ita intrare in gloriam suam*: similiterque discipulos suos, atque, in illis, omnes homines ad vestigia Crucis suę, spe perueniendi ad eundem terminum, seu eiusdem gloriæ participationem excitaret; iuxta illud, Rom. 8. *Si Filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si autem compatimur, vt & conglorificemur.* Hanc rationem latè explicat Leo Papa in sermone de Transfiguratione. Eandem tangit his verbis Damasc. de Transfig. *Nam*, inquit, *qui laborum fructus perspectos habet, idem quoque intrepido animo in certamen descendit. Etenim lucri cupiditas homines eò adducere solet; vt corpori suo minimè parcant.* In eandem sententiam loquitur Beda, in 9. Mar. *Pia*, inquit, *prouisione factum est,* 2.

 vt con-

vt contemplatione semper manentis gaudij ad breue tempus delibata, fortius aduersa tolerentur. Hæc ex sententia Thomæ in 3. part. quæst. 45. art. 1.

3. Deinde (quæ secunda sit ratio ex Damasceno Orat. de Transfigur.) voluit hac Transfiguratione indicare discrimen inter nouum, & vetus Testamentum. Olim enim Israeliticus populus in faciem Moysi intendere non poterat propter splendorem vultus: nunc autem Apostoli reuelata facie gloriam Domini speculantur. Idem dicit significatum in nube lucida, quæ in Transfiguratione apparuit. Moyses enim caliginem subibat, vmbram & opacitatem legis subindicans: Christum autem nubes lucida obumbrat; quia iam mysterium à seculis absconditum detectum est: ac perpetua & sempiterna gloria ostenditur.

4. Tertiam rationem ex Leonis addimus serm. de Transfig. *Transfiguratus*, inquit, *est Dominus, vt de cordibus discipulorum Crucis scandalū tolleretur, ne conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis, quibus reuelata esset abscondita excellentia dignitatis.* Ita Leo. Quocirca hoc mysterio actum est, vt Apostoli in fide de Christi diuinitate confirmarentur, & eum esse agnoscerent, quem Prophetæ prædixerant, & lex præfigurauerat. Petrus autem Matth. 16. Christi diuinitatē prius confessus est; postea verò, cùm Christus mortem suam & passionē prædicaret, existimans rem illam indignam, *Absit*, inquit, *à te Domine, Non erit tibi hoc*: quem Christus acriter reprehendit. vt verò eius & aliorum infirmitati subueniret, statim, cap. 17. ijs suam gloriā ostendit; vt neque propter infirmitatem passionis de ipsius diuinitate dubitarent; neq; propter magnitudinem diuinitatis, Crucis opprobrium exhorrescerent, cùm illud talis haberet exitum gloriæ.

5. Hinc quartam rationem colligere possumus; scilicet, voluisse Christum hoc mysterio hominibus ostendere, quid corpori suo debitum esset; quantaue illud priuaret gloria, propter eorum commodum, ac reparationem. Et propter hanc fortasse causam, quādo transfiguratus est, loquebatur de Excessu, quem completurus erat in Ierusalem, id est, de passione sua: quā vt pro hominibus posset assumere, gloriā corpori suo debitam intra sinus animæ miraculosè represserat. Hæc apud Soarez, in ar. 1. S. Thomæ q. 45. 3. partis.



Hactenus de gloriosa Christi Apparitione Thaborina.